CONTROVERSIARUM
DE
DIVINAE GRATIAE
LIBERIQUE ARBITRII CONCORDIA
INITIA ET PROGRESSUS

ENARRAVIT

GERARDUS SCHNEEMANN S. J.

IN LAUDEM GLORIAE GRATIAE.
EPH. 1, 6.

ACCEDUNT OPUSCULA INEDITA LEONARDI LESSII ET JOSEPHI KLEUTGEN
EIUSDEM SOCIETATIS THEOLOGORUM
ATQUE EXEMPLUM PHOTOTYPICUM AUTOGRAPHAE PAULI V. RELATIONIS.

CUM APPROBATIONE REV. VIC. GEN. FRIBURG.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
MDCCCLXXXI.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT ARGENTORATI ET MONACHII ATQUE IN URBE
S. LUDOVICI AMERICANA.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

Vix geminos libellos ad defendendam Societatis Jesu de gratia doctrinam germanice conscriptos edideram, quum multi, quorum judicio ac prudentiae plurimum tribuebam, magnopere a me petiverunt, ut eos ad communiorem eruditorum usum in latinum verterem. Cui equidem quum desiderio obsequi atque ita causae, quam tuebar, amplius prodesse cuperem, quominus vero id ipse praestarem, ceteris occupationibus meis prohiberer: commodissime contigit, ut P. Gerardus Gietmann, idem, qui „de re metrica Hebraeorum" eruditam commentationem (Frib. Brisg. apud Herder editam) scripsit, suam mihi opem atque operam ad libellos meos transferendos sponte praeberet. Quos nunc ita translatos aliarum quoque nationum lectoribus exhibeo, ut tamen germanicam editionem multis in locis, addendo, delendo, corrigendo, transponendo, ipse mutaverim. Praeter complura alia gravissima necdum edita documenta, duos, item ineditos, commentarios illustrium Soc. Jesu theologorum, Leonardi Lessii et Josephi Kleutgen, operi inserendos censui. Quum enim Lessii *Responsio ad Antapologiam* Lovaniensium et iisdem in rebus ac Molinae *Concordia* versetur, et ante hujus editionem Romam missa sit, antiquae de gratia et scientia media doctrinae, quae ante Molinam in Societate Jesu viguit, profecto nullum luculentius testimonium desiderari potest. Quod Lessii scriptum qui cum posterioribus atque adeo recentissimis Societatis Jesu theologorum libris comparaverit, is statim agnoscet, eamdem illum cum his doctrinam tueri; a qua etiam, optime explicata scientiae mediae natura, jam tum novitatis criminationem propulsat. *Praescientia conditionata,* inquit, *sine dubio in Deo est; unde non est res nova neque etiam nomen novum; vocatur enim scientia conditionata*, *quia est propositionis conditionatae, sicut cognitio necessaria recte vocatur, quae est de objecto necessario; et haec locutio non est academiis Italiae et Hispaniae ignota.* Quum igitur ea, quae defendenda susceperam,

Lessiano scripto, acumine et claritate insigni, mirum in modum confirmarentur, illud commentariolis meis addendum existimavi. Praemonere tamen velim, auctorem vix unius mensis spatium ad opus conficiendum habuisse, ideoque, si quid interdum minus castigatum festinanti exciderit, excusationem mereri. Sed quum Lessius in eadem illa *Responsione* etiam de Sacra Scriptura sententiam suam explicet, de qua noster Jos. Kleutgen, quum Concilio Vaticano interesset theologus, egregium commentarium scripsit, magnam illi debeo gratiam, quod mihi ejusdem hic edendi potestatem fecit.

Phototypicum exemplum relationis, quam Paulus V. sua manu de ultima Div. Auxil. Congregatione et Cardinalium suffragiis scripserat, libro addendum censui. Quas tabulas pag. 287. seqq. interpretatus sum.

Jam de *Indicis* decreto, quod ad hanc controversiam pertinet, satis infra p. 299. et 300. dixi, atque etiam causas, quibus ad scribendum movebar, in prooemio p. 1. et 2. indicavi. Omnino quidem de gratiae cum libero arbitrio concordia rursus recruduisse controversiam, merito possit quispiam conqueri; quod vero, *per alios* renovata lite, lacessiti nos defendimus, id jure reprehendere nemo potest. Neque etiam deerant similes atque idoneae rationes, cur, virorum gravium obsecutus consilio, opusculum meum latine redditum vulgarem; quarum aliquas hic attingam. Billuart, scholae neo-thomisticae vix non princeps, in suis commentariis theologicis, de nostra controversia et quaestionibus huc pertinentibus ita fuse disserit, ut ea disputatio circiter 250 dimidiatas paginas in 4⁰ (secundum edit. Paris. a. 1876.) complectatur; in doctrina vero nostra accusanda usque eo progreditur, ut affirmet, ejus condemnationem jam a Paulo V. decretam, sed solemnem hujus sententiae promulgationem *ad interim suspensam esse;* scientiam mediam *esse haustam ex ipsis Semi-Pelagianis* et *sternere viam praecipuo errori Semi-Pelagianorum* (pag. 189—206, 211 ss.). Hi vero Billuarti commentarii nostris temporibus quater rursus sunt editi, atque ita sexcenta eorum exemplaria *per omnia Galliae Seminaria,* sicut in quadam commendatione dicitur, et per plurimas extra Galliam scholas sparsa. Quum igitur acerrimi nostrae doctrinae adversarii amplissimum opus tantopere sit hac aetate pervulgatum, ecquis nobis det

crimini, quod accuratam ejusdem doctrinae defensionem scripserimns? Gaudeant sane Neo-Thomistae de maxima Billuartiani libri celebritate, sed boni etiam consulant, quod contra vehementem adversarium jure legitimae defensionis utamur; praesertim quum alios sane doctos viros passim cum Billuarto operam suam sociare videamus.

Ut unum tantummodo ex novissimo tempore proferam, P. Ant. Mar. a Vicetia, Minister Provincialis O. S. Fr., S. Bonaventurae Breviloquium, variis *appendicibus* illustratum (Friburgi apud Herder a. 1881.), edidit. Jam vero editor (p. 88. et p. 328.) affirmare non dubitat, Molinistarum de praescientia sententiam *ita absolute prolatam erroribus Pelagianorum et Semipelagianorum viam aperire,* Molinam *gratiam versatilem* et *nimis crudum systema* defendere; quin etiam contendit, gratiam, *juxta* Molinistarum et Congruistarum *placita*, *in eadem mensura a Deo cunctis distribui,* quum tamen nemo nostrum fuerit unquam, quin hanc haeresim respueret.

Quis igitur jure queri possit, nos non solum hujusmodi criminationibus respondere, sed etiam apertius et accuratius explicare, quae tandem sit ac semper fuerit, non tam Molinae, quam ipsius Societatis doctrina?

His accedit alia gravissima et justissima ratio. Nam communis Thomae et Thomistarum appellatio praejudicatis contra nostram doctrinam opinionibus faveat necesse est, quasi D. Thomae et Thomistarum, sicut idem est nomen, ita eadem sit disciplina, ac proinde Jesuitae, quum a Thomistis dissentiunt, ipsum D. Thomam oppugnent. Cui quidem prorsus falsae opinioni, non aliquos solum de vulgo eruditorum, sed interdum vel doctissimos viros tanquam indubitatae suffragari videmus. Atque ut rursus ex praesenti aetate exemplum afferam, vir aeque doctus ac gravis, idemque Societatis nostrae amicus, Universitatis Bonnensis professor, in sua theologia dogmatica hoc anno (apud Herder) edita (p. 489—498), ita hac de re disputat, ut nihil dubitare videatur, quin S. Thomae et eorum, qui se Thomistas appellant, eadem sit plane doctrinae ratio, idque nulla probatione indigeat. Ex hac praesumpta opinione illud haud sane exiguum exstitit incommodum, quod Bulla SS. P. N. Leonis XIII. *Aeterni Patris* adversus Societatis doctrinam edita passim diceretur.

Talis igitur et tam gravis criminatio Societati nostrae inflicta quantum a vero abhorreat, declarandum est; neque ad confutandum errorem paucos aliquos e D. Thoma locos proferre sufficit, sed ipsa illius doctrina, a qua Societas ne minimum quidem deflexit, uberius explicetur atque illustretur necesse est. Cui necessitati dum cedo, neminem profecto mihi aequum est succensere. Ceterum in hoc perficiendo labore, quem mihi non Superiorum praeceptum imposuit, sed veritatis et germanae Angelici Doctoris disciplinae studium pietasque erga Societatem expressit, id me tali causae et ipsis adversariis debere judicavi, ut perpetuo *moderarer sermones meos* (Prov. 17, 27), neque calamum prius quam animum ab omni intemperantiae specie custodirem. Quocirca illud hoc loco non invitus commemoro. Reverendissimus Episcopus Paderbornensis Conradus, doctrinae laude actisque in Concilio Vaticano insignis et pro Ecclesiae libertate gloriosus exsul, quum primam hujus commentarii partem perlegisset, paucis ante mortem diebus mihi significare dignatus est, „plurimum sibi libellum probari, imprimis vero placuisse scriptoris moderationem."

Denique aliud est, in quo mihi benevoli lectoris indulgentiam expetendam sentio. Quum enim patria extorris haec scriberem, et prope in eremo procul ab omni ampla bibliotheca degerem, vix alios libros inspicere potui, nisi quos vel amici mihi precario commodarent, vel itinerum opportunitate usus consulerem. Quae librorum penuria et mihi molesta fuit, et, ne in oculos eruditorum lectorum incurrat, non immerito timeo. Peto igitur, ut, quae hac in parte desiderari possunt, et si qua alia, quae *humana parum cavit natura*, hunc in librum irrepserunt, non causae defensae officiant, sed patroni vel vitio vel conditioni tribuantur.

In castello *Blijenbeck* d. 21. Octobris 1881.

G. S.

INDEX.

Appendix.

Annotatio.

Pag 6. lin. 8. pro *explicabimus* scribe *enarrabimus*.

Pag. 383. lin. 37. dele [4].

Pag. 412. lin. 10. ad verbum *„condecorandi“* adde annotationem: *Fortasse scribendum „moderandi“*.

PROOEMIUM.

In historiam naturamque acerbissimae de libero arbitrio controversiae inquisiturus, nolo profecto excitare contentiones illas, quae ab exeunte saeculo sexto decimo duarum magnarum S. Dominici et S. Ignatii familiarum theologos tamdiu divisos tenuerunt, ac perspectum esse omnibus arbitror, qui quid nostra aetate a theologis in Germania scriptum disputatumque sit diligenter attenderint, non accusationem me, sed defensionem plane necessariam scribere.

Aliquot anni sunt, ex quo doctrina illa, quam de finibus gratiae et libertatis Societatis Iesu theologi communiter sequuntur, a compluribus Germaniae theologis non parum impugnata est. Etenim Societatis aut certe primorum eius doctorum de gratia opiniones esse *Semipelagianas,* esse *Anthropomorphismum,* esse ethnicae illius, quam humanistae excitarint, *doctrinae proprie naturalisticae* partum, pronuntiatum est. „Frustra laboratum esse a superioribus, ut remissae laxataeque de gratia et cognatae de moribus doctrinae, quae tempori serviret et hominum se studiis accommodaret ac penitus applicaret, suam auctoritatem obiicerent.“ Descivisse Iesuitas a conditoris sui eademque magnorum Ecclesiae doctorum atque Sanctorum doctrina, *laxitatem* adamavisse, ad *liberalismum* accessisse. Negasse *dogma theologicum proxime definibile, gravissimum revelationis caput,* quum *Scripturae sacrae verba tamquam immobilis firmitatis saxa studiis antithomisticis obstarent,* nec minus *peremptorie* traditionis testimonia adversarentur, essetque *decisa iam quaestio tum in contentionibus Pelagianis tum tempore posteriore.* A D. Thoma ad omnia, quae in hac re quaererentur, responsum esse *clare ac definite,* sed *interfuisse* nimirum Iesuitarum, ut iudicium illius definitum ac perspicuum negligerent. *Disceptari apud eos ex Molinae aetate de S. Thoma, immo vero de Scriptura Patribusque omnibus. Debilitate aut volun-*

tatis aut intelligentiae deceptos et ad addubitanda omnia pellectos esse, ut *nihil vere esse, quod non per se ipsum animus sentiret,* opinarentur, ob eamque causam, ut quondam Pelagiani fecerunt, conciliari posse cum libertate efficientiam aliquam Divinam, quae tamen non sentiretur, negarent. *Ingenii Germanici proprietatem, quae servaretur a Thomistis, oppugnari theologia Iesuitarum, dum illius errores extimescentes de acumine dogmatis plus aequo limarent;* doctrinam esse *obsoletam*, *quum diu obliterata sit memoria errorum illorum, contra quos formata esset, obesse reconciliationi tot Protestantium in Christum credentium, quorum animi aliquam in Thomismo quasi affinitatem agnoscere viderentur.*

Haec et alia eiusmodi contra Societatis Iesu doctrinam obiecta sunt ab iis, qui et scientiae et morum laudem omnium Germaniae Catholicorum existimatione merito adepti facillime ea, quae dicunt, ceteris persuadeant. Quocirca aliquando nos quoque in animum induximus, ut controversiam illam retractaremus, ne ipso silentio accusationes viderentur confirmari [1]. Nemo sane vitio vertere nobis poterit, si, quae ad defendendam existimationem ac fidem nostram necessaria videbuntur, contra tot accusationes vere ac sincere dixerimus.

Forsitan aliquis existimet, alienum esse ab hoc tempore ita liberum tueri arbitrium, ut Molina et Suarez instituerint, quod id proprio huius aetatis morbo, i. e. liberalismo, favere putet; siquidem in solo *Thomismo* [2] eius mali remedium contineri proclamatum est. Verumtamen specie falluntur, ut in nulla re magis. Immoderata est libertatis cupiditas liberalismus; nemo negat. Cuius tandem libertatis? An liberi arbitrii, i. e. optionis atque electionis? Minime vero, sed licentiae et immunitatis, quae ab ea, de qua nos agimus, libertate tam est diversa atque remota, ut ipsa voluntatis libertate neganda homines omni se potestati

---

[1] Adhuc enim a Iesuitis vix quidquam in Germania „ex professo“ ea de quaestione scriptum videmus. Eam tacuit P. Deharbe, P. Wilmers in ampliore „doctrina religionis“ nota brevissima tetigit, denique P. Kleutgen in plenissima defensione theologiae veteris praeteriit iis de causis, quas in „defensione sua“ uberrime explicat. Iamdiu opus aggressi sumus, quum P. Limbourg, iisdem rationibus impulsus, in Oenipontanis de theologia Catholica disputationibus (Zeitschrift für kath. Theologie) de Thomistarum doctrina praeclaris commentationibus disseruit.

[2] Si eam vocem usurpamus, non S. Thomae doctrinam, sed illam hujus doctrinae explicationem, quam Bañez proposuit, intelligimus. Minime autem negamus, genuinam S. Thomae doctrinam remedium contra *liberalismum* continere.

subducere conentur. Omnis enim potestas atque auctoritas in libero innititur arbitrio. Hoc qui negaverit, illam sustulerit, quae nisi in liberos exerceri non possit; rursum potestate negata negatur saepe libertas, quia obedientiae recusatio cupiditatum inducit dominationem, qua pressi homines de libertate arbitrii dubitare incipiunt.

Ex quo intelligitur, id quod mirari solemus, *haeresim*, h. e. rebellionem contra Divinae revelationis et Ecclesiae auctoritatem, inimicam fere esse libertati arbitrii. Nec vero infitiamur in hanc quoque cadere posse depravationem erroris, sed tamen praecipua illa haeresis Pelagianorum et Semipelagianorum, quae ab ea derivata est, quum illud olim conaretur, ne tantum quidem invaluit, ut sectam efficeret. Recentior vero haeresis per Wicleffium, Lutherum, Zwinglium, Calvinum protenus liberum aggressa arbitrium est, atque ab illa parte libertatis negatio per Baianos et Iansenianos in Ecclesiam se insinuare coepit, ad quam pestem arcendam diu multumque pugnatum atque laboratum est. Utque superiore saeculo Gallicanorum et Iosephinorum a Sedis Apostolicae auctoritate defectio cum Iansenismo connexa colligataque fuit, ita recentissima ab Ecclesia secessio, quae *liberali* potissimum doctrina gloriatur, statim se ad sectam Iansenianam, liberi arbitrii inimicissimam, applicavit ultroque recepta est.

Cum haeresi hodie tota se nova *philosophia*, quae liberalismum peperit, verae libertati opponit. Quam ipse Cartesius minus recte explicavit, Kantius depravavit. Patrem autem recentis philosophiae Germanicae filii increduli secuti duobus quasi agminibus, vel idealem amplexi pantheismum vel materialismum empiricum, liberum arbitrium omni genere erroris impugnare et tollere instituunt. A quibus aliquantum illius veneni in theologiam tum catholicam tum protestanticam derivatum et Hermesii Guentherique de libertate doctrinam infecit et varia rationalismi genera proseminavit, libertati vel contraria vel minus congruentia.

Ergo ea, cui *liberalismus* studet, licentia tantum abest ut libertatem arbitrii tueatur, ut potestatis et libertatis iidem inimicissimi esse soleant. Atque haec causa est, cur illis, qui in conservanda auctoritate et liberalismo oppugnando elaborarent, iisdem in defensionem liberi arbitrii incumbendum fuerit. Etenim Pius IX., cui id divinitus obtigerat, ut liberalismum frangere studeret, nihil antiquius habuit, quam ut voluntatis libertatem defenderet; qui prima Syllabi sententia negat *unam eandemque rem esse necessitatem cum libertate.* Concilii autem Vaticani prima

constitutione non modo Divina libertas, unde nostra fluit, verum etiam hominis in fidei actu libertas iis verbis definitur, quae discrepent ab auctoribus doctrinae Bannesianae [1]. Nuperrime Ecclesia duos viros sanctos inter Doctores retulit, qui in praecipuis libertatis patronis numerandi sunt, quorum doctrinam ad Molinistarum de gratia sententiam accedere recte dixeris. Id enim S. Franciscus Salesius profitetur [2] idemque Lessium litteris tam honorifice alloquitur, ut evidenter significet, quantopere sibi cordi esset defensio libertatis. Hunc enim theologum longius quam Molinam in libertatis defensione progressum illis litteris ob id ipsum opus laudat, quo ille suam de gratiae efficientia et de libertate sententiam explicatius defendit [3]. Item S. Alphonsus Ligorius Tournelium se sequi plane profitetur [4], de quo quidem Billuart Thomista (in Theologia iuxta mentem S. Thomae. Paris. 1839, tom. I. p. 200 sqq. diss. 6. a. 6) recte scribit: *Nihil non tentat novus miles, ut prostrata schola thomistica molinisticae trophaeum erigat;* eundem *doctorem* appellat *Molinianum, novum,*

---

[1] V. infra pag. 13. not. 3.

[2] Cf. Werneri S. Thomae Aquinatis vitam (Ratisb. 1859) III. p. 385. Eo loco vir ille in theologiae historia celebratissimus, ut S. Doctorem probet non idem de gratia, quod Thomistas vel Augustinianos, sensisse Bossuetii Instructionem Pastoralem diei 15. Sept. 1697 (Sect. 11. § 126) appellat. Vide etiam cuiusdam Sulpiciani „Vie de St. François". Paris 1856. I. 573.

[3] Litteras certissime genuinas exhibet Livinus de Meyer in Histor. Congreg. de Auxiliis l. I. c. 6 p. 14. In quibus S. Franciscus Lessii de praedestinatione doctrinam, qua nihil potest esse Bannesii systemati magis contrarium, dicit *antiquitate, suavitate ac scripturarum nativa auctoritate nobilissimam, Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem.* Nec ignoro in Germanica interpretatione vitae eius, quam proxima nota indicavi (Lager, Ratisb. 1871. I. 398), S. Doctorem ita iudicare, ut ex utraque opinione (ergo etiam Molinistarum) quosdam denique errores consequi dicat. Sed male reddita sunt verba illius, quibus hanc controversiam *periculosissimam disceptationem vocat, quae suis in extremitatibus haereses habeat subiectas,* quibus id unum significat, quaestionem esse perdifficilem, in qua in utramque partem aberratio proxima sit; quod quidem inter omnes constat.

[4] Sancti Alphonsi Ligorii Concilium Tridentinum, Sess. VI. n. 101 (Interpretationis German. Ratisb. 1845. p. 105); ubi commemorata Cardinalis de Noris et Tournelii doctrina breviter, sed definite subiungit: *quam ego sequor.* Quae verba in novissima Taurinensi editione (1877, vol. VIII. p. 877) ita scripta videmus: „il sistema del Cardinal di Noris e Tournely, che io seguito."

Ceterum non infitior, sed ipse postea ostendam, Tournelium (et post eum Sanctum Doctorem) etiam Molinam impugnare. Utri parti vero magis faveat, evidentissime inde patet, quod non Molinistae, sed Bannesiani contra Tournelium acerrime dimicarunt.

purum Molinistam, theologum a capite ad talos Molinianum, Molinistam medullitus, Molinianis affectibus praeoccupatum etc. Graveson quoque O. Praed. in epistolis defendendi Thomismi causa scriptis *Tournelius,* inquit, *Molinistarum systema amplectitur.* (Epistolae theol. hist. polem. Venetiis 1734. II. 164.)

Quodsi duo Doctores novissimi molinisticae de gratia et libertate doctrinae favent, nos eandem defendere conantes a Sanctorum vestigiis non declinabimus, neque, si Ecclesiae visum non est patrocinium liberalismi defensio liberi arbitrii, nos idem tueri erit inopportunum. Praeterea fatentibus adversariis Reformationis tempore ob assiduas incursiones haereticorum *ius suum non defuisse* Molinianis *sua formula* defendendi libertatem, quidni idem pugnae genus ad similes nostrae aetatis impetus retundendos putabimus minime *antiquatum?*

Nec omnino in hac controversia, quid opportunum sit, aut qua *formula* verborum, ita enim loquuntur, utendum sit in disputando, quaeritur; quasi vero magni illi utriusque partis propugnatores, in summis quidem rebus, non satis accurate definiverint, quid defenderent. Nominatim formula illa *praedeterminationis physicae* sententiae Bannesianae quam aptissime congruit; atque haec causa est, cur anno 1612. in libello, quem generale Ord. Praed. Capitulum approbavit, illam *praeter ceteras* idoneam esse definitum sit [1]. Inepte igitur Thomistas *re recte sensisse* volunt, *formula vero disputandi* errasse. Qui si *re recte omnino sentiant,* iidem loquuntur rectissime, falsumque est *loquendi genus* Iesuitarum neque tum potuit neque hodie potest *suo iure* usurpari. Non igitur licet temporum opportunitatem aut ingenii Germanici sensus propensionesque *mysticas* causantem utramque scholam iudicare velle et, ut modo dixi, condemnare. Quod *verum* est, id nec vetustate depravatur nec alienum est ab ingenio Germanico, immo vero *nostrae* quoque aetatis morbis remedium afferet et „altitudinem mentis Germanicae“ explebit. Quid *verum* esset, utrique

---

[1] Illud scriptum exhibetur ab H. Serry, Hist. Congreg. de auxiliis, Lugduni 1770, Append. p. 216. Cuius haec sunt extrema verba: „*Nova,* inquit [Baronius], *in Ecclesia Catholica opus fuit excogitare vocabula, cum haeretici, prioribus abusi vocibus, simpliciter proferri solitis, ex illis suam ipsorum sententiam roborare conati sunt.* Sic et nos pari necessitate compulsi sumus, physicae praedeterminationis vocabulum usurpare; ut gratiae seipsa efficacis omnipotentissimam, insuperabilem et indeclinabilem energiam, ab Augustino contra Pelagianos assertam, significemus: id a nobis exigente adversae partis dicacitate, quae aliis quibusve vocabulis licentius abutitur.“

immenso labore quaesierunt, non ignorantes, quantam quamque spinosam quaestionem agitarent. Quapropter, si ulla alia, certe haec controversia, quae saecula complexa est, digna est investigatione historiae.

In primordia igitur controversiae Bannesianorum et Molinistarum inquiremus et ostendere studebimus, quid ante Bannesii et Molinae disputationes ea de re theologi docuerint. Deinde progressus controversiae explicabimus. Simul utriusque scholae doctrinas de libero arbitrio, maxime quidem quatenus ad gratiam comparatur, explicabimus. Quibus instructi praesidiis suo quisque iudicio examinabit, quid in Bannesianorum et Societatis Iesu theologorum de gratia sententia probandum, quid improbandum esse videatur.

Propositum labori nostro illud quidem potissimum est, ut liberum arbitrium, quod *verae* omnis libertatis fons est, defendamus; nec vero minus laudi atque gloriae gratiae studebimus. Neque enim mirabilius quidquam effecit gratia, quam ut conservata libertas Divinae fieret particeps immutabilitatis. Quare nostro iure huic libello inscribere videmur

In laudem gloriae gratiae.

1. De qua potissimum re quaeratur.

Ipse iam Pallavicinus [1] millia esse librorum de hac quaestione dixit, et tamen ampliores et copiosiores post eius aetatem editi sunt. Quamobrem hoc loco nihil magis necessarium est, quam ipsam controversiam circumscribi atque accurate definiri, de qua re agatur.

Principio ab errore nominum cavendum est. Appellatio enim controversiae „Thomistarum et Molinistarum“ inducere quempiam potest, ut id agi putet, Sanctumne Thomam an Molinam potius sequamur. Qua opinione nihil esse absurdius potest, quamquam quosdam etiam doctissimos viros occupavit et a Molina abalienavit. Qui ita librum suum exorditur, ut se S. Thomam principem solemque theologiae scholasticae sequi profiteatur; atque in hunc diem Societas Iesu constanter Angelicum Doctorem ducem suis proposuit, idque iis quoque temporibus, quibus in nullo honore schola haberetur. De Lamennais quum omnes ad se raperet, P. Fortis, Societatis praepositus generalis, litteris encyclicis (diei 4. Oct. 1823.) illius theses defendi vetuit, cum haec adderet: „Non unius alteriusque philosophi placita defendimus, verum ea sequimur principia, quae omnibus scholis communia sunt, quaeque communiter defendebantur, antequam Cartesius existeret. Scholae nostrae duces praecipuos agnoscimus S. Thomam, cujus tantum valet auctoritas apud omnes christianos doctores, S. Augustinum, qui non minus acutus fuit philosophus quam eruditus theologus.“

Hodie sane magni animi non est, hominem Catholicum magnos illos scholasticos atque imprimis D. Thomam defendere; sed id ut posset fieri, Societas etiam Iesu elaboravit. Satis erit significasse studia assidua ac magna P. Kleutgen et scriptorum „Civiltà“, maxime P. Liberatore et P. Cornoldi, vice-praesidis Academiae philosophico-medicae S. Thomae Aquinatis. Non illud igitur agitur, utrum S. Thomae doctrinam an alterius cuiuspiam

[1] Histor. Conc. Trid., Antverpiae 1670, l. VIII. c. 13. I. 768.

profiteri malimus, sed utra earum partium, in quas S. Thomae schola sub finem saeculi XVI. divisa est, ipsum rectius interpretetur. Quare illos huius scholae theologos, qui Bannesii et Alvaresii vestigiis insistunt, potius Bannesianos quam Thomistas nominabimus.

De qua igitur tandem re quaerimus? Respondet Schaezler[1]: *magnam de Auxiliis controversiam sive disceptationem Thomistarum et Molinistarum in hac verti quaestione, unde infallibilis gratiae efficacis cum actu consensus liberi connexio intelligatur.* Quod quidem ob eam causam quaerebatur, quod gratiae *infallibilitas* cum naturali voluntatis liberae *fallibilitate,* quam operante etiam gratia manere Patres Tridentini definierant, ita discrepare videbatur, ut conciliari non posset. Fierine potest, ut gratia eum actum certo efficiat, a quo libera voluntas, quamvis tracta gratia, possit *dissentire?*[2]

Quam gratiae infallibilem efficaciam Iesuitae a *scientia media* repetunt, h. e. a Dei praescientia actuum liberorum aliqua conditione futurorum, Bannesiani a *physica praedeterminatione,* ultimamque eius infallibilitatis rationem afferunt invictam Divinae Omnipotentiae efficaciam.

Quid intersit inter utramque opinionem, melius intelligemus, si prius, quid habeant commune, viderimus. Utrique Deum unum omnium Dominum Omnipotentem, a quo omnis rerum creatarum actio pendeat omnesque ad agendum moveantur, cuius concursu ad quamlibet efficientiam egeant, agnoscimus; utrique profitemur, praeveniente illius gratia ad omnem actum salutarem opus esse,

---

[1] Neue Untersuchungen, p. 338. 177 alibi. Item *Alvarez,* De Auxiliis, Lugduni 1611, disp. 83. n. 7. p. 664 ss.; *Billuart,* Theologia, Tract. de gratia, diss. 3. a. 6. In explicanda ratione doctrinae Neo-Thomisticae his duobus potissimum utemur auctoribus. Nam Bañez de ipsa gratia librum nullum scripsit; sed eius auditor intelligentissimus Alvarez, conclusis Congregationibus de Auxiliis, eo, quem posuimus, libro doctrinam eius perscripsit copioseque explanavit. Hic princeps est inter scriptores Bannesianos, *quem,* ut ait Graveson, *sequuntur omnes recentiores Thomistae* (Epist. theol. hist. polem., classis II. ep. 5. II. 102). Billuarti quoque apud suos minime incerta auctoritas est. Scripsit autem uno post Alvaresium saeculo atque Iansenianas contentiones cognoverat. Explicatam enarrationem doctrinae Bannesianae P. Limbourg in Oenipontanis de theologia Catholica commentationibus (Zeitschrift für katholische Theologie) exhibuit (I. 171 ss. 497 ss.), qui eius descriptionem ex ipsorum testimoniis maxime variis variisque e locis petitis confectam sub oculos quodammodo subiicit.

[2] *Dissentire posse si velit,* Trid. sess. VI. de justif. can. 4.

etiam ad primum omnium atque adeo ad fidei initium; non posse voluntatem naturae vigore assentiri gratiae, sed vim ad id omnem a gratia mutuari; gratiam et moraliter et physice animum movere tum in actu tum ante; eandem non solum illustrare mentem, sed etiam excitare voluntatem nec vires tantum ad supernaturaliter agendum conferre, sed actum ipsum efficere; esse Deum Dominum Omnipotentem, qui solus non modo rerum naturae, sed animis ipsis hominum imperet eosque, quocunque velit, arbitrio suo inclinet atque impellat; nec vero ita laedi aut tolli libertatem, sed sub motione gratiae vel assentiendi vel dissentiendi relinqui potestatem. Praeterea commune utriusque doctrinae est dividere gratiam *actualem* in *excitantem*, quae vim conferat et impulsum ad honeste agendum, et *adiuvantem*, quae voluntatem in efficiendo actu iuvet, itemque in *sufficientem*, qua fiat ut agere possimus ac *vere* pleneque possimus, et *efficacem*, a qua actus *infallibiliter* procedat.

Atque haec quidem communia sunt; dissensio est, unde haec *infallibilitas* proficiscatur, eamque dissensionem aliquanta variatio in *explicatione* omnium superiorum consequitur. Opiniones referemus nec tamen eam, quam fortasse continebunt, iudicationem reprehensionemve adversariorum amplectemur; ipsorum etiam Iesuitarum sententias non nostro iudicio metiemur, sed ex veteribus Societatis theologis repetemus. Multo autem magnoque studio edocti intelleximus, quam sit necessarium, hoc ipso loco controversiam accuratissime definiri. Est enim multorum annorum atque adeo saeculorum haec disceptatio, plurimumque interesse debet, id, de quo disceptetur, accurate ab initio circumscribi. Qua in re si longiores erimus, ignoscendum est.

E philosophia universae controversiae principia repetenda sunt, quae a suprema quadam ratione Aristotelicorum et Scholasticorum ordiuntur. S. Thomas de Deo disputans Deumque esse demonstrare instituens hoc primum ponit argumentum: „Movere nihil aliud est, quam educere de potentia in actum. . . Omne autem quod movetur ab alio movetur. . . Hic autem non est procedere in infinitum. . . Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod non ab alio movetur, et hoc omnes intelligunt Deum,“ qui igitur absoluta necessitate *a se* est actus purus, omnes creaturas autem ad agendum movet. Et hac quidem in re consentiunt omnes; porro autem si quaeritur, quomodo Divina motio in naturis creatis perficiatur, diversa a duabus S. Thomae scholis respondentur. Bannesianorum adversarii sic tenent: Quidquid

moveatur, id sane moveri ab alio, sed tamen *motum receptum recipi ad modum recipientis,* modificari idcirco posse motum a Deo impressum vel proprietatibus rerum vel arbitrio voluntatum, ut *eadem* Divina motio pro ipsa vel proprietate cuiusque rei motae vel libera deliberatione varietur. Non in impulsu igitur creatoris integram et completam causam positam esse, cur determinatae actiones in causis secundis cieantur. Quam sententiam Bannesiani magnam quandam iniuriam interpretantur summae potentiae dominationisque Divinae, et imbecillitatis indigentiaeque naturarum creatarum ignorationem. Motum a Deo inditum *adaequatam* esse causam, quae vi sua physica actionem omnino determinatam cieat in creaturis; nam illo et naturas ipsas rerum moveri et motum excitum ita variari et determinari, ut una vis virtusque Omnipotentiae divinae omnes actiones earumque modos certissime cieat et definiat. *Virtutem primae causae,* inquit Bañez (In I. q. 19. a. 8.), *modificari per causam secundam, . . falsum reputo; . . immo vero divina voluntas omnia modificat, dum causa est universalissima et efficacissima cuiuslibet rei in quantum ad fieri et quantum ad esse et quantum ad modum, . . . seipsam determinat ad quemcumque effectum specialissimum producendum, ergo non est modificabilis a causa inferiori concursus activus Divinae voluntatis.* Quam praedeterminationem ad omnem motum omnemque motus determinationem bonam absoluta necessitate requiri, ex impotentia atque egestate naturali rerum creatarum Bannesiani demonstrare conantur; peccare igitur certo voluntatem, nisi a Deo ad officium implendum praemoveatur. Hac demum ratione manifestissime ostendi, quanta sit Providentiae Scientiaeque Divinae independentia; omnes rerum mundanarum eventus, non modo bonos, sed etiam malos, immo et Antichristi blasphemias ex solis Divinae voluntatis, quae ante omnem actuum praevisionem fiunt, decretis vel praedeterminandi vel non praedeterminandi certo consequi; in illis et bonas actiones et malas a Deo cognosci, quod bonarum causa adaequata atque perfecta sit Dei praemotio, malae vero certo fiant, nisi Deus ad bonum determinaverit. Quam explicationem esse longe simplicissimam, illorum adversarii minime negant; illud requirunt, quomodo consistat cum *libertate* cumque illa veritate, Deum non esse auctorem *peccati.* Sed de hac re mox dicemus; nunc videamus, quomodo ad hanc controversiam, quam agitamus, ratio proposita transferatur.

Ergo Bannesiani gratiam esse infallibiliter efficacem volunt non praescientia Divina, sed invicta potentia Divinae volunta-

tis [1], quae nec in capiendis consiliis aeternis immutabilibus nec in exequendis libertatis humanae praevisione dirigatur. Censent enim ante omnem praevisionem a Deo definitum esse ab aeterno, quos actus liberos aliquando fieri vellet, eosque tempore praefinito physice praedeterminari Divina Omnipotentia [2]. Est haec igitur praedeterminatio tamquam instrumentum exsequendi consilii invictaeque voluntatis Dei ac particeps eius infallibilis efficaciae [3]. Est quaedam activa applicatio potentiae ad actum. Qualis sit, non omnes consentiunt. Plerique theologi et maximi scholae Bannesianae docent, eam et ab Omnipotentia Dei [4] et ab hominis actione distingui [5]. Atque haec explicatio certe optime consistit. Praecedit enim, non tempore, sed natura et efficientia, praedeterminatio actum voluntatis [6] non solum factum atque absolutum, sed ex ipsa potentia procedentem atque fluentem, adeoque vere

---

[1] Vide Billuart l. c. et Alvarez l. c. p. 665: „Quando agens infinitae virtutis movet aliquod subiéctum, tale subiectum infallibiliter movetur, quia tunc resistentia passi non superat, nec adaequat virtutem agentis. Sed Deus est agens infinitae virtutis"; p. 667: „Efficacia auxilii praevenientis gratiae non pendet, etiam ut a conditione, sine qua non, ex praescientia media, sive ex praevisione boni usus liberi arbitrii per eamdem scientiam mediam a Deo praecogniti, neque ullo modo eam in Deo praesupponit", et alibi.

[2] Alvarez disp. 22. n. 2. p. 178: „Quando ergo quaeritur, utrum Deus absoluto et efficaci decreto suae voluntatis physice praedeterminet omnes causas secundas ad suas operationes . . . sensus est: utrum Deus absoluto et efficaci decreto suae voluntatis, antecedenter ad omnem praescientiam cooperationis arbitrii creati, futurae etiam ex hypothesi, quod in talibus circumstantiis constituatur, praedefinierit et praedeterminaverit in particulari omnes actus futuros, etiam liberos, et eodem decreto physice, id est, vere, efficienter faciat, ut causae secundae in tempore eosdem actus producant." Disp. 118. n. 8: „Deus omnipotentia sua facit, quod homo, cuius cor movet, velit."

[3] Alvarez disp. 32. n. 13. p. 307: „Si auxilium efficax . . . consideretur secundum suam physicam entitatem, praescindendo vel abstrahendo a decreto Dei, volentis absolute per illud auxilium hominem ad se convertere, liberum arbitrium potest eidem auxilio resistere. . . Si autem consideretur, ut est instrumentum divinae voluntatis, intendentis hominem ad se convertere, et quatenus intentionaliter in se continet virtutem eiusdem voluntatis div., secundum istam rationem non potest liberum arbitrium eidem auxilio resistere, sicut non potest resistere voluntati Dei efficaci, cuius est instrumentum." Eodem modo disp. 73. n. 3, disp. 93. n. 3 et alibi.

[4] Nec iam licet, ut opinor, contra sentire ob prop. Quesnel. damn. n. 19: *Dei gratia nihil aliud est, quam eius omnipotens voluntas.*

[5] Alvarez, De Aux. tota disput. 19. Gonet, Clypeus theol. Thom. de praed. disp. 6. n. 206. 207. Billuart, Tr. de gratia diss. 4. art. 2.

[6] Ideo *prae*determinatio, *prae*motio, gratia *prae*veniens vocatur.

adaequata est causa[1] voluntatis consensionem operationemque efficiens; debet enim illa praedeterminare voluntatem, ut haec vi talis motionis se possit ipsa determinare; a voluntatis autem motu, quem antecedit, nullo modo pendet[2], nec origine: est enim ab omnipotente voluntate ante libertatis praevisionem ab aeterno praefinita et suo tempore exserta — nec ob suae efficaciae proprietatem: quidquid enim operatur, ut causa physica sola virtute sua infallibili operatur. Non igitur bonum usum libertatis aut gratiae *supponit* nec ullam *dispositionem* voluntatis: omnem ipsa duritiem emollit, omnem obstinationem inflectit; nec voluntas ullo usu libertatis aut gratiae sufficientis, nisi qui ab illa proficiscatur, ad eam accipiendam se aut positive aut negative disponere potest[3]. Quae ubi recepta est, actus ille, ad quem movet, non fieri non potest[4], relicta tamen voluntati dissentiendi potestate; aliud enim esse potestatem, aliud actum. Gratia sufficiens veram et integram confert potestatem ponendae actionis, quam tamen *actu*

---

[1] Alvarez, d. 100. n. 5: „Deus seu collatio auxilii efficacis [est] *adaequata* vel sola causa efficiens, ut homo convertatur et libere cooperetur.“ Bañez I. qu. 23. art. 3. p. 280.

[2] Alvarez d. 90. 122. n. 16 et alibi.

[3] Haec praedeterminationis physicae a potestate hominis ceterisque rebus seiunctio atque separatio praecipuum caput est doctrinae Bannesianae atque ab eius auctoribus gravissime enuntiatur; velut Alvarez (disp. 105): „Auxilium efficax,“ inquit, „praeoperantis gratiae non dependet ex libera cooperatione arbitrii nec ex dispositione illius positiva, ergo neque ex dispositione negativa seu non-resistentia.“ Quod deinde explanat atque demonstrat (p. 829) 830), quartamque ponit rationem, quod, nisi id ita sit, Deo tribuenda sit scientia media. „Si gratia efficax,“ inquit, „penderet ex illa negativa dispositione seu non-resistentia arbitrii, sequeretur, quod ante decretum absolutum dandi homini gratiam efficacem, qua actualiter convertatur et salvetur, praesupponatur in Deo scientia media, qua certo cognoscat illam non-resistentiam negativam futuram ex hypothesi, quod tali excitatione voluntas moveretur; et ita esset constituenda in Deo scientia media, cuius contrarium disp. 7 ostensum est.“ Idem disp. 83. n. 8. p. 665: „Auxilium efficax praeoperantis gratiae secundum suam realem virtutem et perfectionem intrinsecam, quam habet, ut venit a Deo, est congruum, ut per illud efficaciter moveatur voluntas, in quibuscumque circumstantiis tribuatur illi. Itaque illa congruitas auxilii non dependet ex complexione naturali subiecti, neque ex aliis accidentibus illius, nec variatur ex diversitate illorum, qui per motionem efficacem adiuvantur.“

[4] L. c. d. 122. n. 17: „Duo haec [sunt] incompossibilia, quod gratia efficax ponatur in homine et homo actu dissentiat,“ et alibi. Billuart quoque l. c. diss. 5. art. 7. § 3: „Cum *repugnet*,“ inquit, „esse applicationem activam [potentiae] sine passiva, sequitur esse infallibilem connexionem inter gratiam applicantem voluntatem ad actum et voluntatem agentem.“

poni sine nova gratia repugnat. Item praedeterminatio potestatem non ponendae actionis non tollit, sed quominus haec potestas in *actum* exeat, impedit. Infallibilem igitur efficaciam habet ex sese, suae proprietate et virtute naturae [1], ex libera hominis voluntate non metiendam. Ita verba illa intelligemus, quibus Bannesiani mirificam vim praedeterminationis physicae praedicare solent, ut quum libellus Magistro generali Ord. Praed. mandante editus *omnipotentissimam, insuperabilem et indeclinabilem energiam gratiae per se efficacis* extollit [2]; quum PP. d'Avila, Lemos, Alvarez ei resisti posse negant [3]; quum illi ipsi, qui ita loqui verentur, tamen

---

[1] Goneto (l. c. n. 214) physica praedeterminatio est „motio divina ab intrinseco et *ex sua natura* efficax, quamvis causas liberas ad unum per modum liberi et non per modum naturae determinet.“ Alvarez autem „Potest accipi,“ inquit, „illud verbum *ex natura sua,* ut significet idem quod ex reali et intrinseca virtute, quam habet a solo Deo antecedenter ad liberam cooperationem arbitrii etiam praecognitam per scientiam, quam vocant mediam . . . qui sensus catholicus est“ (disp. 90. n. 4), et alibi.

[2] Apud H. Serry, Hist. Congr. de Auxil., Lugduni 1770, Append. p. 216.

[3] Loquens enim P. d'Avila (de grat. et lib. arb., Romae 1599. p. 451) de *morali* efficacia gratiae, quam sine *physica* praemotione ad actum fidei efficiendum non valere arbitratur: „Quantumcunque sit,“ inquit, „cognitio vehemens, non fit per hanc homo credens; *potest enim huiusmodi vocationi obsistere,* quacunque suppositione facta iuxta sententiam efficaciae moralis.“ Sed planius etiam et expressius idem eodem in libro praedeterminationem insuperabilem dicit; „Deus est,“ inquit, „prima causa omnibus causis secundis virtutem communicans et determinationem praefigens, cui *moventi nihil valet resistere.*“ Lemos pariter in aliqua Congregatione de Auxiliis „Si verbum resistere sumatur in suo rigore,“ inquit, „et de *propria resistentia* sit sermo, *nulla creatura potest resistere* efficaci Dei voluntati, *moventi efficaciter* per auxilium efficax, quia Scriptura expresse dicit: Nec est, qui tuae possit resistere voluntati. Non autem invenitur in Scriptura sacra: Non est, qui tuae voluntati dissentire possit“ (Acta Lemos, ed. Lovan. 1702. p. 1239 et seqq.). Eodem modo argumentatur Alvarez integro capite praecipuae illius recentioris *Thomismi* defensionis, quae *De Auxiliis divinae gratiae* inscribitur. Disputatione enim XCIII. quaerit „Utrum liberum arbitrium creatum possit *resistere* auxilio efficaci *proprie loquendo de resistentia.*“ Quod negat dicitque, quae Lemos: „Nunc autem dicimus Concilium Tridentinum, quod formalius de gratia et libero arbitrio loquutum est, nunquam usum fuisse verbo illo *resistere,* sed verbo *dissentire* et *abiicere,* ut insinuaret non esse idem formaliter: resistere seu posse *resistere* auxilio efficaci et posse *dissentire* seu *abiicere* gratiam vocationis, nisi verbum *resistere* in generali quadam significatione accipiatur. . . Ceterum verbum *resistere* in sua formali significatione importat quandam renitentiam, quae respectu Dei non potest competere alicui creaturae. Unde licet arbitrium, motum auxilio efficaci ad consentiendum, *possit dissentire,* si velit, *non tamen potest* Deo *resistere* vel auxilio eius efficaci, secun-

praedeterminationem ut ineluctabilem et immutabilem motionem, ut summe efficacem gratiam efficacissimi auctoris Divinaeque Omnipotentiae laudibus efferunt [1].

Iam vero ex iis, quae hactenus diximus, magnum lumen affertur celebri controversiae illustrandae: physicam praedeterminationem intelligi severe, ut haec duo complectatur: 1. efficientiam contrarie oppositam causis moralibus, quae non per se vereque agant operenturque effectum, sed suadendo, iubendo, excitando, invitando rationes offerant, quibus perspectis ad agendum voluntas moveatur; 2. internam consequentiae nexusque necessitatem, quoniam cum ipsa praesentis praedeterminationis physicae natura pugnat, non *actu* fieri id, quo tendit, aut non trahi ad agendum voluntatem [2]. Nec vero haec ita intelligi volumus,

---

dum quod est instrumentum voluntatis Divinae" (ed. Lugdun. 1611. p. 751). Eadem omnino Lemos pluribus Panopliae gratiae locis dicit: „Non est idem: arbitrium motum *posse dissentire* Deo vocanti et *posse resistere,* quia prima propositio secundum catholicam veritatem tenenda est, cum faciat sensum divisum, altera *neganda* est, cum faciat sensum compositum" (ed. Leod. 1676. tom. II. p. 25. n. 23). „Concilium Tridentinum *non* dicit, *nos posse resistere Deo vocanti,* sed tantummodo nos posse dissentire, quia primum facit sensum compositum et falsum est; alterum facit sensum divisum et verum est" (tom. III. p. 1. pag. 258. n. 226). Quod se Lemos et Alvarez consolantur, non definitum in Tridentino *resistere posse,* sed *dissentire posse,* id quidem solatium in Vaticano sublatum est, quum (cap. 3. de fide cath.) haec ipsa verba: *resistere posse* usurpata videamus. Nec vero quum verba veterum Bannesianorum a Concilio Vaticano repudiata esse dicimus, *Thomismum* recentiorem damnatum putamus. Nec enim sumus nescii, magnos eiusdem scholae theologos, ut Gonetum et Billuartum, dissidentes a veteribus illis concedere idem esse *resistere* et *dissentire,* et ita *posse* hominem gratiae efficaci *resistere,* ut *possit dissentire,* tametsi ut *actu* vel resistat vel dissentiat, si praesens sit gratia efficax, fieri nullo modo possit.

[1] „Utrumque enim, ut centies diximus, admittendum est, quod infallibiliter, insuperabiliter, immutabiliter voluntas hominis moveatur, et *tamen* huic motioni possit voluntas resistere." Massoulié, D. Thomas sui interpres I. diss. 2. q. 9. a. 7. p. 446. „Ab agente fortissimo gratia efficacissima divinaque omnipotentia voluntas applicatur." Massoul. l. c. II. diss. 3. q. 2. a. 7. p. 43.

[2] Ruiz, S. I., De scientia . . . Dei, Lutetiae Parisiorum 1629, disp. 38. sect. 2. n. 18. 19. p. 320: „Potissimum observandus est status praesentis controversiae, qui colligitur ex dictis: versatur enim potissimum praesens controversia in necessitate illationis, supponitur autem ab omnibus physica realisque causalitas. Quapropter extra statum controversiae versantur auctores, qui putant se sufficienter probasse physicam praedeterminationem, postquam probarunt physicum et reale genus causalitatis, non probantes expresse physicam illationis necessitatem, immo nec eam expresse profitentes, sed in argumentis, solutionibus, explicationibus ac definitionibus eam supponentes, quasi iam pro-

ut praedeterminationem propria causarum naturalium necessitate movere aut ita *antecedere* dicamus, ut tollat libertatem. De qua re mox videro. Hoc loco internam consequentiae nexusque necessitatem eam intelligo, quam Bannesiani omnes ex proprietate naturae praedeterminationis physicae demonstrant, quae si adsit, fieri non posse, ut non sequatur actus [1], ultroque concedo eosdem defendere, etiam praesente praedeterminatione manere tamen actus omittendi *potestatem*. Sed quum multi Iesuitae praevenienti gratiae non solum moralem, verum etiam physicam efficientiam actus liberi tribuant, alii id negent, etsi aliam efficientiam physicam gratiae admittunt: nihilominus omnes *internam nexus necessitatem* intercedere inter hanc *physicam* gratiae *praevenientis* efficientiam et deliberatum voluntatis actum negant [2]. In hac igitur re im-

---

batam, et virtualiter eam affirmantes, atque insuper supponentes, a nostris Doctoribus non concedi realem et physicam efficientiam primae causae, divinae praescientiae, voluntatis et praedestinationis, sed tantummodo concursum causalitatis moralis ad volitiones liberas. Ita procedunt Didacus Alvarez, Navarretus, Ledesma, Zumel. Nostri vero Doctores apertissime concedunt primae causae reale et physicum genus causalitatis, quo movet et concurrit ad liberas volitiones, et consequenter docent physicum et reale genus causalitatis esse, quo volitiones easdem causat divina scientia simul cum beneplacito divinae voluntatis, solummodo negantes physicam necessitatem illationis.“ Nec aliter loquuntur Ripalda et Suarez, quorum alter cum Lessio, Molina, Ruiz a *physica* gratiae *prae*venientis efficientia consensum liberi arbitrii repetit (v. infr. notam abhinc alteram), de ente supern. disp. 113. sect. 1—6, alter contra existimat. Quibus accedit Gonetus, qui in celebratissimo Clypeo thom. de praedest. disp. 6. a. 5. § 1. n. 67. ita scribit: „Notandum tertio, divinam motionem in creatura receptam ab eisdem Thomistis *physicam* appellari, non quod forma naturalis sit seu per modum naturae ad unum determinans, sed quia *ex propria essentia et ab intrinseco est efficax* [i. e. *infallibiliter* consensum inferens], independenter a quocumque creato consensu. . . Exemplum tibi dat ipse Thomista, dum docet, gratiam physice expellere peccatum, . . . quia oppositionem habet cum illo ex sua propria essentia et ab intrinseco.“

[1] Bañez „Notandum ergo,“ inquit, „*necessarium* opponi per se primo, *possibili* non esse“ (I. qu. 19. a. 8); idem omnes et philosophi et theologi ac nominatim S. Thomas (I. qu. 82. a. 1) dicunt.

[2] Vide locos altera nota superiore allatos. Uno loco Ripalda (l. c. sect. 2. n. 1 et 2. p. 512. „Plures,“ inquit, „e Societate tuemur, gratiam praevenientem non solum moraliter, sed etiam physice efficere determinationem voluntatis.“ Tum de omnibus Societatis theologis: „Nos non negamus Deum esse primam causam physice et proprie efficientem consensus et etiam physice praemoventem voluntatis; admittimus enim gratiam praevenientem physice a Deo produci et physica entitate movere antecedenter atque adeo etiam praemovere voluntatem ad consensum, id quod etiam auxilio sufficienti concedimus, praesertim qui virtutem physice efficientem consensus gratiae praeve-

primis disceptatio versatur, unde sit et qualis gratiae *infallibilis* efficacia; in ipsane gratiae proprietate *intrinsecus* concludatur, an ei *extrinsecus* adveniat.

Diximus eam a Iesuitis ab aliqua re seiuncta a gratia, h. e. a praescientia Dei *extrinsecus* derivari, qui, quum ab omni aeternitate novisset, quempiam certae cuidam gratiae oblatae consensurum esse, quamvis ea non per sese infallibiliter operaretur, eam ipsam dare et physice ac moraliter cum voluntate et in ea actum liberum efficere decrevisset. Ex quo confutantur quorundam temere conceptae de gratiae doctrina Iesuitarum opiniones. Nam quum ambigua sit appellatio *efficaciae,* quae vim propriam atque internam significare videtur, obiiciunt, ex doctrina Iesuitarum voluntatem esse humanam, quae gratiae conferat suam efficaciam vel virtutem. Quod quidem absurdum est; voluntas enim gratiae non modo non confert, sed omnem consentiendi ab ea accipit virtutem. Quodsi efficaciam gratiae effectum fructumque eius, i. e. actum voluntatis, intelligimus, is sane non a gratia sola, quae causa principalis est, sed simul etiam a libertate arbitrii pendet, quod, ut in Tridentino definitum est, ita assentitur gratiae, ut dissentire possit. Sin *efficaciam* gratiae *infallibilem* connexionem virtutis gratiae cum effectu intelligimus, ea a *scientia media* repetenda est. Sequitur etiam falsam prorsus esse illam opinionem, e Societatis doctrina gratiae efficaciam ex rebus adiunctis dependere sitamque esse in convenientia gratiae cum iis adiunctis, in quibus voluntas posita sit. Etsi enim Deus de voluntatis obtemperatione certo cognoscere non potest, nisi adiuncta vidit — fieri enim potest, ut eidem gratiae voluntas sic affecta consentiat, aliter, dissentiat — et voluntas eo facilius obtemperatura est gratiae, quo haec est ingenio, inclinationi, assuetudini, affectioni, conditioni congruentior: tamen *huius* convenientiae nulla est certa et absoluta, sed moralis tantummodo et probabilis efficacia, potestque voluntas eiusmodi gratiae, quamvis prope ad necessitatem accedat, non consentire, et rursum fieri potest, ut gratiae non *ita* congruenti sit obtemperatura. Sed et haec gratia sine illa convenientia vere efficax vel congrua *effectui* est, et illa maxime

---

nienti tribuimus. Eo igitur solum dissentiunt a nobis adversarii, quod auxilium efficax physice praemovens voluntatem constituunt intrinsece connexum cum consensu ab eoque intrinsece inseparabile," h. e. illa ipsa consequentiae atque nexus necessitate. Admitti autem a theologis Societatis atque ipso Lessio multiplicem efficientiam physicam gratiae, Schaezler demonstrat in Novis Inquisitionibus. (Neue Untersuchungen p. 229 sqq.)

conveniens tamen inefficax seu *incongrua* dici debet[1]. Voluntatis est igitur et arbitrii, cui vel convenientiae vel bonitati consentire velit, determinare; sed haec ipsa determinatio non ignoratur a Deo, qui vi *scientiae mediae* videat, sitne voluntas et quando sit gratiae obtemperatura. Infallibilis est igitur gratia efficax *scientiae mediae coniuncta.* Nec tamen voluntas creata divinae resistere potest[2]. Nam tantae sunt Divinae Omnipotentiae divitiae gratiarum, tam multiplices Providentiae rationes, ut modi viaeque deficere non possint, quibus Deus, scientia media certissime dirigente, ad *quemlibet* actum moveat atque ducat, et plane constrictam teneat liberam voluntatem, quae ipsa per se agere nihil supernaturale potest, nisi praeveniente ac roborante, excitante atque cooperante gratia.

Ergo falsum est gratiam a nobis proponi indifferentem ac *versatilem.* Illam enim intelligere non possumus nisi motum ad honeste agendum; nec minus est indifferens lumen ad illuminandum, sacramenta ad gratias conferendas, sanguis Christi ad reconciliandos peccatores, quorum omnium tolli potest effectus, quam gratia ad id agendum, ad quod trahit voluntatem, quae potest tracta resistere. Falsum est doceri a nobis, Deum actum tantum efficere, non facultates, h. e. intellectum et voluntatem, praemovere atque altius omni virtute naturaque elevare; aut non excitari a Deo vires vitales hominis; aut actus initium a natura elici et addi a gratia rationem supernaturalem; aut virtutem solam a Deo conferri, actum autem non effici; postremo omnis efficientiae partem praecipuam tribui voluntati, cuius arbitrio Deus serviat. Immo vero docemus, hominem in operanda salute a Deo praeveniri, a quo penitus aptus sit ac pendeat, sine cujus ope prorsus nihil agere possit. Dei ductum sequitur voluntas, virtute ab ipso instructa, suscitante et movente et adiuvante et collaborante gratia. Ac quamquam voluntas gratiis singulis resistere potest, nihilominus Deus pro suo arbitrio, liberrime, infallibiliter, certa scientia ac determinata voluntate, quidquid vult, in homine et per hominem operatur, quum liberrimo et plane inscrutabili delectu alteri eas gratias largiatur, quibus eum praevidet esse assensurum, eas non det, quibus eum scit repugnaturum, cum

---

[1] Cf. Suar., De auxiliis III. 14. n. 7. 8. 9.

[2] Quodsi obiicias: fieri posse, ut aliqua voluntas universis gratiis obsistat: satis est hoc loco respondere, id si sit ita, huiusmodi portentum creari *potentia ordinata* non posse.

altero vero aliter agat; Iudaeis eas gratias contulerit, quas frustra fore videbat, easdem Tyriis negaverit, qui bene iis erant usuri.

Itaque infallibilem esse gratiae efficaciam utrique defendimus; cur sit, varie explicamus et varia ex illo primo capite controverso concludimus. Quae praecipue versantur 1. in divisione ac descriptione gratiarum; 2. in explicatione Tridentini, maxime illius *potestatis dissentiendi,* quae a Patribus definita est; 3. in circumscriptione libertatis et necessitatis; 4. in doctrina de praescientia Dei.

1. Secundum Molinistas eisdem gratiis praevenientibus potest alter resistere (eruntque illae mere sufficientes), alter assentiri (eruntque efficaces), potest promptius alter, alter remissius consentire. Non item secundum Bannesianos. Nam eadem physica praedeterminatio, insita, necessaria, certa efficacia, idem omni in homine omni tempore operatur, si adest; si abest, nihil quidquam salutare fieri potest. Contrarium est huic doctrinae, easdem gratias in altero efficaces esse, in altero inefficaces, quia gratia efficax a sufficiente *natura* differt; hanc *excitantem* censent, ut agere possis, illam *adiuvantem*, ut agas. Contra theologi Societatis Iesu efficacem *illam* gratiam *excitantem* dicere solent, cui Deus vidit hominem assensurum; gratiam *excitantem*, cui resistitur, sufficientem vocant.

Porro Bannesiani sibi constant, quum gratiam efficacem adaequatam causam esse volunt cooperationis humanae et hanc ex illa sola metiendam. At theologi Societatis concedentes gratiam praecipuam et superiorem, voluntatem secundariam, subiectam subnexamque esse causam operandae salutis, et illam totum actum, immo in suo ordine solam efficere, quum alia praeter Deum *prima* causa esse non possit: iidem tamen defendunt, quia actus nisi utriusque causae consensione non perficiatur et, ut vel sit omnino vel talis sit, a voluntatis intentione pendeat, quae varia esse possit, idcirco gratiam liberumque arbitrium recte duas causas partiales actus salutaris dici posse.

Ut utriusque doctrinae discrepantia magis eluceat, quatuor res in omni efficientia liberae voluntatis discernere placet: 1. virtutem, unde fluat; 2. suscitationem ad agendum, quae sit in illustratione et motu indeliberato; 3. actus a voluntate processum i. e. eius ad eliciendum actum inclinationem et applicationem; 4. actus absolutionem. In horum primo et altero et quarto nulla dissensio est. Profitentur utrique virtutem excitationemque a gratia proficisci actumque Deo *physice* adiuvante absolvi. De

tertio disputatur[1]. Iesuitae contendunt, Deum *physice* gratiam excitantem in anima producere, hancque gratiam *physice* productam et *physice* in anima existentem voluntatem ad liberum actum producendum *moraliter,* i. e. illustrando et incitando, sollicitare; multi dicunt, praevenientis gratiae efficientiam ad liberum actum ciendum etiam *physicam* esse[2]; omnes negant, gratiam *praevenientem* per se *solam* actum liberum infallibiliter consequi, cum eaque liberum arbitrium ita coniungunt, ut illi tribuant primariam omnino, libertati tamen aliquam secundariam eamque ipsa gratia collatam vim actus liberi ciendi, ita ut, si lubet, actum omittat et gratiae effectum impediat. Bannesiani autem defendunt, gratiam efficacem sive physicam praedeterminationem per se adaequate virtute insita actum certo ciere, voluntate physice praedeterminanda eiusque potestate ad agendum applicanda. Ad duas igitur res praedeterminatio adhibetur, 1. ut *praeveniendo* eo, quo diximus, modo, volendi facultatem moveat, 2. ut *adiuvanda* voluntate cum ea actum perficiat. Prius illud Iesuitae negant, quod nec cum libertate conciliari possit et prorsus supervacaneum sit; satis enim gratia *excitante* volendi facultatem praemoveri, ita ut etiam actus aliquis (indeliberatus) sequatur; ab eo autem actu ad alium (liberum) vi eiusdem gratiae voluntatem se ipsam movere posse. Addunt, quantumlibet magna vis sit motionis gratiae praevenientis ad actum efficiendum, tamen ea praesente liberum integrumque esse voluntati, velitne necne et qua promptitudine motionem illam sequi. Necesse enim esse in aliquam actionis partem convenire illud, quod Scriptura planissime enuntiet: „Deus *reliquit* hominem in manu consilii sui. . . Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi“ (Eccl. 15, 14. 17. 18). „*Exspectavit,* ut faceret uvas, et fecit labruscas. . . Quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei?“ (Is. 5, 2. 4.)

---

[1] Massoulié, Div. Thom. sui interpres. Diss. II. qu. IX. art. VII. *Septimo.* tom. I. p. 448. „Ad hoc enim veluti punctum controversiam omnem restringimus; scilicet unde in genere efficientis causae ille nostrae voluntatis motus et actus oriatur, seu unde oriatur determinatio voluntatis, ut a voluntate emanat; utrum scilicet a Deo, an vero ab ipsamet voluntate; inter haec duo, cum immediate et directe opponantur, impossibile est, medium reperiri.“ Omnino hoc est, in quo quaestio vertatur, si quidem determinationem proprie ac presse eam efficientiam interpretamur, qua, ipsius vi naturae, actus certo efficiatur.

[2] Si alii Societatis Iesu negant, alii affirmant, hanc efficientiam esse physicam, non multum inter se dissident; v. p. 14. not. 2. et p. 15. not. 2.

Ergo Deus, posteaquam omni, quo dictum est, modo hominem *praevenit,* deinde eius *relinquit* arbitrio, ad aquamne an ignem manum porrigat; et *exspectat*[1], ut uvas homo faciat, sed potest hic facere labruscas, et uvas quidem meliores ac dulciores, labruscas acriores atque acerbiores.

In hoc offenduntur Bannesiani. Obiiciunt enim, in ipso discrimine determinationis voluntatem a nobis constitui sui iuris, immo Deum iuris alieni, qui prospicere debeat, illi quid libeat, ut ipse serviat; actum non solum absolvi, sed produci a Deo; non tantum gratiam, verum etiam usum eius Dei donum esse; neutrum igitur ita subiectum esse voluntati, ut plane ab eius lubitu pendeat; cooperationem hominis non minus quam cetera Deo attribui debere.

Iesuitae respondent, eos ambiguitate verbi errare, quum non animadvertant, si determinationem e voluntate pendere defendatur, omnem a se *praevenientem* Dei motionem, nulli subiectam, supremam, absolutam, vi scientiae mediae infallibilem, *supponi.* Ita e sua quoque doctrina actus originem et gratiae usum a Deo repeti; Deum prospicere et exspectare non hominum more, sed ab omni aeternitate futura videre atque intueri, quid quisque in animorum innumerabili multitudine in omni multiplicitate conditionum gratia motus ipsius gratiae vi atque instinctu acturus sit; tum eum liberrimo consilio, cuius misereri velit, ei illas gratias largiri, quibus voluntatem consensuram esse praeviderit; iam necesse sane esse ipsum Deum tum cooperari, sed idcirco, quia a se ipso dissentire non possit. Omnia igitur Deo miserenti tribuenda esse, sed verissime dici, quod Ecclesia identidem definiverit, posse voluntatem suo arbitratu, cui gratiae consentiat, eidem vere *resistere.* Neque enim tolli causam, si tolli possit effectus. Sacram eucharistiam vere causam esse gratiarum, licet homo, ne conferantur, impedire possit. Quamobrem nequaquam negare dicendi sunt Iesuitae, Dei supremam nullique subiectam esse vim operandi, sed tantummodo *nexum* intercedere *internum ac necessarium* inter Dei actionem *praevenientem* et *liberam* arbitrii determinationem, vel generatim dici possunt negare, *actum primum* voluntatis creatae

[1] Augustinus quoque *exspectare* Deum dicit in ps. 144. n. 11: „Vocat te nunc, exhortatur te nunc, exspectat, donec resipiscas et te tradas.“ Intelligi certe debet, quum Iesuitae secundum S. Scripturam et S. Augustinum exspectare Deum dicant, eos non illud tenere, quod Concilii Arausicani canone 4. damnatum est, Deum, *antequam* det gratiam, exspectare, ut eam homo *naturae* viribus quaerat.

(quo *praevenientem* quoque actionem Dei contineri volunt) naturae necessitate cum *actu secundo* seu determinatione libera connecti. Defendunt eundem actum primum secundum alium et alium pro arbitrii decreto et determinatione subsequi posse. Quamvis igitur sit magna vis praevenientis gratiae ad actum efficiendum, eundem tamen pro sua parte efficere voluntatem quoque, ita quidem, ut et ab ipsa et a gratia tum existentia tum intensio actus liberi repetenda sint possitque eadem gratia in voluntatibus eodem modo extrinsecus affectis modo nullum, modo trigesimum, alias sexagesimum, alias centesimum fructum omnemque reliquam varietatem afferre. Contra est in doctrina Bannesianorum. Licet enim, id quod nonnulli volunt, Deus varie pro dispositionis varietate praedeterminet, *uni eidemque* praedeterminationi *idem* respondet exitus; sic enim, ut praedeterminat Deus, determinatur atque se ipsa determinat voluntas. Et quamquam actus vere et libere efficitur a voluntate, ut absoluti actus Deus causa quidem sit, sed non sola: tamen praedeterminandae ad agendum voluntatis et ciendi actus omnino adaequata causa et mensura gratia divina est. Quare ex *ipsa* praedeterminatione Thomistica Deus actum praenoscit, ex praeveniente gratia Iesuitarum praenoscere non potest.

2. Explicandi Tridentini differentias multiplices ad praecipua capita revocabimus.

Definitum est in Concilio, non *omnino nihil agentem* liberam voluntatem inspirationem divinam recipere atque Deo vocanti obedire[1]. „Nimirum agit," inquiunt Bannesiani, „quum recepta praedeterminatione physica eius instinctu mota *suum* ipsa *actum* efficit."[2] Reponunt Iesuitae, id egisse Patres Tridentinos, ut docerent, *recipiendo gratiam* non omnino nihil agere voluntatem, quia illam *repudiare* esset in eius potestate (cap. 5. de iustific.); voluisse igitur definire, quae ratio intercederet *voluntatis* ad *gratiam* efficacem.

---

[1] Sess. VI cap. 5. de iustificatione: „. . . tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agit, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abiicere potest" etc. Can. 4: „Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere: a. s."

[2] Alvarez: „Licet passive se habeat in ordine ad auxilium praevium, tamen in ordine ad actum liberum, ad quem movetur, se habet active et libere" (disp. 19. n. 6. p. 157). Gonet l. c. p. 208.

Praeterea quoniam et in Tridentino et contra Iansenium definivit Ecclesia [1], liberum arbitrium etiam motum gratia [efficaci] *posse* dissentire, iustis Dei mandata non esse *impossibilia* nec iis deesse gratiam, qua *possibilia* fierent: hoc ipsum *posse* utraque schola varie explicat. Bannesiani intelligunt veram omnino plenamque *potestatem* gratiae vel consentiendi vel dissentiendi; sed eam non necessario tolli, si ipsius *actus* fieri non possit. Atque haec celeberrima illa distinctio est sensus *compositi* et *divisi,* unde maxime ratio doctrinae Bannesianae intelligitur. Differre dicunt *posse* agere et *agere;* et licet *simul* esse non possint actus physice praedeterminantis gratiae et contrarius actus dissentientis voluntatis [2], posse tamen praesente praedeterminatione potestatem inefficacem [3] actus contrarii conservari. Habet voluntas gratia efficaci determinata potestatem dissentiendi, sed ut *actu* dissentiat, fieri non potest; et habet sola gratia sufficienti instructa potestatem consentiendi, sed ut *actu* consentiat, absente praedeterminatione, item fieri non potest. Cuius distinctionis rationem metaphysicam afferunt differentiam possibilitatis et veritatis, potestatis et actus. Idem ex natura hominis ita explicant. Libertatem seu agendi indifferentiam, qua fit, ut aliquid *vel facere vel non facere* possim, quamvis propria sit voluntatis, oriri tamen et niti indifferentia iudicii, quum ratio offerat aliquid voluntati, quod esse bonum nec perfectum nec necessarium intelligat. Cum iudicii indifferentia non posse non coniungi indifferentiam voluntatis. Illa igitur non sublata vi gratiae physice praedeterminantis, hanc quoque manere, et potestatem agendi vel non agendi relinqui [4]. Quo vero evi-

---

[1] Can. 18: „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, a. s.“ 1. ex 5 prop. damn. Iansenii: „Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.“ Praeterea vide p. 23. not. 2.

[2] Alvarez lib. IX. disp. 94. p. 753: „Quando (S. Thomae) discipuli dicunt, liberum hominis arbitrium, motum a Deo auxilio efficaci, non posse *in sensu composito* dissentire aut non operari: nihil aliud significatur, quam motionem illam efficacem et actualem dissensum non posse simul poni in eodem arbitrio.“ Billuart, tr. de Deo, diss. 8. a. 4. § 2. p. 346. 347: „*In sensu composito*, h. e. voluntas non potest simul jungere non actum cum motione ad actum.“

[3] Alvarez l. c.: „Potestas nunquam ad actum reducenda.“ Billuart l. c.: „Sensus divisus dividit actum non a potentia ad actum oppositum, sed tantum ab actu opposito.“

[4] Alvarez lib. XII. disp. 116. n. 9. p. 926: „Indifferentia obiecti sive

dentius appareat, potestatem esse posse carentem actu, Alvarez similitudinem adhibet facultatis videndi, qua *posse* videre dicimur, etiamsi ut *actu* videamus alia multa sint necessaria, Lemos autem sacerdotis triticeo pane et vino carentis, quem repugnet ea potestate, quam habeat consecrandi, uti [1].

Quam explicandi rationem Iesuitae reprehendunt; nam de ea quaeri libertate, quae merito et culpae imputandae sufficiat [2]; ad id autem non sufficere eam potestatem, qua nos uti propter causam minime arbitrio subiectam plane repugnat; nisi ad potestatem accedat, quod ea, ut lubet, libere uti vel non uti possimus, actum vel laudi vel vitio verti non posse homini tamquam auctori; quare utraque re illud *posse,* quod Ecclesia definiverit, constare: et potestate et ea utendi facultate; gratiam illud *posse* non afferre, nisi conditiones ad *agendum* necessarias afferat aut eas certe libero subiiciat arbitrio; etsi enim semper necesse non sit, hominem ad omnem actum *proxime* paratum satisque instructum esse, eum tamen ea vi pollere oportere, ut, si lubeat, sine alio *praeveniente* auxilio aliquos actus, saltem orationis, perficiat, quibus ea sibi comparet, quae ad mandata actu implenda necessaria sint. Iam vero docere Bannesianos praedeterminationem necessariam esse ad actus *prae*parationem nec tamen aut conferri a gratia sufficienti aut subiici voluntati. *Posse* igitur, ut oportet, salutariter agere, id gratia sufficiente non contineri. Nam *posse* referri ad *agendum;* nec quidquam praeter *actionem* cadere sub meritum; *actus* autem quî effici potest, si necessaria *prae*paratione careas? Culpae verti quî potest, quod sit ita praetermissum? Quis vitium dicat, si quis sanis oculis et integra facultate videndi

---

obiectiva et indifferentia iudicii rationis, quo intellectus proponit voluntati ipsum objectum, ut amandum non ex necessitate, sed cum indifferentia activa ipsius voluntatis ad utrumlibet, quia videlicet iudicat, tale obiectum propositum non habere necessariam connexionem cum fine et cum bono, ad quod amandum voluntas est naturaliter determinata, ita est radix libertatis, quae formaliter residet in voluntate, ut impossibile sit, quod voluntas per illud iudicium feratur in tale obiectum, et quod absque libertate velit illud. Itaque si voluntas vult illud obiectum sic propositum, necesse est, ut libere, et non ex necessitate absoluta, velit illud."

[1] Alvarez l. VIII. disp. 79. n. 2. p. 638. Acta Lemos col. 1247.

[2] Quod intelligi debet ex 3. prop. damn. Iansenii: „Ad *merendum et demerendum* in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione;" libertate enim a necessitate omnes Catholici dicunt illud *posse* contineri; et de morali imputatione agi ipse Billuart profitetur.

in tenebris tamen non viderit? Quis sacerdotem reprehendat, quod carens pane et vino missam omiserit, nimirum rite consecratus et celebrandi facultate ornatus? Quid vitii est aut quid meriti in ea potestate, qua uti nequeam? Ecclesiam autem illud *posse* imprimis ad *imputationem* moralem retulisse. Similiter Iesuitae negant eam ipsam *potestatem* consistere, quam praedeterminatio physica voluntati relinquere dicatur. Nec enim, illa praesente, omitti actus salutaris ullo pacto potest, idque non ob determinationem liberi arbitrii, sed ob illam *antevertentem* aliunde ipsi illatam; non igitur a physica praemotione videri relinqui, ut vel agere vel non agere vere *possit*. Frustra autem ex animi natura argumentum peti. Etsi enim voluntatis indifferentia ex aequabili vel ancipiti rationis iudicio efflorescat, tamen non ostendi, nulla vi impediri posse quominus inde oriatur. Posse Deum, iudicio manente indifferenti, tamen voluntatem ad rem aliquam appetendam necessitate compellere, atque huiusmodi motus necessarios gratia excitante cieri.

Addunt hanc confirmationem: potestatis morali imputationi coniunctae notionem esse communem, pervulgatam ipsique naturae insitam, quam, ut S. Augustinus dicat, *cantent et in montibus pastores et in theatris poëtae et indocti in circulis et docti in bibliothecis et magistri in scholis et antistites in locis sacris et in orbe terrarum genus humanum.* (De duabus animabus, c. 11. n. 15.) Quamobrem Ecclesiae de illa potestate definitionem et condemnationem anathemate sancitam ad communem vulgaremque opinionem interpretandam esse. Iam vero fatentur Bannesiani vulgari opinione suam gratiam sufficientem ad agendum non sufficere [1]; idem est enim, si usitate loqui volumus, *me aliquid agere non posse,* quod *fieri non posse, ut id agam.* Clarissimi theologi, nec Iesuitae solum, verum ne Thomassinus quidem aut Tournelius aut S. Ligorius [2] intelligere possunt, gratiam sufficientem recentiorum *Thomistarum* ad servanda mandata satis valere. Illud certe vituperatione non caret, quod notionem evidentem et communissimam explicatione theologica ita contorquent, ut intelligi posse non videatur.

---

[1] „Quamvis gratia Thomistice sufficiens, si usitato ac vulgari loquendi modo inhaerere velimus, non sit vere sufficiens ad actu agendum.“ Graveson, Epist. tom. II. ep. 5. p. 102.

[2] „Concilium Trident.“ nr. 106. et 107., ubi S. Doctor etiam Thomassini et Tournelii auctoritatibus utitur.

Ad haec Bannesiani respondent, notionem gratiae sufficientis ad theologiam pertinere nec ad vulgi opinionem, sed ad scientiam interpretandam esse[1]; esse potestatem veram, perfectam, expeditam, nec aliud quidquam ad meriti rationem requiri[2]; accedere, quod sua quisque culpa gratia efficaci careat[3].

Iesuitae autem ultro concedentes, adversarios sincere doctrinam Catholicam tueri de vera potestate, quam gratia sufficiens conferat, de *explicatione* tamen eius veritatis atque dogmatis dubitant, sitne Ecclesiae definitioni consentanea. Theologiam discrepare non oportere a sensu communi, cuius hanc vocem audire videamur: Quomodo id possum agere, quod ne agam, necessaria *prae*paratione careo? Immo vero quid *culpae* est illud omittere? Posteriores Bannesiani levare difficultatem student, cum dicunt, eum, cui adsit gratia sufficiens, desit efficax, idcirco servare praecepta divina posse, quia sua culpa fiat, ut careat gratia efficaci. Atque alii quidem iique *primae notae Thomistae*, ut scribit Billuart (l. c.), satis causae esse aiunt, cur Deus efficacem gratiam neget, peccatum aliquod praeteritum, quin etiam originale. Id si ita se habet, evidens est, huiusmodi hominem, quum peccatum praeteritum infectum facere non possit, in praesenti rerum conditione gratiam efficacem consequi nullo modo posse. Qua difficultate pressi alii sic se expediunt: peccari resistendo ipsi gratiae sufficienti, et praesenti, non praeterita culpa fieri, ut homo gratia efficaci privetur, quam Deus daturus fuisset, nisi illud impedimentum obiectum esset. Nec vero isto modo rem satis explicant. Praecedit enim culpa resistendi privationem gratiae efficacis; ergo praecedit etiam, quidquid ad culpae rationem requiritur, maxime vero *potestas* gratiae sufficienti *resistendi aut non resistendi*. Iam vero iidem volunt, ut *non resistatur*, id nisi gratia *efficaci* fieri non posse[4]. Illam igitur non resistendi facultatem, quae ad rationem culpae requiritur, praecedere debuit gratia efficax, quae ne daretur eadem culpa dicitur impedivisse! Praecedere igitur dicenda est culpa privationem gratiae efficacis, quamquam nisi hac ipsa praesente illa concipi non potest. Sed haec repugnantia esse, in primo potissimum peccato vel prima negligentia intelligitur. Quae ut vitaretur necesse fuit datam esse gratiam effica-

---

[1] Graveson l. c.

[2] Alvarez disp. 71. n. 12. p. 606. et alibi.

[3] Billuart tom. I. diss. 8. art. 4. § 3. p. 360.

[4] Billuart l. c.

cem; non erat autem data, sed negata. Quare negata? Non ob peccatum primum, quia *postea* factum est. Dicent recentiores *Thomistae,* ipsam gratiam sufficientem sine efficaci veram conferre potestatem gratiae non resistendi et satis esse ad culpam, quamquam, ut re vera non resistatur, sine gratia efficaci fieri non possit. Sed haec illa ipsa difficultas est, ad quam levandam gratia efficax dicebatur ob culpam hominis negari. Quamobrem hoc manet: hanc ipsam sententiam fundamentum quoddam esse doctrinae Bannesianae, quantumlibet in ea intelligenda sit laborandum.

3. Nec minus discrepant, quae de libertate et necessitate utrimque disputantur.

Communiter libertatem definimus eam voluntatis vim atque facultatem, ut „habitis omnibus ad agendum praerequisitis, agere vel non agere possit.“ Unde concludimus, „habitis omnibus ad agendum praerequisitis,“ e voluntate pendere, ut potestate illa pro arbitrio utatur. Etsi enim voluntas nisi a Deo adiuta elicere actum e potentia non potest, quia tamen, quidquid Deum agere necesse est, aut praecedit determinationem aut comitatur: alterum quidem illa praeparatione continetur, qua absoluta voluntatis est se ipsam determinare, alterum autem cum hac ipsa determinatione habetur. Iam vero Iesuitae negant, e doctrina Bannesianorum aut illam potestatem libertate comprehensam esse satis expeditam aut huic voluntatis determinationi locum esse; cum illa enim gratia sufficienti *sola* non posse fieri, ut voluntas ad arbitrium *re vera agat,* quia opus sit *prae*determinatione; quae si accesserit, *ante* sui determinationem voluntati integrum iam non esse actum omittere. Huiusmodi autem potestatem, quam exerceri ob causam voluntatis arbitrio alienam repugnet, inanem ac nullam esse; inanem ac nullam esse etiam sui ipsius determinationem, quam vis extrinsecus illata iam *antea* flexerit. Quapropter ut homo libere agere vere dicatur, omni vel a Deo vel ab ipso *prae*paratione peracta, necesse esse ut nulla antevertente divina motione ad unum aliquid determinante in arbitrii potestate positum sit, utrum agere necne placeat ac libeat.

Quam argumentationem impugnant Bannesiani. Et alii quidem ipsam definitionem molestam libertatis nominalisticam esse volunt. Sed quoniam vetus est et ante huius controversiae initium pervulgata, utpote quam Capreolus, Thomistarum princeps, iam approbet, ipsi Sotus et Medina [1] pro explorata assumant et Bellar-

---

[1] Soto, De nat. et gr. l. 1. c. 16. et Medina, in I. II. qu. 6. a. 2.

minus[1], illorum aequalis, *communem* appellet: plerique Bannesiani posteriores eam defendunt atque e suae doctrinae ratione interpretantur. Aiunt enim, si *praerequiri* ad actum ea tantum dicamus, quae *tempore,* non natura praecedant, cum his liberam actus omissionem conciliari posse; sin illa quoque omnia comprehendi velimus, quae non tempore, sed *natura* praecedant (in quibus sit praedeterminatio physica), cum his solam potestatem omittendi actus, non ipsam omissionem componi posse[2]. Quam libertatis circumscriptionem ut Mastrius testatur, princeps Scotistarum recentiorum, aspernantur *scholae omnes*[3]. Eandem improbat Curiel Ord. S. Benedicti, cuius inter suos atque apud Salmanticenses summa in theologia auctoritas est[4].

Definivit Ecclesia, propositione tertia Iansenii damnata, libertatem a necessitate ad merendum et demerendum requiri. Iam vero necessarium S. Thomas definit *impossibile non esse.* Causas autem necessarias dicimus, quae ita sint *determinatae ad unum* aliquid, ut hoc ab iis *non* fieri sit antecedenter *impossibile.* Ab hac *antecedente* necessitate, quae proprie dicitur, distinguitur *consequens*[5], quam improprie nominamus, et eam intelligimus, qua repugnet id, quod fiat, quantumvis etiam libere, idem *simul* non fieri. Antecedenti igitur necessitati opposita est libertas, qua id, quod libere fiat, idem possit *non* fieri.

Ergo Bannesiani negant praedeterminatione physica necessitatem afferri voluntati, quippe cui veram relinquat *potestatem* actus omittendi; ea potestas si adsit, voluntatem posse abstinere ab agendo; non igitur esse per se impossibile actum non fieri, ergo nullam esse proprie necessitatem; necessitatem oriri, quum fiat actus et quatenus efficiatur; qua necessitate *consequente* non impediri libertatem. Immo vero tantum abesse, ut invicta Dei potentia, quae actum in voluntate efficiat, impediat, ut etiam pro-

---

[1] Liv. de Meyer, Hist. Congr. 783.

[2] Alvarez disp. 115. n. 3 ss. p. 915 ss. Billuart, diss. 8. art. 4. § 2.

[3] Mastrius, De anima disp. 7. qu. 2. art. 2. n. 20. „Hunc modum explicandi libertatis usum recipiunt *omnes scholae* extra Thomistarum, quae iure merito in hoc ab omnibus derelinquitur, nam explicando usum libertatis solum in sensu diviso a praerequisitis *nimis restringit libertatem nostram, imo totaliter auferre videtur.*" Pariter Dominicus Sotus, O. Pr., de ratione Divini concursus ad libertatem disputat. De natura et gratia I. 16.

[4] Cf. Suarez, Proleg. I. ad tract. de gratia I. c. 6, ed. Vivés, VII, 37.

[5] Nota est et pervulgata haec S. Anselmi distinctio: Est praecedens necessitas, quae *causa est, ut res sit,* et necessitas sequens, *quam res facit.*

creet et generet libertatem. Velle Deum non tantum, fieri actum, sed *libere* fieri, idque virtute omnipotentiae infallibiliter effici.

Iesuitae dogma de libertate agnosci a Bannesianis concedunt, quandoquidem hi defendant, id quod Ianseniani negaverint, gratiam sufficientem veram perfectamque potestatem agendi voluntati afferre nec eam potestatem praesente gratia efficaci ulla necessitate tolli; sed consentanea non videri, quae de ea ipsa re explicando doceant. Nam ex ipsa proprietate naturae praedeterminationis physicae consequi, ut id, ad quod impellat, non fieri non possit ideoque secundum S. Thomae definitionem fiat prorsus necessario. Quae praedeterminatio quia non subiiciatur libero arbitrio, sed id ipsum *antevertendo* sua virtute *sola* propellat ad agendum, necessitatem quoque, illa praedeterminatione allatam, voluntatem *antevertere*, eius libertati non subiici, eam sua virtute *sola* propellere ad actum, adeoque verissime *antecedentem* appellari. Quidquid voluntatis actum praecedere a Bannesianis dicatur: vel aeternum atque immutabile Dei consilium, ante omnem actus humani liberi praevisionem initum de actu efficiendo, vel insuperabilem potentiam, quae id consilium exsequatur, vel invictam praedeterminationem ita illabentem intimis voluntatis motibus, ut eos antevertendo sua *indeclinabili* virtute suscitet et procreet: ea omnia imminere veluti rupes coelo iunctas, quae nullo pacto moveri possint a mortalium infirmitate, nedum auferri. Huiusmodi vero necessitatem antecedentem, indeclinabilem, insertam ipsi voluntatis arbitrio opponi ac repugnare verae illi perfectaeque potestati aliter agendi, e qua meriti et culpae ratio pendeat, nec ab ipsa Omnipotentia Divina haec duo natura sua repugnantia simul effici posse. Quod non *tempore* praecedat praedeterminatio actum voluntatis, id nihil differre; e natura enim rei, non e temporis ratione iudicandum esse, quae necessitas dicenda sit antecedens. Secundum Societatis doctrinam etiamsi infallibilitas eique adiuncta necessitas *tempore* antecedat voluntatem, quia tamen ipsa scientiam mediam, haec actus liberi praevisam veritatem consequatur: idcirco necessitatem illam *natura* sua ex usu libertatis praeviso pendentem (cum cuius determinatione simul esse non possit actus omissio) rite vocari *consequentem,* quum ex actus veritate fluat; atque id quidem inter theologos omnes convenire. Quodsi necessitatem consequentem, Anselmo, Thoma, veteribus Thomistis auctoribus, ad principium contradictionis reduci dicamus *(idem nequit simul esse et non esse)*, id quidem in eam necessitatem, quae *scientia media* nitatur, convenire, a *praedetermi-*

natione physica alienum esse, quae nec sit ipse actus liber, nec eius veritatem cognitam sequatur; nec enim secundum *contradictionis principium* concludi posse, si adsit praedeterminatio, non posse simul abesse actum, sed id ex vi *causae* intelligi, quae carere effectu non possit; vere igitur illam effici necessitatem, quam S. Anselmus dicat praecedentem, „quae *causa* est, ut res [actus] sit".

Bannesiani de argumentationis repugnantia se purgant, quum negant, omni causae antecedenti antecedentem necessitatem, quae libertatem tollat, annexam esse. In decretis divinis esse, non solum ut fiant actus, sed ut fiant libere, i. e. cum omittendi actus potestate; his effici, non tolli libertatem [1]. Nec vero mirandum esse, si difficile videatur cum libertate conciliare actus infallibilitatem; mysterium esse non scrutandum, sed credendum, quemadmodum Sanctissimae Trinitatis. Neque praetermittunt Bannesiani, quin repugnantiae accusationem in scientiam mediam reiiciant.

4. Deus quum non modo, quae fieri possint *scientia simplicis intelligentiae*, et quae aliquando futura sint, *scientia visionis* cognoscat, verum etiam, ut nunc ab utraque schola defenditur, actus liberos *aliqua conditione* futuros, v. g. Tyrios fuisse credituros, si miracula Christi vidissent, vel Ceilanos Davidem prodituros fuisse, si in illorum urbe mansisset: in *omnem* actus *liberi* praevisionem a Iesuitis applicatur illud, quod SS. Patres communiter ponere solent: Non ideo fieri actus liberos, quia Deus praeviderit, sed contra a Deo praevideri, quia futuri sint [2], non quod ex actibus ipsis oriatur atque efficiatur praevisio, sed conditio sunt, ut praevideri possint. Bipartitam autem illam distinctionem pervulgatam simplicis intelligentiae et visionis Iesuitae addita scientia *media* complent, quae quidem actiones liberas aliqua conditione futuras complectatur nec aut priori aut posteriori subiecta sit, sed aliquid ex utraque mutuetur; praecedit autem, ut scientia simplicis intelligentiae, *omnia* decreta divinae voluntatis. Sed hanc ipsam *novitatem* Bannesiani appellant, quamvis ipsi laborent, ut definiant, utrius scientiae sit actiones liberas aliqua conditione futuras praevidere [3]. In hoc tamen consentiunt, ut dicant, Deum

---

[1] Billuart l. c.

[2] Demonstravit Card. Franzelinus in Tract. de Deo (Rom. 1870) th. 42. p. 409 ss. hanc regulam communi Patrum consensu comprobari.

[3] Billuart, diss. VI. art. 5. ad obi. 3: „R. In hoc divisos esse Thomistas... Ex his duabus sententiis elige, quam malueris; est quaestio de nomine; sive

actiones liberas sive cum conditione sive sine conditione futuras e suis decretis praenoscere, e quibus solis eiusmodi actuum veritas infallibilis oriatur et ab omni aeternitate cognosci possit; hanc autem Dei cognitionem decretis aeternis coniunctam causam esse volunt rerum futurarum; falsam esse hanc sententiam causalem: *quia aliquid futurum sit, ideo a Deo praenosci,* etiamsi non originem cognitionis, sed obiectum significemus; immo ideo aliquid futurum esse, quia a Deo libere cognoscatur; ideo venturum Antichristum, quia venturum esse Deus praeviderit [1]. Quam rationem *mutatis mutandis* in ipsa peccata convenire. Quatenus res aliqua sint peccata, eatenus a Deo physica praedeterminatione effici et ex ipsa cognosci; quatenus autem rei alicuius negatio sint et a recta morum norma declinatio, eatenus *permitti* a Deo, quia repugnet Deum vel causam vel occasionem afferre malitiae; sed ut omittenda rei conservatione eo ipso Deus rem non futuram intelligat, ita neganda praedeterminatione, quae ad morum regulam *actu* servandam necessaria sit, eo ipso declinationem ab ea Deo perspectam esse; nihil enim esse aliud peccatum permitti quam praedeterminationem ad bonum negari. Ergo peccata quoque a Deo e decretis non praedeterminandi praenosci [2]. Liberas actiones autem praevideri nulla omnino ratione posse, nisi e decretis di-

---

enim dixeris esse simplicis intelligentiae sive visionis, perinde est, modo non dixeris independentem a decreto actuali, qualem mediam fingunt Molinistae."

[1] Alvarez disp. 16. n. 5. 6. 7. p. 131 s.: „Scientia Dei, quatenus praesupponit liberam determinationem suae voluntatis . . ., est scientia libera. . . Causalis ista: *Quia res futurae sunt, ideo cognoscuntur a Deo,* est falsa; haec autem est vera: *Quia Deus scientia libera scivit aliquid esse futurum, ideo futurum* est. Conclusio ista communiter recepta est inter Thomistas. . . Deus non accipit scientiam suam a rebus creatis, etiam tanquam ab obiecto. . . Ideo [Antichristus] est nasciturus, quia Deus novit scientia libera, illum esse nasciturum."

[2] Alvarez disp. 11. n. 3. p. 113: „Deus certo et infallibiliter cognoscit omnia peccata futura in decreto, quo statuit praedeterminare voluntatem creatam ad entitatem actus peccati, in quantum actio et ens est, et *permittere* malitiam moralem peccati seu peccatum ipsum ut peccatum est, *non dando auxilium efficax ad illud vitandum*. . . Deus certo scit, quod, si non conservaret creaturas in suo esse, statim redigerentur in nihilum, quoniam creatura se ipsam conservare non potest, creatore suo illam non conservante; ergo etiam scit, quod, si ipse non conservet hominem in bono rationis, homo ipse non conservabit se in bono; ergo in decreto, quo Deus statuit non dare auxilium efficax tali tempore alicui, quo bonum operando vel abstinendo a peccato bonum rationis conservet, certo scit, quod homo ab eodem bono rationis peccando deficiet."

vinis intelligantur. Neque enim ex ipsis actibus ab aeterno cognosci posse; nihil enim esse huiusmodi actus, antequam facti sint, nec fortasse quidquam futuros esse, si quidem aliqua conditione futuri sint. Neque vero e voluntate humana cognosci posse, quia indifferens sit voluntas vel ad agendum vel ad non agendum nec sine Divina praedeterminatione agere omnino possit; quare nisi in Dei decretis praedeterminandi actus intelligi non posse. Nec excipi actiones aliqua conditione futuras; eas cognosci a Deo e decretis suis, quibus, si hoc vel illud fiat, praedeterminare vel non praedeterminare constituerit [1].

Huiusmodi autem praevisio quoniam nihil prorsus ad explicanda divina consilia praedestinationis gratiarumque largitionis affert, a nullo Bannesiano ad id adhibetur. Unde ratio ducitur imprimis idonea explicandi Patres veteresque theologos; *qui enim praevisionem actionum aliqua conditione futurarum illis Dei decretis praemittit ad eaque explicanda adhibet, is de ea praevisione aliter ac Thomistae sentire censendus est.*

Iesuitae Bannesianis respondent, cum difficilis sit disputatio de praevisione divina, illud tamen constare, Deum actiones liberas vel aliqua conditione vel *absolute* futuras praenoscere; certum porro videri saltem peccata ideo praevideri, *quia futura sint,* eandemque praevisionem ab una re ad ceteras apte transferri; quae praevisio qualis sit, nunquam fortasse satis exponi posse [2], et nobis cum psalmista exclamandum esse: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, non potero ad eam.* Si probari posset interpretatio Bannesianorum, futurorum scientiam non iam esse mirabilem nec captum nostrum superare; sed illam probari non posse, quin ad eas, quae physicam praedeterminationem consequuntur, alias implicatissimas difficultates adiungat. Quodsi indifferentia rationem afferat, cur actus liberi ex libertate arbitrii intelligi non possint, eos ne ex divina quidem determinatione vel motione intelligi posse, cum qua *maneat* indifferentia, qua constituatur libertas. Decreta praedeterminandi adiuncta conditione otiosa vel subridicula esse videri, velut hoc: si miracula apud Tyrios patrarem, quod tamen nunquam facere volo, vellem eos ad credendum praedeterminare. Gravius illud esse, quod Bannesiani Dei praevisio-

---

[1] Billuart, diss. VI. art. 6. § 5.

[2] Alienum hoc loco est argutas exsequi explicationes. Vide sis Card. Franzelinum (l. c.) et quae Dr. Hense de Dei praescientia disseruit in „Catholico“ (Katholik), Moguntiae 1873.

nem ita interpretentur, ut ipse auctor peccati esse videatur. Si enim Deus ad *communem* boni rationem potentiam *ita* moveat, ut ipsa se ad male agendum determinet; si Deus *ita* ad actum malum proxime *concurrat*, ut *concursus* eius per se indifferens a voluntate ad peccatum detorqueatur: sane intelligi, cur Deus ita movens et concurrens non sit auctor peccati, quandoquidem peccatum non idcirco peccatum sit et declinatio a suprema morum norma, quod actus sit omnino aut ex aliqua ad bonum motione originem ducat, sed quod *haec* actio sit et lege divina *vetita*. Horrent Bannesiani eiusmodi interpretationem, quia indignum sit, motionem divinam humanae subiicere determinationi. At quî peccati auctor Deus non est, quod cum ea actione necessario coniunctum connexumque est, ad quam ipse praedeterminat? Quod enim actum a Deo praedeterminari dicunt, declinationem vero a regula morum permitti, id non satisfacit; haec enim cum illo saepe aut natura connexa est aut in certa quadam rerum conditione ab eo seiungi non potest; tum vero Deus ad illum praedeterminare non potest, quin ad violandam regulam morum impellat. Atque etiam illa permissio negatio est praedeterminationis ad honeste agendum, quam ita certo peccatum consequitur, ut conservationis negationem rerum creatarum interitus. Ex quo concludi videtur, laedi legem ab iis, quos Deus ad eam observandam non determinet, eadem absoluta necessitate, qua res creatae intereant, quas Deus non conservet. Cuius autem culpa est legis violatae? Deine negantis id, quod ad legem servandam et non peccandum necessarium est, an hominis non praetermittentis id, quod non fieri repugnat, nisi Deus ipse impediat? Quidam Bannesiani ad dispositionem illam confugiunt, qua homo antea peccando dignus evaserit, qui praedeterminatione privaretur. Qualis tandem illa dispositio fuit primum delictum vel angelorum vel primorum parentum *antecedens?* Scilicet peccabilitas innata mentibus creatis[1]; quae quum culpa careat et omnibus necessario insit, quam causam moralem affert, cur quibusdam *praeter ceteros* deesse debeat praedeterminatio? Idem evidentius manifestari aiunt Iesuitae, quum praevisio declaranda sit peccatorum libere futurorum; eo enim omnia collineari a Bannesianis, ut adversus Molinistas defendant, *veritatis* illorum unam esse causam decreta voluntatis divinae; quod si ita sit, *actualitatis* quoque peccatorum eandem unam esse causam; atque ita culpam univer-

[1] Billuart diss. VIII. a. 5. ad obi. 1.

sam in Deum denique revolvi. Sunt qui ita se expediant, ut Deum tum ad actum malum determinare velint, quum se voluntas ipsa determinaverit [1]. Id qui dicunt, causam deserunt et *scientia media,* a qua tantopere abhorrent, uti coguntur, qua Deus malitiam voluntatis praedeterminatione priorem cognoscat (v. p. 12. not. 3.)

In scientia media autem utriusque doctrinae discrimen praecipue apparet. Iesuitae nullum esse nexum necessarium statuunt *actus primi* cum *secundo,* etsi illo non rerum tantum conditiones momentaque deliberationis, sed etiam ipsae Dei *prae*motiones contineantur; nexum illum a libertate afferri, pro cuius arbitrio eidem actui primo secundus plane diversus adiungi possit. Quamobrem satis non esse actum primum a Deo cognosci, ut secundum intelligat, nisi praeterea lubitum voluntatis noverit; iam vero ipsa scientia media fieri, ut Deus, quid voluntas, posito quicumque fieri poterit actu primo, libere sit actura, praevideat. Contra Bannesiani praedeterminationem divinam vel negationem eius cum actu secundo ita colligari implicarique volunt, ut, si adsit praedeterminatio, actum non fieri, si absit, fieri repugnet. Nullus igitur scientiae mediae in illorum doctrina locus esse potest vel ad cognoscendas vel ad efficiendas actiones liberas; praedeterminatione enim et cognoscuntur a Deo et efficiuntur.

Multi theologi medium cursum tenere conati, praedeterminationem ad actus supernaturaliter honestos adhibent, ab inhonestis atque adeo a naturaliter honestis excludunt. Qui non attendere videntur, de *ratione* agi explicandae omnium praescientiae, et praeterea *commune* omnino, non particulare esse fundamentum disputationis Bannesianae. Alii pro praedeterminatione praemotionem physicam adamarunt. Sed quoniam non nominis haec quaestio est, sed rei: estne annon nexus naturae atque necessitatis inter praemotionem illam et actum liberae voluntatis? [2] Nihil est tertium. Alterum qui dixerit, Bannesianus erit; qui alterum, si sibi constare volet, ad Iesuitas accedet. Tentatum quidem aliud est, ut eam esse connexionem inter actum primum et secundum dicerent, ut *morali certitudine* alter alterum consequi intelligeretur. Quam Thomassinus *convenientiam* esse vult propensionis voluntatis cum internis externisque adiumentis, Augustiniani eam vim supernae *delectationis,* ut morali certitudine de efficacia gratiae et de actu futuro iudicari possit. Quam convenientiam et delectationem dubitari non debet quin possit Deus efficere.

---

[1] Idem l. c. ad obi. 3. R. 2. [2] Haec supra, p. 15., explicavimus.

Sed ut alias difficultates, quae postea afferentur, hic omittamus, tale fundamentum esse non potest summae et absolutae infallibilitatis divinae [1].

Hoc igitur caput, haec summa controversiae declinari non potest, utrum naturae necessitate vim ipsam proprietatemque gratiae eius infallibilitas consequatur an extrinsecus ei accedat a scientia media; vel universe hoc quaeritur, utrum necessario necne colligetur libera determinatio voluntatis cum iis, quae eam antecedant.

Non igitur de *praedestinatione* proprius est disputandi locus, sed de effectione atque impletione divinorum consiliorum. Potest, qui Societatis doctrinam amplexus est, de praedestinatione severissime sentire. Non est eadem causa Bannesianorum, quos tenere necesse est, et praedestinationem et reprobationem negativam omnem omnino praevisionem libere factorum antecedere, nec solum homines, sed eorum singulos actus nulla habita praevisi consensus ratione praedestinari. Qui igitur doctrinam Bannesianorum amplexurus est, is secum ipse deliberet, velitne admittere, reprobationem etiam negativam ante omnem humanae deliberationis praenotionem fieri, quam quidem *infallibiliter sequatur aliquando* [2] omnium ita reprobatorum interitus aeternus, et circumspiciat, possitne huiusmodi reprobationem cum sincera Dei voluntate salvandi omnes conciliare.

Nec hoc in disputatione versatur, *concursus* generalis Dei sitne *praevius an simultaneus*. Uti motioni divinae *praevenienti*

---

[1] Billuart diss. VI. a. 6. sub finem.

[2] Plus, ut videtur, dicere licet. Neque enim solum *infallibiliter* negativam reprobationem, qualem Bannesiani docent, sequi videtur interitus aeternus, sed etiam *necessario*. S. Thomas hoc indicio manifesto diiudicat, quid necessario fiat, quid secus: „si non esset necessarium," inquit, „sed contingens, deficeret saltem in paucioribus" (Summ. th. I. qu. 82. art. 1). Ex multis autem centenis hominum millibus, quos non ob sua male facta, sed sine ulla praevisione non praedestinatos dicunt, ne unus quidem servatur, pereunt universi; nulla est, nulla unquam in innumerabili multitudine exceptio; *necesse* est igitur (si S. Thoma utamur auctore) omnes e doctrina Bannesianorum *praeter* praevisionem libere factorum interire. Ergone Deum misericordissimum, qui per sanguinem filii pro *mundo* immolati iurat, velle se, ut omnes salventur, dicemus ante ullam ullius liberae actionis praevisionem innumerabilem hominum multitudinem eiusmodi necessitate aeternae damnationis astringere? Neque vero eodem argumento uti possis adversus eos e Societate, qui praedestinationem *ante praevisa merita* statuunt, sed ei praemittunt *scientiam mediam* actuum aliqua conditione futurorum.

ad actus supernaturales in doctrina Societatis locus necessarius est, ita concursus *praevius* naturalis ab ea non est alienus[1]. Bannesianis quidem, si sibi consentire volunt, defendenda est *praedeterminatio* physica naturalis, cum qua non possit non coniungi actus naturalis voluntatis.

Nec de *morali* aut *physica efficacia gratiae* ambigitur; nec enim Bannesiani moralem, nec Iesuitae physicam infitiantur; sed hoc in disceptationem venit, num propterea, quod *physica* sit praedeterminatio, ideo *infallibilis* sit efficacia gratiae *praevenientis*.

Neque vero de ipsis dogmatis dissensio est[2], sed de dogmatum *interpretatione* et de conciliatione eius repugnantiae, quae in iis inesse videtur. Utrique *omnia* dogmata ab Ecclesia definita agnoscimus, errores *omnes* de gratia et libertate damnatos repudiamus. In *conciliandis* dogmatis discrepamus, parati utrimque tentatam difficillimae quaestionis enodationem relinquere, si vel Ecclesia definiat vel scientia amplificata demonstret, sententiam receptam cum fidei sinceritate pugnare. Adhuc nihil Ecclesia de ratione consensionis gratiae et libertatis definivit eamque quaestionem theologis dirimendam reliquit[3].

Verumtamen, quum dogmatis quaestionem removemus, non utramque interpretationis rationem dicimus in dogmata definita aequaliter convenire. *Contradictoriae* enim sunt; altera si vera est, falsam esse alteram necesse est. Tentantur sane quaedam conciliationes; sed eas si diligenter consideraveris, auctores earum inveniuntur aut declinare id, quod maxime in nostra controversia quaeritur, aut *alterutri* interpretationis rationi accedere et in verbis tantummodo gravari.

Fieri autem potest, ut quis dogmata de gratia et de libertate credenda esse putet, enodationem difficultatum, quae ex iis oriantur, non tentandam. Etenim in ipsa rerum natura cognoscenda, ut Bossuetii verbis utar[4], princeps recte cogitandi regula haec esse debet, „ne de vero cognito unquam dubitetur, in quamvis magnas difficultates incurrere videare; utque in rerum connexarum continuatione semper extrema teneantur, licet media non

[1] Sunt enim quidam Societatis theologi, qui concursum praevium postulent.

[2] Ut manifesto etiam Franzelinus docet, De Deo uno, p. 421: „Dissensus non est de dogmate definito . . .“

[3] Quamquam verbis quorundam principum scholae Bannesianae, *non posse proprie resisti* gratiae efficaci, ob definitionem Concilii Vaticani uti iam non licere arbitramur. V. supra p. 13. not. 3.

[4] Traité du libre arbitre, chap. 4.

appareant, quibus illa colligata contineantur". Quanto magis haec ratio in rerum ordinem supernaturalium cadere debet, in quo mysteria rationi prorsus inaccessa includuntur! Quare magni theologi, velut nostra aetate Perrone, dogma statuentes a disputationis periculo abstinuerunt. Sed num idcirco reprehendere decet, si qui, non ignorantes, quid scientiae propositum sit, explicare, quae videntur in religione repugnantia, et conciliare cum gratia libertatem conentur? „Si enim, inquit Kuhn[1], intelligere volumus id, quod verum esse credimus, expedire nos oportet, utcunque poterimus, ab ea discrepantia, quam [verba Scripturae] sonare videntur, et aliquo modo perspicere, quae sit gratiae divinae cum libertate, praedestinationis cum determinatione humana consensio." Quod si praestaturi sumus (experiri autem certe theologum oportet), profiteri aliquid necesse est; declinandi locus non est; urget illa quaestio: sitne *infallibilis* suapte vi ac *natura* gratia efficax, an potius Divina *praevisione* liberorum actuum, qui aliqua conditione futuri sunt? Alterutrum dici necesse est: aut etiam aut non. Pro certo igitur habendum est, quamvis de dogmate non agatur, consentaneum tamen dogmati alterutrum esse et cum antiquitatis doctrina ita cohaerens, ut scientiam augeat ac locupletet.

In Concilii Vaticani prima constitutione (cap. IV.) haec ipsa verba continentur: „Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia." Quod ut fiat, innumerabiles theologi divino opitulante Spiritu, qui Ecclesiae semper adest, elaborant; contumelia autem et hanc et illum afficiant, qui frustra laborari dicant, nec dogma melius ex rationibus fontibusque declarari vel conclusionibus explicari et applicari vel refutata repugnantiae specie clarius intelligi posse. Post Augustinum paene quindecim saecula, sex post Thomam effluxerunt: progressus theologiae nunquam retardatus est. Quod vel maxime de gratiae doctrina verum esse videtur; de gratia enim et libertate post S. Thomae aetatem haereses obstinatissimae exstiterunt et Ecclesiae definitiones amplissimae editae sunt. Iniuria igitur SS. Augustinum et Thomam nulla afficiemus, si aliquam quaestionem difficilem, quam ipsi non diremerunt, a posteris ex-

[1] In disputationibus Tubingensibus (Tübinger Quartalschr.) 1864, p. 285.

peditam esse dixerimus. Fortasse enim illo tempore ne proponebatur quidem aut certe non satis circumscribebatur.

Quin etiamsi tum quoque de quapiam re disputatum sit nec verum repertum, non sit in vitio arrogantiae aut inverecundiae, si quis hodie scholasticus in illorum doctorum humeris innixus rem retractare instituat. Etenim medii aevi schola quodammodo sustentatur a S. Augustino, Patrum principe, posterior autem a S. Thoma, principe theologorum. Grandia sunt atque alte eminent illa columina; sed numerum inire quis potest eorum, qui Sancto adiuvante Spiritu aedificationem altius exstruxerint? Nec de fundamentis quidquam deminuitur eo, quod aedificium super illud erigitur. Estque imprimis Catholica huiusmodi ratio progressus. Semper reficiat animum oportet et nutriat theologus verbo divino et Patrum scriptis, maxime Augustini, et veterum theologorum, Thomae potissimum, uberrimis fontibus; sed et Scripturae adhaerescere soli protestanticum est, et uni Augustino Iansenianum, neque videtur esse Catholicum S. Thomae sic inhaerere vestigiis, ut „ea adametur obscuritas, quam ipse non illuminavit". Persolvere quaestionem, quam nec ille nec Augustinus expediverit, non est quidquam novare, dummodo ne quid de dogmate antiquo eiusque Catholica interpretatione, ut in Vaticano praeceptum videmus, immutetur.

Scientiam theologicam si templum aliquod grande ac sublime esse dicamus, duo haec de gratia et de libertate dogmata columnas adversas vocemus, quae ut erigantur iunganturque ratio ipsa aedificii a Deo descripta postulat. Sexcenti enisi sunt theologi, ut structuram erigerent fornicesque copularent atque coagmentarent. Quod qui perfecerit, nihil novasse recte dicetur; ille novaverit, qui aedem non ex descriptione divina, non ex artificum priorum rationibus, qui illam optime perspectam habuerunt, denique non ex superiorum aetatum ac saeculorum structura et illi descriptioni et his rationibus consentanea absolverit. Arcus enim sive fornix, qui utramque columnam copulaturus est, descriptione illa praeformatus, artificum rationibus adumbratus, exstructione columnarum inchoatus erat. Cuius absolutio, si rite diiudicabitur, etiamsi sero consecuta sit, tamen operi antiquo congruere, non repugnare dicetur. Sed hoc iudicium alterius erit loci. Nunc enarrare controversiae originem et processus et explicationem instituimus.

---

2. Quae de gratiae et libertatis finibus S. Augustinus docuerit.

Unde sit gratiae efficacis infallibilitas, quomodo cum peccabilitate voluntatis concilianda sit, quaerimus; id nostrae caput est disputationis. Quod SS. Augustini et Thomae aetatibus non ita definite circumscribebatur multoque minus iam tum est decisum. Et tamen uterque de gratiae efficacia et de natura libertatis ea docuit, quae ratione explicari tantummodo oportuit, ut quaestio dirimeretur.

Id si his duobus capitibus ostendero, ipsam rationem originis huius controversiae explicavero. Ideo enim fieri potuit, ut tam diuturnae inter duas scholas et Augustino et Thomae penitus addictas disceptationes agitarentur, quid uterque Doctor sensisset, quod neuter eorum de ipso discrimine controversiae disseruerat. Summi utrimque theologi, quum integerrima utriusque Doctoris veneratione ducti in scriptis eorum evolvendis quodammodo vitas consumpsissent, tamen contraria reperisse visi sunt. Cuius rei quae ratio reddi posset, si vel Augustinus vel Thomas de re proposita dilucide copioseque et inquisivisset et respondisset? Ipsa igitur disceptationis diuturnitas vel maxime illud demonstrat, quod probare instituimus [1]. Sed idem de utroque Doctore disserentes amplius ostendemus.

Augustinus contra Pelagianos et Semipelagianos pro gratiae internae tum illustrantis tum impellentis nec meritis hominum subiectae ad omnem actionem salutarem atque adeo ad fidei initia necessitate propugnavit [2]. Sed haec omnia extra hanc causam

---

[1] Eodem argumento Professor de Kuhn et P. Kleutgen (theolog. III. 98 ss.) utuntur.

[2] De qua re vide Petavium, De Pelagianorum et Semipelagianorum dogmatum haeresi, in operum editione Parisiensi, 1866. IV. 597 ss; Tournely, De gratia Christi, qu. 3; Liv. de Meyer, De Pelagianorum et Massiliensium erroribus (II. tomo Historiae Congregationum, ed. Venet., 1742, p. 547 ss.).

sunt, quum utrimque concedantur; quod caput rei est, ille tum quidem non tractavit.

Multoque minus illud dici licet, S. Augustinum rem controversam non modo in disputationes theologicas assumpsisse, sed pro dirempta, decisa, definita habuisse, atque in eandem sententiam Pontifices et Concilia respondisse. Atque hoc alterum est, unde aliquantum luminis huic disceptationi afferri necesse sit; quod hoc loco oportet explicari, ita ut simul aliquid de Patrum auctoritate et interpretatione delibemus. Quid enim controversiam vehementissime incendit? Iesuitae *fidei doctrinam* de gratia a S. Augustino propositam deserere existimabantur. Et quomodo eorum adversarii ad hanc criminationem venerunt? Sua interpretandi ratione. Alvarez principio eius libri, quem de nostra controversia conscripsit, pro fundamento disputationis suae atque argumentationis asseverat: Augustini de gratia et praedestinatione doctrinam non esse unius alicuius Doctoris, sed *fidem Ecclesiae Catholicae*[1]. Idem fere de S. Thoma affirmat. Cui alii assentiunt. Atque multi Thomistae quum Augustini et Thomae auctoritatibus pro *infallibilibus* et *dogmaticis* uterentur, illud insuper amplexi sunt, quod supra quale esset exposuimus, ut alterutrius Doctoris vestigiis insistentes, qui essent doctrinae ecclesiasticae progressus, quae antecessiones, non multum curarent atque adeo sententias singulares ex amplissimis voluminibus decerptas pro oraculis proponere conarentur. Qua ratione vias ipsi intercluserunt, quibus ad interpretationem atque intelligentiam tantorum Doctorum pervenirent.

Augustino haud scio an ingeniosior nemo unquam fuerit. Sed obscuritates sunt in tanta ingenii altitudine. Est autem tum maxime difficilis, quum ea tractat primus, quae disputata, investigata, iudicata tum nondum erant. Quamobrem ea explicatione, quam medii aevi theologi adiunxerunt, carere nullo modo possumus. Et quum ille ad eloquentiam factus fuerit natura nec in aestu decertationis cum Pelagianis et Semipelagianis fervidi expers ingenii Africani, prudentia magna uti oportet, ut rem a dictione, argumentationem a dogmate demonstrando secernas; quod minime

---

Item recentiores rerum ecclesiasticarum scriptores. Primi sane Bannesii discipuli, ut Alvarez et Lemos, controversiam cum Semipelagianis non tam de necessitate gratiae ad initium fidei, sed de eius efficacia agitatam esse voluerunt; sed damnata quarta Iansenii sententia paullatim se Bannesiani ab hoc propugnaculo, quo confugere assueverant, receperunt. V. Billuart, tom. 3. diss. 1. praeamb. art. 2. de gratia.

[1] Disp. V p. 47 ss., n. 4. p. 51.

possis, si in singulis inhaerescas sententiis; comparare enim oportet, quae vel ipse docet aliis locis vel alii Patres tradiderunt, et adhibere Ecclesiae declarationes uberemque scholae interpretationem.

Ergo breviter videamus, non quaecunque de gratia et praedestinatione docuerit S. Augustinus, ad *Catholicam fidem* pertinere. Ipsos primum Augustinum et Thomam audiamus! Sua enim ille sic certa haberi voluit, *si non errare videretur*. Quod non solum demissi animi instinctu scripsit, sed et sanae doctrinae consentaneum esse et in omnem cadere doctorem censuit, quantumvis sanctitatis et litterarum laude praestaret [1]. In eadem fuit opinione S. Thomas. „Auctoritatibus,“ inquit, „canonicae scripturae utitur [sacra doctrina] proprie, ex necessitate argumentando. Auctoritatibus autem doctorum Ecclesiae utitur quasi arguendo ex propriis, sed *probabiliter*.“ (I. q. 1. a. 8. ad 2.) Idem antiquior S. Thomae schola et de ceterorum doctorum et de sui magistri auctoritate existimavit. Caietanus verba S. Thomae modo allata tam perspicua habet, ut ea ne verbo quidem explicet. Item Melchior Canus, Bannesii magister, in laudatissimo libro suo eandem veritatem *manifesta* ratione demonstrari dicit, et quod ad S. Thomam attinet, exemplum magistri sui, magni illius Francisci de Victoria, appellat [2].

Itaque non minus ipsis Augustino atque Thomae, quam theologiae alienum est, *quidquid* sit ab illis auctoribus propositum, veluti *fidei* ab omni erroris suspicione immunem *doctrinam* amplecti. At Ecclesia universam S. Augustini de gratia ac praedestinatione doctrinam pro certa amplexa esse dicenda est. Id quamvis adversarii contendant, tamen ex ipsis Summorum Pontificum decretis, ad quae provocant, rem contra se habere facillime demonstratur. Alvarez S. Coelestini potissimum ad Gallos epistolam appellat et ea capita, quae illi subiuncta repeiuntur. Testimonium admittimus. Tametsi enim illa capita non a S. Coelestino, cui tamen Petavius, Faure, alii magni nominis theologi tribuerunt, profecta sunt, sed vel a S. Prospero vel, quemadmodum Quesnellio visum est, a S. Leone (etiamtum diacono), nihilominus agnita eorum erat Romae auctoritas necdum quintum effluxerat saeculum, quum ibidem in Dionysii collectionem recepta sunt [3]. Eadem Hormisdas Papa significat, quum ad Pos-

---

[1] De dono persev. c. 21. Ep. 82. ad Hier. n. 3. et 24. Ep. ad Fortun. 148. n. 15.

[2] De locis theol. l. VI. c. 3. n. 2. l. XII. in prooem.

[3] De quibus v. Coustant, Epist. Roman. Pont. in Migne PP. LL. L. 522 ss.; Werner, Franc. Suar. p. 308 not.; Labbe, SS. Conc. III. 473 ss.

sessorem scribit: „De arbitrio tamen libero et gratia Dei, quod Romana (hoc est Catholica) sequatur et asseveret Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa *capitula* continentur, quae si tibi desunt et necessaria creditis, destinabimus.“ [1] In his igitur capitibus primum Sedis Apostolicae doctrina de gratia exponitur, sed ea controversia, quam hoc loco tractamus, aut praedestinatio ne tangitur quidem, nedum definiatur; sequuntur autem haec verba: „Profundiores difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita *non necesse habemus astruere*, quia ad confitendum gratiam Dei *satis sufficere* credimus, quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit praefixis sententiis esse contrarium.“ Poterantne in scriptoribus illis, qui Pelagianorum et Semipelagianorum haeresim confutarant, imprimis S. Augustino, ea quae ad fidei doctrinam pertinebant a quaestionibus *profundioribus et difficilioribus* evidentius distingui? Et tamen Alvarez [2] eo ipso loco, ubi probare instituit, omnem S. Augustini doctrinam de gratia et praedestinatione *fidem Ecclesiae Catholicae* appellandam esse, praefationem illorum capitum affert, omittit partes extremas atque ea ipsa verba, quae adversarii, quos impugnat, perpetuo usurpant; quod qua aequitate fiat, alii viderint.

Alii quoque molesta illa capita vel praeterlabuntur vel fastidientes repudiant, quod S. Coelestini esse negent, vel aliquas abstrusas ex S. Augustino quaestiunculas eruunt, quas profundiores nominari in illis capitibus dicant. Quasi vero non clare et accurate dicatur: „Partes (reliquas, capitibus non comprehensas) profundiores difficilioresque incurrentium quaestionum nec contemnimus nec astruimus, quia ad confitendum gratiam Dei *satis sufficit,* quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae Sedis nos scripta docuerunt.“ Ad has igitur regulas redigenda est distinctio dogmatum a ceteris, quas S. Augustinus explicavit, *profundioribus et difficilioribus quaestionibus.* Hormisdas quoque quia ad superius illud, Ecclesiae doctrinam ex variis Augustini libris cognosci posse, protenus eodemque verborum tenore haec capita adiungit, illud etiam ex hac determinatione circumscribendum esse censuit.

---

[1] Labbe, SS. Conc. V. 664.

[2] Disp. V. n. 3. p. 49.

Ioannes vero II. quod Romanam Ecclesiam *secundum decreta praedecessorum suorum* doctrinam S. Augustini sequi declarat, ne his quidem verbis maior libris Augustini auctoritas attribuitur, quam superiorum Pontificum decretis, illis maxime capitibus, tributa erat. Nec quod Coelestinus aliique Pontifices doctrinam ac sanctitatem Augustini summis laudibus cohonestarunt, id demonstrat, quod adversarii volunt. Non enim virtutes aut ingenium aut litterae solae infallibilitatem docendi conciliant, quae Dei donum est soli magistrae Ecclesiae eiusque Capiti collatum. Nec quum generatim commendatur alicuius doctoris doctrina, singulae eius sententiae fides Ecclesiae constituuntur. Quamobrem etsi in quinta synodo tam de aliis multis SS. Patribus quam de Augustino dicitur, eos *„in omnibus sequendos esse,* quae de recta fide et ad confutationem haereticorum scripserint", tamen adhuc nemini in mentem venit theologo, ut ex illis verbis, quae maius etiam aliquid enuntiare videntur, quam quidquid unquam de solo Augustino dictum est, infallibiles esse omnes singulorum Patrum sententias demonstrare vellet.

Quod hactenus diximus, confirmare liceat testimonio ex *brevi* Pontificis, qui aliquanto post fuit, petito [1]. Universitatis Lovaniensis doctores Innocentio XII. supplicarant, ut sibi doctrinam contra Lessium propositam docere liceret atque ipse declararet, doctrinam de gratia per se efficaci et de praedestinatione ante praevisa merita nullo Sedis Apostolicae iudicio condemnatam esse ac defendi posse, donec ab illa aliter esset decretum. Rescripsit Pontifex ipsa S. Coelestini verba: satis esse ea teneri, quae a Sede Apostolica de gratia definita essent; profundiores difficilioresque partes controversiae, quae ab iis pertractatae essent, qui haereticis restitissent, se nec contemnere nec astruere.

Videri possumus longius a proposito digredientes id secuti esse, ut ostenderemus, Societatem Iesu diversam a SS. Augustini et Thomae doctrinam amplecti suo iure potuisse. Quod secus est. Non enim existimamus in universis utriusque Doctoris operibus ullum verbum reperiri, quod recte interpretatum Societatis doctrinae adversari dicendum sit. Neque tamen frustra in his quaestionibus morati sumus. Etenim tum ex illa opinione interpretandique ratione, quam refutare studuimus, tum ex eo, quod nec Augustinus nec Thomas ipsum caput disceptationis attigerint,

[1] *Tradidit nobis.* Innocent. XII. 6 Febr. 1694. ad Acad. Lovan. Cf. Liv. de Meyer, Hist. Congr. I, 75.

maxima nostrae controversiae et movendae et augendae occasio allata esse videtur. Indidem ea quoque proprietas his omnibus disceptationibus accessit, ut *de verbis potissimum SS. Augustini et Thomae disputatio agitaretur*. Cui certandi mori Societas Iesu aliquantum se accommodare debuit, etsi omnino illud, quod hoc loco defendimus, tenuit [1]. Eum vero percepit pretiosissimum fructum tot pugnarum ac certaminum, ut se magis magisque ad S. Thomae doctrinam applicarit vinculumque illud, quo eam conditor Ignatius illi devinxerat, fortius astrinxerit.

Atque haec praedixisse satis sit; ad rem ipsam veniamus. Supra diximus, in universo Augustino nullam reperiri sententiam, quae recte interpretata cum Societatis de gratia doctrina non conveniat. Quod ut ostendamus, explicandum est, quid de gratiae libertatisque finibus magnus ille Doctor Ecclesiae Africanae docuerit.

S. Augustinus libertatem arbitrii potissimum in potestate ponit agendi vel non agendi aliquid, prout placuerit ac libeat [2]. Absoluto autem actu primo cum praeparatione divina *antecedenti*, actum secundum a determinatione voluntatis repetit. Nam *hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit*, et *ipsum velle, si volumus, est, si nolumus, non est* [3]. Actum primum eundem secundus diversus sequi potest, quum fieri possit, ut, si duo homines eodem prorsus modo et corpore et animo affecti eadem re moveantur, alter *velit*, alter *nolit*. (De civit. Dei l. 12. c. 6.) Itaque Augustinus communi Patrum doctrinae accedit, voluntatis determinationem conditionem esse divinae praescientiae; nec enim *ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse praescivit; . . . . . qui si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit* (l. c. l. 5. c. 10.);

---

[1] Ideo eius theologi ad ingentes doctrinae thesauros ex Augustini Thomaeque operibus eruendos et excolendos, argumenta undique conquirebant: tum ex aliis Patribus, tum ex schola universa, tum a defensoribus sincerae fidei posterioribus. Cuiusmodi S. Thomae interpretationis specimina quaedam sunt ingentes Suaresii et Ruizii enarrationes. Quam in rem Kuhn (Introduct. in doctrinam dogmatis catholici, Tubingae, 1859. § 22. p. 505.) „Quemadmodum, inquit, Iesuitae primi respicere tempora Augustino superiora coeperant Patresque antiquiores, maxime etiam Graecos, de rebus fidei consulere, ita ab iisdem (Petavio) primum illud atque egregium in hoc genere opus dogmaticum profectum est."

[2] De duab. animab. c. 12. Retractationum lib. 1. c. 15.

[3] De spir. et lit. c. 31. De Civ. Dei lib. 5. c. 10.

ac rursum *si homines non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, et hoc facturi praeviderentur ab eo, qui novit, quid sit quisque facturus.* (In Ioan. tract. 53. n. 4.) Quamobrem Dei praescientiam cum nostra comparat memoria: *Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt* (de lib. arb. l. 3. c. 4). Quae omnia in statum etiam lapsae naturae et actus supernaturales conveniunt. Neque enim in lapsa natura Dei imago omnino exstincta est, et quod peccatum debilitavit, id gratia renovat sanatque (de spiritu et litera c. 28); opera supernaturalia vult Deus vocante gratia a libero arbitrio naturae concreato elici [1]. Id unum premit atque urget Augustinus, voluntatem liberam vocatam non *solam* venire, sed gratia adiutam. (De gratia Chr. l. 1. c. 14.) — Sed ad recte intelligenda verba S. Doctoris animadverti necesse est, liberum arbitrium ab eo saepe non solam potentiam naturalem dici, sed eius certam quandam comparationem intelligi, qua eam instructam Adamus, quum crearetur, accepit, *expertem concupiscentiae* atque ita divinitus roboratam, ut *sine gratia sanante Redemptoris* et bene agere *posset* et male. Cuiusmodi possibilitatem Pelagius liberum arbitrium intelligebat; *eam* libertatem S. Doctor identidem dicit peccato originali esse amissam.

Augustini igitur sententia liberum arbitrium *naturae concreatum* medium est inter bonum supernaturale et malum atque ad utrumlibet se inclinare potest [2]. „Duo tibi," inquit, „proposita sunt, *elige* quum tempus est" (ad ps. 63); „ante te est aequitas, ante te iniquitas, unam linguam habes, quo *vis,* eam vertis" (ad ps. 51). Deus inspirando excitat, ut velimus; *consentire autem vel dissentire*

---

[1] „[Voluntas credendi] Deo vocante surgit *de libero arbitrio,* quod *naturaliter,* quum crearetur, accepit (l. c. cp. 33. n. 58) . . . . Attendat et videat non ideo tantum istam [credendi] voluntatem divino muneri tribuendam, quia *ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est etc.*" (c. 34. n. 60. Migne X. 238. 240). Pariter, quod Tyrii credituri fuerint, si Christus miracula sua patrasset apud illos, ex eo concludit Augustinus, „habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant". (De don. persev. c. 14. n. 35.) „Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, *naturae* est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiae est fidelium." (De praed. SS. c. 5. n. 10.)

[2] „Liberum arbitrium, naturaliter attributum a Creatore naturae rationali, illa media vis est, quae vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest." De spir. et lit. c. 33. n. 58. Migne X. 238.

propriae voluntatis est. Ob quam inspirationem, sine qua credere nemo potest, ipsius est beneficium voluntas credendi; sed *consentire vocationi Dei vel ab ea dissentire, ut dixi, propriae voluntatis est.* Idem ipsum Apostoli verba confirmant: *Quid habes quod non accepisti?* Nec enim „accipere et habere anima potest dona nisi consentiendo; ac per hoc, *quid* habeat et *quid* accipiat, Dei est, *accipere* autem et *habere* utique accipientis et habentis est“ [1]. Eadem verba Apostoli alio loco explicans illum contradicere ait, qui ita loquatur: *Habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi;* non quia credere vel non credere non sit in arbitrio voluntatis humanae, sed in electis praeparari voluntatem a Domino [2]. Est haec igitur Augustini explicatio celebris illius Apostoli verbi, quod usurpare Bannesiani consueverunt. Nihil deminui censet de dono, id quod per se manifestum videtur, eo quod accipere illud vel non accipere in nostra sit potestate. *Habet sane Deus cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem* [3], sed ideo quod, quum *isti sic, alii aliter atque aliter vocantur,* in suae thesauro omnipotentiae *innumerabiles modos* habet (l. c.), ita ut *modus Omnipotenti, quo persuadeatur homini ut credat* [4], non magis *deesse* possit, quam huiusmodi notitia Omniscio. Praescientia utique libere aliqua conditione futurorum requiritur, quam tamen in Deo non esse, nisi *perversissime atque insanissime* dici non potest [5]. Eam autem gratiam efficacem S. Doctor intelligit, qua Deus *sic vocet hominem, quomodo sciat ei congruere, ut vocantem non respuat.* (Ad Simpl. l. c.) Ita prorsus sentiunt Iesuitae. Confirmandae autem conclusionis nostrae causa haec etiam de S. Augustini doctrina delibare placet.

1. *Efficax* gratia secundum S. Augustinum eadem illa est quae *excitat.* Quam rem ita plane enuntiavit, ut id inter scholas diversissimas constet: Iansenianos, Augustinianos, Sorbonicos, Iesuitas [6].

---

[1] De spir. et lit. c. 34. n. 60. Migne X. 240.

[2] De praedest. sanct. c. 5. n. 10. Migne X. 968.

[3] De corr. et gr. c. 14. n. 45. Migne X. 943.

[4] Ad Simplic. l. 1. qu. 2. n. 14 Migne VI. 119.

[5] De corr. et gr. c. 8. n. 19. Migne X. 927. „Respondeant, si possunt, cur illos [qui ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur] Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitae huius periculis rapuit . . . . Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum futura mala nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur.“

[6] Idem uberrime demonstrat Card. Sfondrati O. S. Bened. Nodus praed. p. 1. § 4. p. 314 ss.

Qui omnes consentiunt, gratiam efficacem Augustini sententia imprimis delectatione boni voluntatem allicere, dissentiunt, quum Ianseniani vera necessitate trahi voluntatem dicunt, Augustiniani, *morali necessitate*, Iesuitae, et posse, si libeat, resistere et saepe re vera resistere, quamquam Deus praevideat, eam certo quodam motu pulsam obsecuturam esse. Qui iidem ita a S. Doctore premi delectationem nolunt, ut non etiam illustratione, consilio, dolore, pudore, denique *modis innumerabilibus* hominem efficaciter vocari existimet. Qui quotiescunque modum effectumque gratiae efficacis explanat, semper et illustrationem intellectus commemorat et motus indeliberatos voluntatis; *quid enim aliud,* inquit, *deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat*[1]. Consequens est, ut gratiam efficacem constanter ita appellet, ut *excitans* intelligatur, hoc est vel *vocàtionem* vel *consilium* vel *suasionem* vel *cogitationem* vel *visum*, atque ita porro. Quomodo *trahere* possit Deus non cogens, homilia in Ioannis cap. 6. ostendens illud poetae adhibet „*Trahit sua quemque voluptas.*“ „Videte, inquit, quomodo trahit Pater; docendo delectat, non necessitatem imponendo; ecce quomodo trahit.“ (In Ioan. tract. 26.) Idem sane dicit, Deum *occulta, mirabili et ineffabili potestate operari in cordibus hominum;* at nonne occultum et mirabile et vere ineffabile est, quod Deus in intimis animorum quasi recessibus motus illos affectionesque excitat? Similiter alios eiusdem modos loquendi interpretabere vel potius ipsum interpretari invenies, dummodo recorderis non scholae magistrum te, sed oratorem eumque perfervidum audire. Sed ut concludatur ratio: si S. Augustinus Deum docet trahere gratia excitanti atque imprimis honestatis specie delectando; hominem autem et posse non facere et re vera saepe omittere, quae *incomparabili affectu amplius placeant* (Confess. l. 8. c. 8.), quam quod contrarium sit: infallibilitas trahendi sic demum intelligi potest, si Deus scientia media praenoscit, num gratia voluntati ita placeat, ut vocantem non respuat. (Ad Simpl. l. c.)

2. Porro necesse fuit Augustinum, qui efficacem gratiam excitantem intelligeret, dicere, et innumerabiles esse modos vocationis efficacis et *eadem* gratia alium converti, alium non item; quod quidem eo ipso loco enuntiat, ubi de vocatione efficaci et omnipotenti Dei virtute convertendi homines loquitur[2]. Eodem

---

[1] L. 2. de pecc. meritis et rem. c. 19. n. 33. Migne X. 170.

[2] „Eadem res alium moveat, alium non moveat.“ Qu. ad Simplic. l. 1. 2. 14.

spectat, quod supra e Civitate Dei attuli. *Afficit* enim certe animum gratia excitans atque etiam praedeterminatio physica; quodsi ille docet ex duobus hominibus animis pariter *affectis* pro arbitrio utriusque consentire alterum, alterum dissentire (De civit. Dei l. 12. c. 6), eo ipso declarat, *eidem* gratiae praevenienti *fieri posse ut alter assentiatur, alter dissentiat.*

3. Nec praeterea quum eidem praevenienti gratiae alterum consentire, alterum dissentire posse censeret, negare poterat consensus causam esse *bipartitam.* Bipartitam igitur statuit, sed ita, ut non *naturalis* contentio voluntatis mereri fidem diceretur vel *naturae* desiderium, non Dei vocatio, initium salutis putaretur. Vitale enim bonorum operum principium nunquam non arbitrium liberum ponit *naturae concreatum* [1], quod non sua virtute, sed elevatum adiutumque gratia operetur nec tamen idcirco esse altera eorum causa desinat. Tenet atque defendit, posita divina vocatione, qua et praeparetur et liberaliter praevertatur voluntas, propriae tamen esse voluntatis vel consentire vocationi vel ab ea dissentire. (De spiritu et littera, c. 34. n. 60.) „Ut iste credat, ille non credat, est propriae voluntatis.“ [2] „Illi credunt, quia volunt, isti non credunt, quia nolunt.“ Quare duplicem causam ponit volendi, eius autem, quod volumus, i. e. vitae aeternae, unum auctorem [3]. Itaque idem alio loco „Quis non videat, inquit, et venire quemquam [ad fidem] et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium . . . non potest nisi adiutum esse, si venit.“ [4] Quod autem adiuvandum sit, eo ipso pro novo utitur argumento, cur bipartita sit causa salutis operandae. „Nec ideo tamen, inquit, solis de hac re votis agendum est, ut non subinferatur etiam nostrae efficacia voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur, nec adiuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.“ (De pecc. mer. l. 2. c. 5. n. 6.) „Qui adiuvatur, etiam per se ipsum aliquid agit.“ (In ps. 78. n. 12.) Itaque efficaciam gratiae non a solo Deo repetit, prima supremaque causa, sed etiam ab hominis studio. „Cum multi audiant, inquit, non omnibus persuadetur, sed illis solis, quibus intus Deus loquitur; illis autem

---

[1] De spir. et lit. c. 33. n. 58, c. 34. n. 60 etc., vide supra p. 44. n. 1.

[2] L. 1. de remiss. pecc. c. 22. Migne X. 126.

[3] „*Ut* velimus, et suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. *Quod* autem voluerimus [*posse* bene agere et semper beate vivere], solus Deus praestat.“ Ad Simpl. l. I. qu. 2. n. 10. Migne VI. 117.

[4] De gr. Chr. l. 1. c. 15. Migne X. 368.

intus loquitur, qui ei locum praebent.“ (Tract. 4. in 1. ep. Ioan. n. 1.)

Quod quoniam loco superiore (ad Simplicianum) et Deo et nobis tribuit, ut velimus, non a se ipse dissentit, quum alibi Dei solius esse contendit, ut velimus[1]. Horum enim locorum ratio satis demonstrat, id agi unum, ut contra Pelagianos et Semipelagianos necessitas gratiae defendatur, sine qua 1. nullus voluntatis actus salutaris fieri possit, quae 2. ipsum primum indeliberatum voluntatis motum, unde omne opus salutare incipit, *sine nobis operetur,* nec 3. propter merita detur. Nec alio certe spectat universa eius de praedestinatione doctrina[2]. Idem omnino tum intelligit, quum illos premit Scripturae locos: praeparari a Deo voluntatem efficique ut velimus, aut quum omnem honestatem omneque meritum Dei donum atque gratiam esse affirmat[3].

Quam rem rectius intelligemus, si amplius, quid secutus sit Augustinus, quum illa scriberet, investigaverimus. Pelagianos, ut dixi, et Semipelagianos confutat. Distinguebat Pelagius inter *posse* et *velle,* alterum naturae tribuebat, alterum voluntati; potestatem autem Dei donum esse, non voluntatem; hominis enim esse velle aut bonum aut malum, prout liberet. Semipelagiani inchoationem fidei a vi nativa voluntatis repetendam esse volebant. Urget igitur Augustinus, ut „velle et operari Deus operetur in nobis . . . quia *sine ipsius adiutorio* nec velimus aliquid nec agamus“. „Quia *sine illo,* inquit, tu non faceres, ergo Deus facere dicitur, cum tu facis.“[4] Quibus verbis *necessitatem* gratiae praevenientis ad

---

[1] „Ut velimus, sine nobis operatur (incipiens); cum autem volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur (perficiens).“ De grat. et lib. arbitr. c. 17. n. 33; Migne X. 901. Alio loco: „Non ego autem, sed gratia Dei mecum (1. Cor. 15, 10.): id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ut autem de coelo vocaretur et tam magna efficacissima vocatione converteretur (Act. 9.), gratia Dei erat *sola,* quia merita eius erant magna, sed mala.“ L. c. cap. 5. n. 12.

[2] „Videant subverti hac praedestinationis praedicatione illum *tantummodo* perniciosissimum errorem, quo dicitur gratiam Dei secundum merita nostra dari.“ (De dono persev. n. 42. Migne X. 1019.)

[3] „Et ipsa bona opera illi tribuenda sunt, qui vocat, qui ut velimus invitat, et vires implendi ea, quae imperat, subministrat.“ (De gen. c. Manich. l. 1. c. 22.) Alios multos locos collegit P. Hurter III. t. praeclarae suae doctrinae dogmaticae p. 82. 83.

[4] „Velle et operari Deus operatur in nobis, . . . quia *sine ipsius adiutorio* nec volumus aliquid boni nec agimus.“ De gr. Chr. c. 25. „Quia *sine illo* tu non faceres, ergo Deus facere dicitur, cum tu facis.“ In psalm. 52. n. 5; et alibi.

omnem actum salutarem et adeo ad fidei inchoationem premit. Illud quoque intendere videtur, *scientem ac volentem* eas gratias largiri Deum, quas efficaces fore praeviderit. Nec hoc infitiantur Iesuitae nec gratiae praevenientis necessitatem.

4. Deus quum iis potiatur divitiis gratiarum, quibus ad quamlibet honestatem movere hominem possit ipsasque antevertatur voluntates, has magis, quam ipsae sese, in sua habet tenetque potestate. Munus est misericordiae Divinae, quum alteri eas gratias impertit, quibus eum videt esse assensurum, consilium autem iustitiae, quum alteri non confert. Tenebat vero S. Augustinus, reprobos potuisse acceptis gratiis consentire; quod si voluissent, efficaces fuisse habituros. *Noluit Esau et non cucurrit; sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret*[1].

Magis quam singulae summa omnium gratiarum et quae iis efficitur *perseverantia finalis* munus est misericordiae Divinae, quod alter Adamus Christus nobis est meritus. Causam autem, cur singulari egeamus subsidio praesidioque gratiarum, ut perseveremus, in infirmitate voluntatis humanae e concupiscentia derivata et omnium mortalium tot periculis ac tentationibus sitam esse docet. Quo maior videtur illa munificentia Dei perseverantiam largientis, qua ita hominem potenter movet dirigitque, ut multitudine periculorum non pervertatur neque vincatur[2]. Iam vero comparat Augustinus gratiam in priorem Adamum angelosque, quum crearentur, collatam sive *adiutorium sine quo non* cum ea, quae solis praedestinatis obtingit, finali perseverantia sive *adiutorio quo,* quae praecipue est gratia Redemptoris includitque non, ut in Adami gratia, solam potestatem perseverandi ipsius subiectam arbitrio,

---

[1] Ad Simpl. l. 1. qu. 2. n. 10. Migne VI. 117.

[2] „Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret neque adversitate aliqua vinceretur . . . Infirmis servavit, ut ipso donante, invictissime, quod bonum est, vellent.“ De corr. et gr. c. 12. n. 38. Migne X. 940. Quae verba recte ita interpretantur editores Lovanienses: tam potentem electis dari gratiam, ut, quamvis infirmi, tamen nec a recta via declinent, nec a tentatione superentur; „ut non neganda peccandi impotentia, sed eventus tantum significetur.“ Maurini *inseparabiliter* legunt, iniuria quidem, si, quod significant, in libris manuscriptis est *insuperabiliter*. Quam vocem falso adversarii nostri ad invictam *in animo flectendo* vim gratiae referunt, quum ad superandas spectet tentationes.

sed ipsum effectum atque eventum, ut ea adiutus homo ita necessario perseveret, ut quis beatitudine efficiatur beatus. Nec vero negat liberam voluntatem participem esse perseverantiae efficiendae, quae non minus est donum Christi Salvatoris, quod aliquam eius partem efficit tracta gratia voluntas humana (vid. p. 45). Duplicem autem esse docet hanc libertatis actionem. Primum enim in potestate est arbitrii, velitne singulis, quas illud donum complectitur, gratiis consentire an dissentire. Ut cetera, quae supra attuli, omittam, contra Petilianum (l. 2. c. 84) ita scribit: „Quomodo *attrahit* Pater ad Filium, si *dimittit,* ut quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est.“ Alibi[1] pro certissimo argumento libertatis illud Scripturae ponit: *Deus reliquit eum in manu consilii sui.* Deinde certa est S. Doctoris sententia, precibus et humilitate illud munus gratiae a Deo impetrari. „Quare illum trahat,“ inquit, „et illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare; semel accipe et intellige: nondum traheris? ora, ut traharis.“[2] „Jacob dilexi, Esau autem odio habui. . . Esau omnes carnales, Jacob autem omnes spiritales; minores electi, maiores illi reprobati. Vult et ipse eligi? Fiat minor.“ „Nihil arbitror intelligi congruentius, nisi ut intelligamus manum dexteram potestatem, quam tibi dedit Deus, ut, si velis, donante Deo ad dexteram sis.“[3] Ergo si quis non perseverat, ipsius est culpa; „in eo,“ inquit, „quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles.“ (De corrept. et gratia n. 11.) Quapropter hoc palam loquere et apud electos et apud reprobos: „Ita se habet de praedestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem accepta voluntate obediendi, et *accepta perseverantia permaneatis in fide.*“[4]

5. Quia igitur duplex in salutis negotio operatur causa, Dei gratia hominisque libertas, plane negat Augustinus praedestinationem carere posse *praescientia*[5]. Praedestinatio ad gloriam, clamat se nescire, quomodo sine praescientia fieri possit[6]. Sic duas Augustini definitiones praedestinationis intelligemus: *Haec*

---

[1] De gratia et lib. arb. c. 2. n. 3. Migne X. 883.

[2] In Ioan. tract. 26. n. 2. Migne III. 1607.

[3] In ps. 136. n. 18. In ps. 120. n. 11.

[4] De dono persev. c. 22. n. 58. Migne X. 1029.

[5] De praedest. SS. c. 10. n. 19. Migne X. 975.

[6] Retract. l. 1. c. 23. n. 3. Ad Simplic. l. 1. qu. 2. n. 6. Qui liber etsi ab Augustino scriptus est initio episcopatus, tamen doctrinam in eo propositam ipse extrema aetate identidem comprobavit.

est praedestinatio sanctorum, nihil aliud: praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur (De dono persev. c. 14. n. 35), et: *in sua quae falli mutarique non potest, praescientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est praedestinare* (l. c. c. 17. n. 41). Quibus locis praescientiam non solum contineri necessario praedestinatione et praeparatione gratiarum efficacium docet, sed etiam *infallibilem* reddere gratiae et praedestinationis effectum. Quod idem alias explicat. *Horum* [praedestinatorum], inquit, *si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus* (De corrept. et gr. c. 7. n. 14), et: *quod facturae sunt* [voluntates nostrae], *ipsae omnino facturae sunt, quia facturas ille praescivit, cuius praescientia falli non potest* [1].

Quas S. Doctoris explicationes omnes cum ceteris Patribus congruentes qui contulerit, quique consideraverit, gratiae efficacis ab eo naturam constanter ita describi, ut *excitare* dicatur: is concedere cogetur, definitionem illam gratiae efficacis, ut Deus *sic vocet hominem quomodo sciat ei congruere, ut vocantem non respuat,* minime temere positam, sed cum universa Augustini doctrina coniunctam colligatamque esse, nostram autem definitionem explicationemque omnino similem a summo illo Doctore minime dissentire. Non sane omnibus locis, quibus de gratia efficaci loquitur, in hac ipsa proprietate eius describenda versatur ac saepe adversus Pelagianos et Semipelagianos illud tuetur, eam antevertere liberae deliberationi et suo a Deo arbitratu conferri. Subabsurde autem postulatur, ut quoties quis de quaque re dicat, omnes eius proprietates explicet et, si qua unquam negata sit, eam defendendam suscipiat. *Integram* veritatem atque absolutam ita demum consequare, si quid in quaque occasione Augustinus docuerit, conferas atque coniungas, ipsum cum ceteris Patribus, quibuscum fides ei erat communis, concilies, denique multa eius dicta et difficilia et obscura ad explicatam postea Ecclesiae doctrinam atque theologorum scientiam interpretere. Ea demum Patrum explicandorum ratio recta est et disciplina. Fuerunt autem nonnulli, qui in oppugnanda Societatis Iesu doctrina ne ad proxima quidem verba satis attenderent. Ita quae in illo compendio doctrinae

---

[1] De Civ. Dei l. 5. c. 9. Ea omnia egregie exponit Card. Franzelinus, De Deo, quo in libro certis argumentis demonstrat, quidquid de praedestinatione docuerit S. Augustinus, et per se consistere atque cohaerere et cum ceterorum Patrum scriptis aptissime convenire.

Bannesianae, quod saepius commemoravi, proponitur *omnipotentissima, insuperabilis energia gratiae per se efficacis,* ea ex Augustini doctrina deprompta esse dicitur. Est autem vox *insuperabilis* ex illo loco de corr. et gr. (c. 12. n. 38), quem supra (p. 49. not. 2.) tetigi, et quam esset perperam explicatus, ostendi. Alteram appellationem ex eodem libro (c. 14. n. 45) sumptam esse apparet, ubi S. Doctor *omnipotentissimam potestatem inclinandorum cordium* attribuit Deo; at id in illo libello a Divina potentia ad rem creatam, gratiam, temere transfertur, ac saepe Bannesiani, quod ille de invicta virtute Divinae voluntatis dixit, id ad singula gratiae subsidia, quibus utitur, accommodant [1]. An vocem inclinandi premendam esse dixeris? Afferuntur enim e libro de gratia et libero arbitrio loci simillimi, ubi plane docet Augustinus, posse Deum, quaecunque placuerit, operari in animis hominum eosque quocunque libuerit *inclinare* [2]. Sunt enim similia *inclinare* et *determinare;* ergo ipsam Bannesii doctrinam Augustinus videtur enuntiare. Sed videatur locus. Libro toto ipsoque etiam illo loco ostenditur ac demonstratur, posse Deum et ad bonum inclinare et ad malum [3]. Iam vero dubitari non potest, quin ille permitti a Deo malum, non effici docuerit. Quodsi permittere vel non

---

[1] Simili ratione, sed audacius Massoulié huiuscemodi Augustini verba contorquet. Nam in illo libro, qui „S. Thomas sui interpres" inscribitur, diss. II. qu. 9. a. 6. I. 430 ita ait: „Atqui haec omnia non minus, sed multo etiam potiori iure in divinam motionem physicam et effectricem cadunt, cum non solum, quae a Patribus dicta sunt, significent aut innuant, operationem Divinae gratiae esse opus Divinae omnipotentiae, sed etiam expressissime, nec semel, sed quam saepissime S. Augustinus disserat, *omnipotentissimam, ineluctabilem et insuperabilem* esse Divinae gratiae vim." De voce quae est *insuperabilis,* ante dixi; de altera *(omnipotentissima)* pauca addenda, ut ostendamus, quam temere Massoulié utatur testimoniis. Ergo docet Augustinus, si illum audias, operationem divinae gratiae non solum opus esse divinae omnipotentiae, sed expressissime, nec semel, sed quam saepissime disserit, *omnipotentissimam* (quam vocem ille scriptura distinguit) esse Divinae gratiae vim. At solam vocat *virtutem* divinam, nunquam *gratiam* omnipotentissimam. *Potentissimam* sane eam appellat *sagittam, sagittas potentissimas et transfigentes et efficientes* (in ps. 44), *potentissimam medicinae potestatem* (in ps. 57); sed aliud est *potens,* aliud omnino *omnipotens.* Quomodo S. Augustinus explicet, Divinam omnipotentiam causam esse efficaciae gratiae, supra p. 45. diximus.

[2] *„Ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit."*

[3] C. 21. n. 43: „His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum . . . satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum *ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit,* sive ad bona *sive ad mala.*"

impedire vocare licuit *inclinare,* quanto magis actum bonum efficere, quod proprium esse Dei etiam Molinistae dicunt? Potueram singulos percurrere locos, qui ab adversariis obiiciuntur, sed satis dictum est, unde eluceret non *aperte ac plane* Bannesii doctrinam docuisse Augustinum. Unum errorem addere liceat cum Iansenio opinantium, illud *adiutorium quo,* cuius mentio uno omnino loco in libris suis (De corrept. et gr. c. 12. n. 34) infertur ab Augustino, et quo ipsa in bono perseverantia significatur, propriam esse cuiusvis gratiae efficacis appellationem ab illo usurpatam.

3. De S. Thoma et de praedeterminationibus physicis.

Ut de S. Augustino, ita de Angelico Doctore, scholae principe, hoc imprimis quaerendum est, ipsumne caput controversiae tractandum sibi proposuerit idque dilucide diremerit, docueritque definita sententia physicas praedeterminationes. Attulimus argumentum firmissimum, cur non fecisse existimandus esset. Summi enim theologi: Toletus, cuius Sotus O. S. Dom. mirificum praedicat ingenium, Bellarminus, Perronus, Stapleton et Valentia, propugnatores veritatis primarii, Suarez, Vasquez, Lessius, Molina, Ruiz, Lugo, Petavius, alii plurimi doctissimique viri si praedeterminationum illarum indicium apud S. Thomam nullum repererunt, apertene eas ac perspicue ab eo doceri putabimus?

Testis est ipse magister generalis Ordinis S. Dominici, P. Turci [1]. Anno 1647. in sollemnitatibus circiter Pentecostes, quum generale Capitulum Fratrum Praedicatorum habendum esset Valentiae, disputatio publica praemissa est. In qua Turcum contra physicas praedeterminationes sententiam tulisse atque pollicitum esse, se earum patronum extemplo magistrum creaturum, si e S. Thoma rem propositam probasset, Gabriel de Henao S. I., doctor Salmanticus, anno 1652. in Empyreologia sua (Proloq. 9. n. 35) scribae publici libello confirmavit. Quum multum hac de re disceptaretur, anno 1662. quattuor theologiae Valentiae doctores iureiurando confirmaverunt, Turcum Fratri illi dixisse: „Ostende mihi locum D. Thomae, in quo praedeterminationem defenderit, et creabo te Magistrum.“ Contra haec P. Reginaldus, qui propositionem illam defenderat, anno 1674., i. e. ipsis viginti et septem annis post illam disputationem, iuravit, non de praedeterminationibus actum tum esse, sed de *decretis praedefinientibus*; de reliquo verba ipsa comprobavit [2]. Iam vero etsi ille, id quod

[1] Quid de ea re scriptum exstet, affert Liv. de Meyer, Hist. congr. I. l. 2. c. 22. (I. 165.) et Hist. vindicata l. 2. c. 19., ubi Serry refutatur.

[2] Quin et addidit [RR. P.] eum se Magistrum extemplo renuntiaturum,

saepius licebit iudicare, testis minime certus est, tamen si demus, de decretis praedefinientibus Bannesianorum disputatum esse, quum ea seiungi a physicis praedeterminationibus nullo modo possint, illud constare debet testimoniis allatis, generalem Ordinis magistrum in Capitulo generali negasse, argumentum firmum ipsius fundamenti, in quo innititur recentior Thomismus, e S. Thoma repeti posse.

At quidam Iesuitae id *tribuere veritati* dicuntur, ut *physicam praemotionem Thomisticam* fateantur non a Bannesio primo, sed a S. Thoma defensam esse. Ad Molinam provocant et Suaresium et Bellarminum et Conimbricenses [1]. Splendida nomina! Quid tandem confirmant? Loquuntur omnes iis locis, qui afferuntur, de illa controversia, utrum *concursus generalis* ad omnes atque etiam inhonestos actus naturarum creatarum sit motus *antecedens* actum an *concomitans,* qua quidem in re minime vertitur Bannesianorum cum theologis Societatis disceptatio (v. supra p. 34). Accedit quod et Bellarminus concursum praevium statuens ut probabiliorem, sententiam tamen contrariam probabilem esse plane confitetur atque ostendit; et Molina post ipsum locum, quo adversarii utuntur, dubitat, num docuerit S. Thomas concursum praevium; et Suarez loco allato id unum dicit, docuisse ita S. Thomam in priore illo de potentia libro, in opere suo primario contra sentire, idemque tamen postea [2] revocavit, quod concessisse visus erat, alterum quoque locum in suam sententiam interpretatus. Quod autem nihilominus hodie etiam huiusmodi auctoritates afferuntur, cur S. Thomam sensisse *Thomistice* existimemus, infirmum id quidem est rei demonstrandae argumentum. Multi ad rationem studiorum provocant, in qua admissum sit esse S. Thomae propriam doctrinam Bannesianorum. Quod quam temere obiiciatur, mox videro.

Sed ex ipso quaeramus Angelico doctore. Qui quam non faveat Bannesianorum opinionibus de physica praedeterminatione, quamque congruenter doctrinae Societatis Iesu disserat, legentium ea, quae dicturi sumus, erit iudicium.

---

si vel unum Doctoris Angelici locum daret, ubi divinam futurorum scientiam ostensurus ad ea decreta [praedefinientia] confugisset. Serry, Hist. congr. l. 4. c. 26. p. 605. ed. 2. Antverp. 1709.

[1] Molina, Concordia in I. qu. 14. art. 13. disp. 26. Suarez, De vera intelligentia auxilii efficacis, c. 14. Bellarminus, De gratia et libero arbitrio, l. 4. c. 16. Conimbric. l. 2. Physic. c. 7. qu. 13.

[2] L. III. De auxiliis gratiae c. 37. n. 11 ss. Ed. Vivés VIII. 177 ss.

I. Quomodo S. Thomas intelligat a Deo voluntatem moveri.

Voluntatem a Deo moveri, omnes fatentur. Haec igitur veritas non est in controversia, sed eius explicatio.

Quum moveri dicimus causam non corpoream, traductio intelligitur alicuius potentiae ad actum. Iam S. Doctor a Deo humanam voluntatem ad actus liberos moveri docet, determinari non docet. Quid interest inter *movere* et *determinare?* Idem sonant, si hoc alterum vocabulum accipitur latius; sin pressius, determinatio dicitur pulsus indeclinabilis ad unam aliquam certamque actionem. Nulla autem esse potest motio nisi ad *aliquid* atque etiam unum aliquid; ita omnis motio est aliqua determinatio. Sed hoc *aliquid* variari potest ratione multiplici. Nam voluntas natura sua ad communem speciem boni determinatur. Varia sunt autem genera bonorum. Ita illa communi determinatione voluntas non ad certum aliquod genus bonorum astringitur, et infinita est in illa communi appetentia boni varietas actuum. Quodsi illud unum, ad quod voluntas compellitur, omni ratione modoque minutissime circumscriptum est, excludi omnem variationem patet, atque haec est illa, quae proprie ac presse dicitur determinatio. Ergo in qua re versetur huiusmodi determinationis et motionis discrimen, evidens est. Motio enim ab eo, qui movetur, variari ac modificari potest, determinatio non potest. Atqui in hoc altero genere est illa physica praedeterminatio, quam Bañez induxit, qua et genus et magnitudo *omnis*que modus ac ratio motionis indeclinabiliter praefinitur.

Ergo ut ordine progrediamur, primum de communi rerum creatarum motione per Deum, tum de motione liberae voluntatis, denique de scientia media dicemus, qua absolvi ac perfici S. Thomae doctrinam necesse est.

1. S. Thomas motum a Deo profectum a naturis creatis *modificari* docet, id quod Bañez negat. Quam hic ab illo discrepet, ut clarissime eluceat, verba utriusque quasi e regione posita comparabimus.

S. Thomae primus locus sit is, quem Ferrariensis quoque notavit; est autem I. dist. 38. q. 1. art. 5. in c., ubi ad solvendam eorum obiectionem, qui dicunt, contingentiam effectuum in rebus creatis non consistere cum causae supremae necessitate, haec affert: „Quandoque sunt causae multae ordinatae, effectus ultimus non sequitur causam primam in necessitate et contingentia, sed causam proximam, quia virtus causae primae recipitur

in causa secunda secundum modum causae secundae. Effectus enim ille non procedit a causa prima, nisi secundum quod virtus causae primae recipitur in secunda causa, ut patet in floritione arboris, cuius causa remota est motus solis, proxima autem virtus generativa plantae. Floritio autem potest impediri per impedimentum virtutis generativae, quamvis motus solis invariabilis sit. Similiter etiam scientia Dei est invariabilis causa omnium, sed effectus producuntur ab ipso per operationes secundarum causarum."

Alter locus est, quo fusius explicatur, quomodo motio Divina per naturas creatas *modificetur,* q. 3. de malo art. 2. in c.: „Necesse est omnes motus secundarum causarum causari a primo movente, sicut omnes motus inferiorum corporum causantur a motu coeli. Deus autem est primum movens respectu omnium motuum et spiritualium et corporalium, sicut corpus coeleste est principium omnium motuum inferiorum corporum. Unde cum actus peccati sit quidam motus liberi arbitrii, necesse est dicere, quod actus peccati, in quantum est actus, sit a Deo. Sed tamen attendendum est, quod motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum. Alio enim modo causatur a motu coeli motus corporum inanimatorum, quae non movent se ipsa, et alio modo motus animalium, quae movent se ipsa. Rursumque alio modo consequitur ex motu coeli pullulatio plantae, in qua virtus generativa non deficit, sed producit perfectum germen; alio modo pullulatio plantae, cuius virtus generativa est debilis et producit germen inutile. Cum enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi moventis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi moventis; sed si non sit in debita dispositione et aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta. . . Sic ergo dicendum, quod cum Deus sit primum principium motionis omnium, quaedam sic moventur ab ipso, quod etiam ipsa se movent, sicut quae habent liberum arbitrium; quae si fuerint in debita dispositione et ordine debito ad recipiendum motionem, qua moventur a Deo, sequentur bonae actiones. . . Si autem deficiant a debito ordine, sequetur actio inordinata, quae est actio peccati."

Quibus locis alios addamus:

Q. 1. de pot. a. 4. ad 3. „Licet causa prima maxime influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur et specificatur, et ideo eius similitudinem imitatur effectus."

Q. 5. de ver. art. 9. ad 10: „Causa primaria plus dicitur in-

fluere quam secunda, in quantum eius effectus est intimior et permanentior in causato quam effectus causae secundae; tamen magis similatur causae secundae, quia per eam determinatur quodammodo actus primae causae ad hunc effectum.“ Haec ita de omnibus causis primis dicuntur, ut Divina non excludatur.

L. 3. contra Gentiles c. 66. 5: „Item, secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse, nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis; secunda autem agentia, quae sunt quasi particulares et determinantes actionem primi agentis, agunt sicut proprios effectus alias perfectiones, quae determinant esse.“ Quam sententiam explanator ille Ferrariensis ex illa ratione explicat, qua identidem S. Thomas utitur: vim motumque primae causae receptum in secunda ex huius conditione, tamquam ex susceptivi conditione, accipere limitationem et determinationem.

2. dist. 1. q. 1. a. 4: „Horum causa etiam Deus est ... quia ipse est dans esse rebus; causae autem aliae sunt quasi determinantes illud esse.“

Iam vero audito S. Thoma audiamus Bannesium. Qui de Caietano sic scribit (In 1. part. q. 19. art. 8. ed. Duac. 1614. p. 244. B.): „Displicet quod ait virtutem primae causae modificari per causam secundam. Quod quidem ego falsum reputo si de prima causa universalissima, qualis est divina voluntas, intelligatur. Immo vero divina voluntas omnia modificat, dum causa est universalissima et efficacissima cuiuslibet rei et quantum ad fieri et quantum ad esse et quantum ad modum.“ Ergo Bañez, cuius doctrinam Alvarez (de Aux. disp. 26) amplexus est, displicere sibi Caietanum scribit, quod virtutem primae causae modificari doceat per causam secundam; potuerat dicere, displicere Ferrariensem, qui ad verbum cum illo congruit, displicere S. Thomam, a quo et illi commentatores et veteres omnes Thomistae istam sententiam mutuati sunt. Sed audiamus, doctrinam suam quomodo confirmet. Sic enim ait l. c.: „Et confirmatur. Quia esset ponere maximam imperfectionem in Deo, asserere, quod quemadmodum idem omnino concursus solis producit distinctos effectus, quia modificatur per distinctas causas inferiores, ita concursus Divinae voluntatis quantum est ex parte sua manet indifferens, sed modificatur et determinatur ad distinctos effectus per distinctas causas inferiores.“ At hanc quam dicit *maximam im-*

perfectionem S. Thomas a Deo minime removit; scilicet imperfectio nulla est, sed liberrima Divinae voluntatis dispositio. Similitudinem autem efficientiae solis ac primi motoris post S. Thomam (v. locos supra laudatos) communiter theologi usurpant, ut demonstrent, qua ratione Dei motio recepta in naturis creatis modificetur. Unde apparet, quam longe Bañez a veteribus illis discesserit. Quod vero ille praeterea pro confirmatione ponit, eandem rem luculentius ostendit. „Etiam primum mobile," inquit, „quatenus modificabilis est eius concursus ad effectum specialem generationis equi, pendet in genere causae materialis a causa particulari et a dispositionibus eius, eo quod ipsum primum mobile non est causa totius entis, sed aliquo praesupposito operatur... Et haec doctrina valde notanda est pro materia de gratia et de praedestinatione, in qua multi paralogizantur putantes, quod liberum arbitrium hominis modificat aequalem concursum et auxilium Dei determinans illud ad magis vel minus efficiendum. Et ita solent aliqui ignoranter dicere, quod cum aequali auxilio gratiae Dei unus convertitur et alius non. Qua via facile inciditur in errorem Pelagianorum." Quo loco Bañez doctrinae S. Thomae a vetere schola explicatae aperte contradicit. Si enim S. Thomas, quum influxum, quo actus seu effectus producatur, unum esse doceat, qui et a Deo et a re creata repetendus sit, duas intelligit esse *concausas*, Caietanus etiam diserte *concausas* nominat (in I. q. 14. a. 13. § *Nec sustinendus*): easdem Capreolus (in 2. dist. 28. q. 1. a. 3. ad 12.) *partialiter coefficientes* vocat. Quarum causarum quae ratio esset ac proportio, ut explicarent, Thomistae veteres Deum dicebant causam *efficientem*, virtutem creatam *materialem* sive *dispositivam*, quod secundum S. Thomae doctrinam motum in se reciperet receptumque pro sua dispositione variaret. In hunc modum imprimis iustificationis rationem explicabant [1]. At Bannesium suae doctrinae proprietas induxit, ut illud negaret et hac ratione, quemadmodum Medina dixit, *novam atque inauditam* opinionem proponeret [2]. Iidem illi veteres in eam quoque sententiam venerant, quae Bannesio *via proclivis ad Pelagianismum* visa est, Romaeo contra communis S. Augustini et Patrum doctrina [3]: si duo traherentur ab aequali gratiae motu, fieri posse, ut alter converteretur, alter animo obduresceret. Atque ita ad

[1] Vide Victoriae scholia, quae infra afferemus, ad I. II. q. 102. a. 2.

[2] I. II. q. 113. a. 8. p. 1686. Hic locus infra magis explicabitur.

[3] De libertate operum a necessitate p. 107. Locus integer infra afferetur.

alterum locum devenimus, quo quaerendum est, quomodo *libera* voluntas moveatur a Deo.

2. Motus a Deo profectus a causis creatis modificatur, sed aliter a necessariis, aliter a *liberis:* in illis conditione cuiusque rebusque adiunctis, quibus non suo arbitratu subiectae sunt; in his suo cuiusque arbitratu atque consilio. Illas in certa rerum conditione constitutas Divina motio penitus ac necessario ad suos compellit actus; at liberae naturae certis affectae rebus ac Divino instinctu excitatae, tamen ita ut libet moventur. Quare S. Doctor *Creaturam,* inquit, *rationalem ordinat* [Deus] *ad agendum voluntarie et per se, sed aliae creaturae non agunt nisi motae ex operatione Divina* (I. q. 19. a. 12. ad 3.). Quam differentiam explicat q. 22. de ver. a. 4. in c.: *Quanto aliqua natura,* inquit, *est Deo propinquior, tanto expressior in ea divinae dignitatis similitudo invenitur; hoc autem ad divinam dignitatem pertinet, ut omnia moveat et inclinet et dirigat, ipse a nullo alio motus vel inclinatus vel directus. Unde quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur, et magis nata est seipsam inclinare.* Deinde naturarum creatarum quasi gradus percurrens ostendit, eas, quae ratione sint praeditae, *non determinari ab alio, sed a seipsis.* „Natura rationalis," inquit, „quae est Deo vicinissima, non solum habet inclinationem in aliquid, sicut habent inanimata, nec solum movens hanc inclinationem quasi aliunde eis determinatam, sicut natura sensibilis; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari, et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed a seipsa." Quibus verbis S. Thomas explicat liberam naturam eatenus ad Deum propius accedere, *quanto minus ab eo* [i. e. Deo] *inclinetur,* sed inclinet seipsam. Quam quum concludens dicit *habere in potestate ipsam inclinationem nec ab alio determinari,* „alium" illum etiam Deum intelligat necesse est, praesertim quum ipse doceat (I. II. q. 9. a. 6. et alibi), voluntatem nisi aut a seipsa aut a Deo proprie inclinari non posse. Ceteroquin similis est argumentatio q. 22. de ver. a. 8. in c., ubi de *Divina* loquens inclinatione sic ait: *Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat.* Nec enim quidquam aliud est actus voluntatis nisi inclinatio ad aliquid (l. c.). In hoc autem libertas vertitur arbitrii, ut ad rem ab intellectu propositam, prout libitum sit, vel inclinet se vel non inclinet (I. II. q. 15. a. 2. et 3.). Non potest omni motu Divino carere voluntas, sed eo est liberior, *quo*

minus inclinatur a Deo ac magis possit inclinare seipsam; sin *perfecta* est inclinatio divinitus indita, quae *determinatio* appellatur, sublata est libertas. Ita quidem ille. Quid Bannesiani? *Physicam praedeterminationem* vocant *omnipotentissimam, insuperabilem et indeclinabilem energiam gratiae per se efficacis* (vid. supr. p. 5. not. 1.). Huiusmodi autem praedeterminatio *perfecta* certe *inclinatio* voluntatis est, qua praesente ob infinitam Divinae potentiae virtutem fieri non potest, quin illa ad actum inclinetur. Tollit igitur, si S. Thomam audias, libertatem.

Si ullus alius scriptor, profecto ille dignus est, cuius verba clarissima maximeque perspicua sic intelligantur, ut sonant. Quod si fiet, dissentient ac discrepabunt inter se S. Thomas et Bannesiani. Audiantur utrique. Hi nunquam magis aut minus inclinari voluntatem a seipsa dicunt, quam inclinetur a Deo; ille aliter fieri posse concedit, quum naturae rationalis perfectionem in eo constituat, ut et *minus* inclinetur a Deo, et *magis* possit se ipsam movere. Bannesiani determinationem Divinam necessario intelligunt perfectam, hic *imperfectam.* Illi fieri posse negant, ut, quum Deus moveat voluntatem, ea non inclinetur; hic recepto motu Divino utrumlibet dicit esse in potestate atque arbitrio voluntatis. Illi inclinationem voluntatis a Deo determinari volunt, hic *determinari* aperte negat. Nonne haec inter se pugnant? Non pugnant, inquiunt; dicimus enim *posse* non inclinari voluntatem etiam praesente praedeterminatione; non est haec igitur *perfecta* inclinatio, h. e. talis quae sublata potestate compellat atque cogat. At non hoc solum ille dixerat, *posse* voluntatem se non inclinare, sed *in eius potestate esse* non inclinari. Ubinam autem gentium, si quis alterius *energia insuperabili* et *indeclinabili* impulsus ita motus sit, ut eum actu subsistere plane repugnet, existimant in ipsius potestate esse subsistere? Sua verbis reddatur sententia: hoc Pii IX. dictum si in verba S. Thomae applicetur, recentior *Thomismus* sepultus est.

Quantum autem ab hoc illius doctrina distet, tum vel maxime apparet, quum amplius exponit, qua ratione omnis motus voluntatis a Divina motione derivetur ac dependeat. Occurrit sane hic aliqua etiam nostrae Societatis theologorum dissensio. Sunt enim qui illum sic interpretentur, ut solum concursum simultaneum docere videatur, alii potentiam ad actum praemoveri S. Thomae sententiam esse existimant. Simultaneum autem concursum nostrae doctrinae congruere nemo est qui neget; itaque de altero pauca dicemus, quibus demonstretur, quomodocumque

illum interpretemur, praedeterminationes excludi. Origo quoque erroris unde sit, intelligemus. Quae enim ille de naturali voluntatis ad finem ultimum determinatione scripsit, ea ad physicam praedeterminationem libere factorum transferunt. Simul ostendemus, si qui e Nostris praemotionem defendant, eos non idcirco Bannesianis assentiri.

Voluntas Dei est origo omnis naturalis motus (de pot. q. 3. a. 7. ad 9.) ut causa *efficiens*, quum scientia Divina sit causa *exemplaris*. *Natura* enim *nihil aliud est quam ratio artis divinae, indita rebus, qua ipsae res moventur* Dei voluntate *ad fines determinatos* (lect. 14. in 2. Phys. cf. I. II. q. 13. a. 2. ad 3.). Qui quum naturas crearet, universam etiam cuiusque actionem et finem et modum et conditiones disposuit atque constituit. Eadem est ratio creatae voluntatis. Quae nec omni tempore nec omni modo actus elicit naturales, sed aliquas agendi conditiones Deus praefinivit. Illae autem in singulis voluntatibus non universe, sed adhibita praescientia singulatim ac minute praefinitae sunt, ut *ubicunque* inciderunt et *quamdiucunque* constant, voluntas humana efficacissimo Divinae voluntatis decreto a potentia ad actus naturales traducatur.

Quae est igitur naturalis actio voluntatis? Ut in omni actione ita in hac distinguendum est, *quis* agat et *quid agat.*

Rerum, quas voluntas appetere potest, infinitus est numerus; quaecunque autem appetitur, ideo appetitur, quia bona videtur, et quidquid bonum videtur, potest appeti; ad bonum igitur movetur et compellitur natura sua voluntas.

Nec vero ad singulas res bonas voluntas necessitate compellitur, sed sua sponte inclinatur. Itaque ipsa vis voluntatis et causa efficiens actum voluntatis qualis sit, videndum est. Manifestum est autem ipsam agere voluntatem et actum proxime efficere; cuius tamen *prima* causa est Divina voluntas. Naturaliter enim impellimur ad finem, ut beati esse studeamus; et ab hoc studio omnis proficiscitur actus voluntatis. „Quidquid enim homo appetit,“ inquit S. Thomas, „appetit sub ratione boni; quod quidem si non appetitur ut bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse est ut appetatur ut tendens in bonum perfectum; quia semper inchoatio alicuius ordinatur ad consummationem ipsius“ (I. II. q. 1. a. 6.). Nec vero, quum beatitudinem naturaliter appetimus, de ipsa nos semper cogitare dicit, sed naturalem boni appetitionem virtute desiderium illud complecti atque includere (l. c.). Quodsi verum est, Deum ad actus naturales movere, nos

vero naturaliter appetere finem et ab hoc studio omnem actum voluntatis derivari: a Deo necesse est, quum volumus, moveri et adiuvari voluntatem. Quam rem ille in I. II. q. 9. a. 4. et 6. uberius explicat. „Omne enim," inquit, „quod quandoque est agens in actu et quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet. Necesse est ergo, quod ab aliquo moveatur ad volendum. Et quidem ipsa movet seipsam, inquantum per hoc, quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quae sunt ad finem. Hoc autem non potest facere nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare, quomodo hoc consequi possit; et per talem cogitationem pervenit ad hoc quod potest sanari per medicinam, et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quod inceperit velle sanari ab aliquo movente. Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate praesupposita. Non autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodam cap. Eth. Eudemicae." Ille primus actus, uti ex superioribus intelligitur, non potest esse nisi appetentia finis, atque ita in 6. articulo concluditur, primi actus causam esse Deum, qui et naturas creaverit et actiones naturales ordinaverit. Eadem argumentatione S. Doctor utitur *De malo* q. 6. Omnis igitur actio voluntatis ab ea indeliberata appetentia finis oritur, quam Deus ipse naturae indidit, estque haec fons atque origo libere factorum. Sic enim natura se habet ad voluntatem, ut natura quaedam sit ipsa voluntas nec a voluntate sit alienum, quod est proprium naturae. Commune est autem omnis naturae creatae, ut a Deo instinctu naturali ad bonum dirigatur. Ad suum igitur bonum voluntas naturaliter impellitur. Potest autem ad alia quoque, quae ipsius sunt propria, sine necessitate, sua ipsius determinatione tendere. Sicut natura est voluntatis fundamentum, ita appetibile, quod naturaliter appetitur, est aliorum appetibilium principium et fundamentum. In appetibilibus autem finis est fundamentum et principium eorum, quae sunt ad finem, quum quae sunt propter finem non appetantur nisi ratione finis. Et ideo quod voluntas de necessitate vult, quasi naturali determinatione in ipsum determinata, est finis ultimus, ut beatitudo. Sed ad ea, quibus eo perducamur, voluntas non determinatur naturali inclinatione. Ipsi igitur relinquitur optio ac de-

terminatio. (De ver. q. 22. a. 5.) Quae S. Doctor mox (a. 6.) iterum repetit et confirmat. „Quia mobile reducitur ad immobile, indeterminatum ad determinatum, ideo oportet, quod id, ad quod voluntas est determinata, finis ultimus, sit principium appetendi ea, ad quae non est determinata," quae eligit libere. Quoniam enim variae sunt ad illum finem viae, *non potuit esse appetitus voluntatis determinatus in ea, quae sunt ad finem* (l. c. art. 6. Cf. IV. d. 49. q. 1. ad 3.). Ipsius igitur est eligere, quam viam ingrediatur, nec ad id S. Thomae sententia alia ulla indiget determinatione. Nam *in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum quae sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit.* I. II. q. 9. a. 3. ad 1. Item De malo q. 6. a. 1: „Voluntas," inquit, „movetur a seipsa. . . Nec propter hoc sequitur, quod voluntas secundum idem sit in potentia et in actu. . . Per hoc, quod homo aliquid vult in actu, movet se ad volendum aliquid aliud in actu, sicut per hoc quod vult sanitatem, movet se ad volendum sumere potionem." Attendantur verba. Libertas seu indifferentia creata natura sua potentialis est manetque etiam tum, quum ad primum actum, quo voluntas finem ultimum appetit, a Deo necessario determinata est; sed hanc potentialitatem sui determinatione ipsa superat; quod facere potest; non enim tum est in nuda potentia, sed illa Divina determinatione ad *aliquem* actum iam traducta. Unde elucet, qua determinatione voluntas, quod sit causa contingens, indigeat (I. q. 19. a. 3. ad 5.). Est autem illa, quam saepe nominavimus, qua ad finem ultimum appetendum Divino ac naturali instinctu compellitur. Sed vi huius necessarii actus ipsa se ad actus liberos determinat, Divinae voluntatis exemplar imitata, quae ipso actu necessario se determinat ad liberos (de ver. q. 22. a. 5. ad 4. et I. q. 19. a. 3. ad 5.). Quam similitudinem voluntatis Divinae S. Thomas gravissime premit, ita quidem, ut Bannesianorum praedeterminationes excludantur.

Agens, inquit, *voluntarium assequitur divinam similitudinem in hoc, quod libere agit.* Libertatem autem S. Doctor (II. contra Gent. c. 47. et 48.) in eo constituit, quod agens *habet dominium sui actus* et *sibi ipsi est causa agendi*, quia in eius potestate est agere et non agere, nec ad alterutrum ab alio, sed a seipso determinatur. Quae *libertatis* descriptio quum cardo totius sit controversiae, magis explicanda esse videtur.

Libertas et necessitas inter se pugnant; *voluntas* enim dicitur *libera*, *in quantum necessitatem non habet* (qu. 22. de ver. a. 6. in c.). Necessitas autem est determinatio quaedam in unum (l. c.),

liberum igitur non est ad unum determinatum, sed integram habet potentiam ad plura. Id tamen ad libertatem non sufficit: necesse est, voluntatem sua, non alterius determinatione de potentia transire ad actum.

S. Thomam haec duo libertatis notione comprehendere, ex variis locis evidenter patet:

[Liberum arbitrium in Deo salvatur] quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a seipso (2. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 1.). Quum S. Doctor dicit *salvatur,* aperte significat, quae sequuntur ad ipsam libertatis naturam pertinere et proinde etiam liberis creaturis convenire. Quaenam vero Angelicus Doctor loco mox laudato ad liberum arbitrium necessaria esse ducit? Haec duo: ad agendum non ab alio determinatum esse, sed seipsum determinare. Atqui Deus est verissime alius a voluntate humana. Ergo ad *salvandum* huius liberum arbitrium necesse est, ut non a Deo ad agendum determinetur. Quod S. Thomas diserte quoque affirmat:

„Potentia rationalis se habet ad opposita in his, quae ei subsunt, et haec sunt illa, quae *per ipsam determinantur;* non autem potest in opposita illorum quae sunt ei *ab alio* determinata, et ideo voluntas *non potest in oppositum eius, ad quod ex divina impressione determinatur,* scil. in oppositum finis ultimi; *potest autem in oppositum eorum, quae ipsa sibi determinat,* sicut sunt ea quae ordinantur in finem“ (IV. dist. 49. q. 1. a. 3. quaestiunc. 4. ad 1.).

Hoc loco S. Thomas aperte et definite dicit: quia voluntas in iis, quae sunt ei *ab alio* determinata, necessitatem patiatur, *ideo* eam non posse in oppositum eius, ad quod ex *divina* impressione determinetur; *quae* eius arbitrio *subsint,* esse *illa* duntaxat, *quae per ipsam determinentur.*

De verit. q. 22. art. 6. ad 1: „Dicendum, quod esse animae non est determinatum a seipsa, sed *ab alio* [i. e. a Deo]; sed ipsa determinat sibi suum velle. Et ideo quamvis esse sit immutabile, tamen velle indeterminatum est ac per hoc in diversa flexibile.“ Hic iterum S. Thomas duo coniungit: non esse ab alio determinatum et se ipsum determinare. *Alium* vero intelligit Deum, quod patet ex comparatione voluntatis cum *esse* animae; hoc enim a solo Deo est determinatum.

In solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, quorum actiones determinantur a quibusdam aliis causis superioribus (in II. dist. 25. q. 1. a. 1. in corp.). *Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret,*

ut ex proprio iudicio eligeret hoc aut illud (II. dist. 28. q. 1. art. 1. in c.). En, rursus illa duo ad liberum arbitrium plane necessaria: non esse determinatum a causis superioribus (ergo nec a Deo) et se ipsum determinare.

„Ratio culpae in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actus: hoc est autem in homine secundum illam potentiam, quae ad plura se habet nec ad aliquid eorum determinatur nisi ex seipsa, quod tantum voluntati convenit“ (II. dist. 39. q. 1. a. 2. in c.).

Hic S. Thomas, semper sibi constans, omnem determinationem, quae ab alio quam ab ipsa voluntate proficiscitur, excludit.

„Nihil imputatur alicui in peccatum et culpam nisi illud cuius causa ipse est, quia non laudamur neque vituperamur nisi ex actibus nostris. . . Unde cum voluntas dupliciter dicatur, scilicet voluntas potentia et voluntas actus, voluntas potentia, cum a nobis non sit, sed a Deo, in nobis non potest esse peccatum, sed actus eius, qui a nobis est. Sed sciendum, quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter. Uno modo tam secundum substantiam actus quam secundum determinationem agentis ad actum, et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate; ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, *non est ab alio determinante,* sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente, sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Et ideo propriissime actus voluntatis a voluntate esse dicitur“ (II. dist. 39. q. 1. art. 1.).

Quem locum extenuare conati sunt, qui illum *alium* non Deum esse intelligendum dixerunt, ne planissime improbari videretur doctrina Bannesianorum. Imprimis Massoulié (l. c. I. 227) hunc dicit *verissimum S. Thomae sensum.*

At non modo falsa explicatio est, quum Deus infinitis partibus superans naturas creatas maxime proprie „alius“ i. e. diversus ab iis vocetur, verum etiam totius ratio loci pervertitur, nisi vel imprimis Deus ille alius intelligitur. Vult demonstrare S. Thomas, cur peccare voluntas possit; dicit igitur: *potentiam* voluntatis peccatum esse non posse, quum a *Deo* sit, non a *nobis; actum* posse, quippe qui „propriissime“ sit a *nobis,* non ab *alio.* Alius igitur, ut ex contraria sententia apparet, vel imprimis Deus intelligitur. Idem ostendunt ea, quae sequuntur, ubi S. Doctor

liberis actibus voluntatis, quorum et substantia et determinatio sit ab agente, necessarios naturae actus opponit, quorum substantia sit ab ipsa, determinatio a naturae auctore. Hic quis est? Responderat paullo ante, quum item libertatem necessitati opponeret: esse Deum, qui naturas necessitate determinaret, at voluntatibus sui determinationem reliquisset (II. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3.). Quoniam igitur et superius et inferius negavit, potentiam esse peccatum, quia sit ab alio, i. e. a Deo, itemque actus naturarum necessarios, quia ab alio, i. e. a Deo, determinentur: quum liberos actus voluntatum, qui non ab alio, sed ab ipsis determinentur, posse esse peccatum demonstrat, ille alius vel maxime Deus intelligi debet, aut certe Deus non est, id quod Bannesiani volunt, praetermittendus. An haec erit causa peccati, si voluntas a Deo quidem determinata erit, dummodo ne sit ab alio quoquam determinata? Adde, quod in simili loco, quem supra proposuimus (IV. dist. 49. q. 1. a. 3), pro illis verbis: „ab alio determinata" haec substituit: „ad quod ex divina impressione determinatur." Nec alii nisi Deo in libro *De veritate* (q. 22. a. 6. ad 1., v. supra p. 65.) eam determinationem tribuit, quae sui determinationi voluntatis opponatur.

Quum Deum voluntatem ad liberas actiones determinare negat, concedit tamen, illum in ipsa operari, et ideo docet, Deum ita in voluntate operari, ut eam non ad certam actionem determinet, sed determinationem actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituat: „Deus," inquit, „operatur in omnibus, ita tamen, quod in unoquoque secundum eius conditionem, unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi et sicut *determinans* naturam ad talem actionem, in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret et ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen *determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur.* Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti" (II. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 3.).

Eadem in qu. de malo et de pot. repetit. Ibi enim: „Deus," inquit, „movet voluntatem secundum eius conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa" (q. 6. art. 1. in corp.). Deus motu suo voluntatis *indeterminationem* non tollit, ergo nec illam determinat; *indeterminatum* enim idem est ac non determinatum. Simile habet alter locus (de pot. q. 3. a. 7. ad 13.), ubi Deus ita in voluntate agere dicitur, ut tamen *determinatio actus relinquatur in potestate rationis et voluntatis.* Si Deus de-

terminationem libero arbitrio relinquit, ergo non ipse eam antea perficit absolvitque.

Iam innuimus (supra p. 60. 64.) locos ex qu. de veritate, ubi S. Thomas docet, inclinationem ad bonum apprehensum *non determinari* naturae rationali *ab alio* (Deo), *sed a seipsa;* deinde definit, libertatem esse *indeterminationem,* additque: *non potuit appetitus voluntatis esse determinatus* ad ea, quae sunt *ad finem* (q. 22. art. 4. in c. art. 6. in c.). Properemus igitur ad Summam theologicam, ut ostendamus, S. Doctorem usque ad mortem semper in eadem sententia mansisse.

„Voluntas," inquit, „est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa" (I. II. q. 10. a. 4. in c.). Quod aliis locis comparatione voluntatis cum iis, quae necessario agunt, et actionis humanae cum motu Divino explicat. Audiamus Doctorem nostrum:

„Appetitus sensitivus est determinatus ad unum particulare secundum ordinem naturae; voluntas autem est quidem secundum naturae ordinem determinata ad unum commune, quod est bonum, sed indeterminate se habet respectu particularium bonorum." (Q. 13. a. 2. in c.)

„Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum." (Q. 9. a. 6. ad 3.)

Hi loci optime inter se cohaerent. Animalium *appetitus ad unum particulare est determinatus,* non item voluntas; est tamen determinata ad unum commune, quod est bonum. A quo determinata? Utique a Deo, qui movet voluntatem ad eius universale obiectum, quod est bonum. Sed haec Divina motio relinquit voluntatem „indeterminate se habentem respectu bonorum particularium". A quo igitur determinatur, ut transeat ab actu primo indeterminato ad actionem determinatam? Respondet S. Thomas: *„Homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud."* En, rursus S. Doctor illa duo in ratione libertatis constituit: ad certas quasdam actiones non esse determinatum, ne a Deo quidem, sed se ipsum determinare. Quae sequuntur, doctrinam nostram confirmant: *Sed tamen,* inquit, *interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam.* Secundum Bannesianos Deus *semper movet*

ad aliquia determinate volendum, nec solum movet, sed plane determinat, quia repugnaret hominem secus agere; secundum S. Thomam *interdum* duntaxat movet, non determinat, quia voluntas etiam motum gratia acceptum *modificare* potest. Transeamus ad alium locum (I. II. q. 1. a. 2.).

„Si agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo, quod determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis. Haec autem determinatio, sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas: ita in aliis fit per inclinationem naturalem, quae dicitur appetitus naturalis. Tamen considerandum est, quod aliquid sua actione vel motu tendit ad finem dupliciter, uno modo sicut *se ipsum* ad finem *movens,* ut homo, alio modo sicut *ab alio motum* ad finem, sicut sagitta tendit ad finem determinatum ex hoc, quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit ad finem. Illa ergo, quae rationem habent, *se ipsa movent* ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium ...; illa vero, quae ratione carent, tendunt ad finem propter naturalem inclinationem, quasi *ab alio mota,* non autem a se ipsis. . . Nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum sicut instrumentum ad agens principale, ut supra habitum est I. p. q. 103. a. 1. ad 3.“ („Necessitas naturalis inhaerens rebus, quae determinantur ad unum, est impressio quaedam Dei dirigentis ad finem, sicut necessitas qua sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis.“ Et q. 19. a. 4. in c.: „Necesse est, ut agenti per naturam praedeterminentur finis et media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu, sicut sagittae praedeterminatur finis et certus motus a sagittante.“)

Ut paucis dicam, S. Thomas docet, ex statu indeterminato voluntatem ad certas actiones sui ipsius determinatione transire, quum contra *ab alio,* i. e. a Deo, bruta animalia *ad finem et media* praedeterminentur et determinentur, quod praecipuum discrimen inter libertatem et necessitatem constituit. Orditur ab eadem ratione, cui innituntur Bannesiani: ut causa secunda agat, necesse esse *determinetur ad aliquid certum;* sed ab iis statim dissentit, quum dicit, hanc determinationem in rationali natura ab ipsa voluntate proficisci, in irrationali a Deo.

Concludamus argumenta. Quia in natura positum est libertatis, ne sit determinata, Deus movet voluntatem „non auferendo ei modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit“ (de ver.

q. 6. a. 3. ad 3. et de malo q. 6. a. 1. in c.), nec igitur eam ad liberos actus determinat (v. supra p. 65 ss.), sed in ipsius potestate determinationem relinquit (I. II. q. 10. a. 4. de pot. q. 3. a. 7. a. 13. et alibi). Ergo quum *antegressa est motio Divina ad agendum necessaria* et reliqua actus praeparatio, voluntatis est agere vel cessare, et in ipsius arbitrio solo positum est, velitne agere necne quoque velit modo. „Electiones," inquit, „sunt in nobis, *supposito tamen Divino auxilio*" (I. q. 83. a. 1. ad 4.). Quae potestas ac dominatio voluntatis in actus suos, qua omnis ab alio determinatio excludatur, si S. Thoma utamur auctore, ipsam libertatem atque adeo omnem actionem humanam constituit (I. II. q. 1. a. 1., II. dist. 39. q. 1. a. 2., q. 3. de pot. a. 7. ad 12. et alibi).

Atque liberas actiones ita non dicit determinari a Deo, ut ab ipso vocabulo determinandi studiose caveat. Quod quum argumentationem nostram non parum confirmet, paulo magis explicandum esse videtur.

Bannesiani appellationem *physicae praedeterminationis* accommodatissimam esse volunt, ut Divina motio ad actus liberos voluntatis humanae significetur, nec quidquam certe potest esse eorum doctrinae congruentius. Quam appellationem S. Thomas non solum nunquam in illam sententiam usurpat, verum idem etiam studiose cavet, ne Deum ad ipsos actus liberos *determinare* dicat. Et vox quidem determinandi ei usitatissima est. Naturam constanter dicit a Deo determinari atque etiam humanam voluntatem, quum necessitate ad communem honestatis rationem movetur; ubi de Divina ad *liberos* actus motione dicere instituit, verba mutat, varia adhibet alia, velut movendi, applicandi, inclinandi, faciendi, operandi, nunquam autem determinandi vel praedeterminandi. Potuerat omnino minus accommodate determinationem vocare illam Dei motionem; ipsum enim hominem ab homine dicimus *determinari.* Quodsi proprie loqui volumus, non determinamur ab amico, sed ipsi nos determinamus; in nostro enim arbitrio positum est, sequi velimus an nolimus, omnino an partim, determinare autem proprie decidentis est et concludentis deliberationem. Quoniam igitur vocis determinandi duplex est significatio, altera perfecta, altera imperfecta, et illa, si ab alio fit, semper necessitatem infert: facile intelligitur, cur hanc vim alium perfecte ad unum inclinandi S. Doctor modo simpliciter *determinare* vocet, modo aliqua voce addita: *immutabiliter vel ex necessitate determinare.* Quantum autem abfuerit, ut in Bannesianorum esset sententia, eo manifesto probatur, quod illam vocem *determinandi*

ne imperfecta quidem significatione ad Dei praemotionem liberorum actuum transtulit, quum id facere posset minime inepte.

Vocabulum *praedeterminandi* non usurpari a S. Thoma nisi pro *praedefiniendo,* vel ii theologi, qui Bannesianis favent, aperte concedunt [1]. *Determinare* vero semel omnino ad Dei effectionem ipsorum libere factorum referre *videri* potest [2], quamquam ne hoc

---

[1] Sed ut hoc evidentius pateat, omnes a Massoulié (S. Thomas sui interpres, diss. 1. qu. 2. a. 3. Romae 1692., p. 15 sqq.) collectos locos percurramus. Primum ii loci sunt notandi, qui ex graeco sunt translati. Ibi enim verbum graecum προορίζειν (praefinire, praedefinire) a SS. Ioanne Damasceno (I. q. 23. a. 1. ad 1. et 3. contra gent. c. 90. ex 2. l. de fide orthodoxa c. 30.), Athanasio (I. opusculo contra Graecos c. 16. ex libro ad Serapionem) et Dionysio (de div. nom. c. 5. § 8.) usurpatum, latino verbo *praedeterminandi* redditur. Omnes illi Patres verbo προορίζειν, ut legenti patet et diserte dicitur, aeternas divinae mentis *praeordinationes* intelligunt, in quem sensum S. Thomas quoque l. c. *praedeterminare* accipit. Idem facit in 1. lectione ad I. Tim. c. 2., quum dicit: „*Temporibus* testimonium confirmatum est, *quibus praedeterminatum erat fieri*," i. e. praedefinitum. Item in Isaiam c. 37: „Et primo quantum ad aeternam praeordinationem. *Quae olim*, ab aeterno, *fecerim*, id est, proposuerim facere. Et de exaltatione et destructione, *illud*, malum poenae, quod per ipsum inferre praevidi et praedeterminavi. Secundo quantum ad aeterni propositi temporalem executionem," etc. S. Thomas evidenter *praedeterminare* ad aeternam *praeordinationem* refert et temporali *executioni* opponit; Massoulié vero locum mutilat, omnibus, quae mentem S. Doctoris ostendunt, diligenter omissis. Eadem ratione a S. Thoma Quodlib. XII. a. 5. *providentia Dei, a qua omnia sunt praedeterminata et ordinata,* tamquam *ratio ordinis rerum, prout est in mente divina,* opponitur fato, quod est *explicatio illius ordinis, prout est in rebus;* praedeterminare igitur pertinet ad ordinem rerum in mente divina. Denique S. Thomas verbum *praedeterminandi* bis I. q. 19. a. 4. usurpat, ubi: „Necesse est," inquit, „ut agenti per naturam praedeterminentur finis et media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu, sicut sagittae praedeterminatur finis et certus modus a sagittante." En rursus *praedeterminatio* est *intellectus* praeordinatio. Sed etiamsi concederetur, S. Doctorem hic simul ordinis executionem connotare, tamen nihil inde pro Bannesianorum sententia consequitur; intelligit enim S. Thomas verbum de dispositione necessitatem inferente.

[2] A Thomistis quidem, omnes eius libros in hac re diligenti certe studio excutientibus, locus alius non affertur, qui iure ad determinationem voluntatis referri posse videatur. Vide sis Alvar. disp. 22. n. 11. p. 187. Ponit ille quidem praeter eos, quibus praedeterminatio intelligitur aeterna Dei praedefinitio, etiam I. qu. 105. ad 1. ad 3. Sed ostenderat pridem Suarez, eum locum, nisi summa ambiguitate uti velles, ad praedeterminationes referri non posse. Quaeritur enim, possitne Deus ipse formam imprimere materiae, ac ratio cur possit haec redditur: „Quod causae secundae ordinantur ad determinatos effectus, est illis a Deo", i. e., quod Deus naturam rebus indidit, qua ad certos effectus ordinentur. De Rubeis in editione critica exhibet *ordinantur,* sed quamquam *determinantur* legunt alii, de sententia ambigi non potest.

quidem diligenter consideranti probabitur. „Causa," inquit (I. q. 19. a. 3. ad 5.), quae est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas Divina, quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam." Non definite humanam voluntatem determinari affirmat, sed universe loquitur de causis tum corporeis tum animatis, et, qui extrinsecus determinat, non solus Deus, sed etiam naturae creatae intelliguntur. Diversa erit igitur determinatio pro varietate naturae vel determinantis vel determinatae. Itaque introspiciendum est accuratius, voluntatis determinationem qualem S. Thomas intelligat, utrum proximam ipsorum libere factorum determinationem an aliam. Respondebit ipse.

Causam ex se contingentem et voluntatem natura indifferentem aliqua egere *excitatione,* frequenter docet. Velut De Veritate (q. 24. a. 14. in c.) haec habet: „Voluntas hominis non est determinata ad aliquam unam operationem, sed se habet indifferenter ad multas; et sic quodammodo est in potentia nisi mota per aliquid activum, vel quod ei exterius repraesentatur, sicut est bonum apprehensum, vel quod in ea interius operatur, sicut est ipse Deus." Hoc loco observa, causam illam externam, qua excitari voluntatem oportet, posse esse *bonum apprehensum.* Alio quidem loco (I. II. q. 9.) concludit, quia voluntas sit in potentia, Divinam motionem et determinationem necessariam esse, sed ibidem disertissime docet, hanc motionem esse determinationem in bonum commune, sine qua voluntas nihil quidem potest efficere, quacum tamen sine ulteriore Divina determinatione ad arbitrium se ipsam ad actus liberos determinare potest. Quod iam satis ostendimus.

Idem igitur, qui nullo prorsus loco dixerit, voluntatem a Deo ad actus liberos determinari, constantissime docet, voluntatem in utenda libertate a se sola, nec ab alio quoquam, ne a Deo quidem, determinari, atque in hoc verti rationem libertatis, ut voluntas sit indeterminata. Quid ad tot locos Thomistae respondent? Alvarez (de Auxiliis disp. 22. n. 36—38.) duplicem vel potius quadruplicem distinguit determinationem: alteram indifferentiae opponi, sine qua esse libertas non possit, alteram potentialitati; quarum rursus utramque esse duplicem; nam alteram determinationem in actione naturae creatae contineri, alteram antecedere, atque hanc esse physicam praedeterminationem a Deo proficiscentem. Priore distinctione ille utitur, ut ostendat, physica

praedeterminatione non tolli eam indifferentiam, quae ad libertatem requiratur; posteriore illam obiectionem solvere conatur: ad usum libertatis, quum sese ipsa voluntas determinet, requiri, ne sit antea determinata.

Ad priorem solutionem facilis est responsio. Nam in hac quaestione de ea indifferentia (indeterminatione) agitur, quae actum voluntatis creatae saltem natura *prae*cedat, quae non potest esse non potentialis; efficit enim, ut voluntas vel agere vel cessare *possit,* antequam re vera *agat;* cui adiuncta potentialitas auferri non potest, quin illa ipsa tollatur. Voluntas igitur a Deo determinata ad appetendum finem ultimum, quamquam non iam est in nuda potentia, manet tamen in potentia ad agendum libere, usquedum sua ipsius determinatione, nulla adiuncta alia determinatione Divina, quemadmodum supra vidimus, prodeat in actum. Atque etiam cum universa ratione illorum locorum pugnat Alvaresii explicatio, S. Doctorem, quum libertatem cum alterius determinatione consistere negat, eam solam determinationem negare, quae tolleret indifferentiam et naturalem necessitatem inferret. Quod enim S. Doctor dicit, voluntatem ita uti libertate, ut a nullo alio, sed a se ipsa determinetur, non potuit eodem loco diversa significatione illa voce *determinandi* uti, quin omnia perturbaret rationisque ipsius leges violaret. Velut II. dist. 39. q. 1. in articulo primo quum dixisset: *Nec* [voluntas] *ad aliquid eorum determinatur nisi ex seipsa,* in altero illud *secundum determinationem agentis* [voluntatis] sic explicat: *non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Haec, si Alvaresium audias, hanc referunt sententiam: liberum actum non esse ab alio quoquam *cum necessitate* determinante nisi a voluntate *cum libertate* determinante. Quis illum tam absurde locutum esse existimet? Dicamus igitur *eodem* modo, h. e. presse acceptum ab eo esse vocabulum determinandi; sic autem docet voluntatem a se ipsa, non a Deo, ad actum liberum determinari, quia huiusmodi determinatione, si est ab alio, ea indifferentia tollatur, quae requiritur ad rationem libertatis.

Fusius extrema hac commentatione de S. Thomae doctrina demonstrare studebimus, quomodo physica praedeterminatio, si illius rationibus uti velimus, adversetur indifferentiae, sine qua cogitari libertas non potest. Nunc pauca de altera Alvaresii responsione dicemus: Divina determinatione non impediri, quominus voluntas indeterminata se ipsa determinet. „Priusquam voluntas creata," inquit, „se determinat in actu secundo ut causa proxima, intelligitur indeterminata a seipsa et a quacunque alia causa pro-

xima; cum hoc tamen stat, quod praeintelligatur praedeterminari a Deo tamquam a causa prima.“ S. Thomas plurimis locis contrarie loquitur, ut de ver. q. 22. a. 6. ad 1. „Dicendum,“ inquit, „quod *esse* animae non est determinatum a seipsa, sed ab alio (i. e. a Deo), sed *ipsa determinat* sibi suum *velle.* Et ideo quamvis esse sit immutabile, tamen velle *indeterminatum* est ac *per hoc* in diversa flexibile.“ Debet igitur voluntas, ut se ipsa determinet, esse indeterminata; cui repugnare dicitur, si sit a *Deo* determinata. Idem IV. d. 49. q. 1. a. 3. „Potentia,“ inquit, „rationalis se habet ad opposita in his, quae ei subsunt, et haec sunt illa, quae per ipsam *determinantur;* non autem potest in opposita illorum, quae sunt ei *ab alio determinata,* et ideo voluntas non potest in oppositum eius, ad quod *Divina impressione determinatur,* sc. in oppositum finis ultimi.“ Rursum hoc loco „se determinare“ opponitur illi „a Deo esse determinatum“; ut quis igitur se ipse determinet, necesse est non sit determinatus a Deo. Idem ex II. dist. 39. q. 1. a. 1. supra (p. 66) demonstravimus; et de ver. q. 22. a. 4. ex eo, quod voluntas possit seipsam ad aliquid inclinare vel non inclinare, concluditur, eam ab alio (h. e. a Deo) non esse determinatam (v. supr. p. 60.). Sed haec hactenus. Satis enim ostensum est: si necesse sit, voluntatem esse indeterminatam, ut possit se ipsa determinari, Dei quoque determinationem excludi.

Sed Bannesiani nobis obiiciunt duos locos, quibus S. Thomas negat voluntatem determinari a Deo, addito tamen *ex necessitate.* Unde concludunt, Deum non solum ex necessitate, sed etiam alia ratione creaturam determinare posse et ita reapse voluntatem determinare. Afferamus primum S. Thomae verba, ut videamus, num recte concludant. I. II. q. 10. a. 4. in c.: „Ad providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem Divinam consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens et non necessarius, nisi in his, ad quae naturaliter movetur.“ De potentia q. 3. a. 7. ad 13: „Voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat

naturam, sed *determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.*"

His locis S. Thomas, addito verbo *ex necessitate,* describit et explicat, non vero contrahit notionem determinationis. Id tum ex eo intelligitur, quod aliis locis a nobis allatis determinari a Deo actus liberos voluntatis negat simpliciter, tum ex totius loci utriusque ratione cognoscitur. Priore enim, posito voluntatem esse principium *non determinatum ad unum,* concluditur: *Deus igitur non eam de necessitate ad unum determinat.* Quae verba omni sententia carent, si ea recte interpretantur Bannesiani: Deus voluntatem, veluti principium non ad unum determinatum, ad unum determinat, etsi non necessario. Posuerat potius, in *natura* situm esse *liberae* voluntatis, ne ad unum determinaretur, sed ut integre et aequabiliter se haberet ad utrumlibet. Quodsi Deus movens voluntatem congruenter agit huic *naturali* aequabilitati, non potest contraria motione antevertendo eam ad unum determinare. Sic demum argumentatio cohaeret. Nec vero aliter se habet locus posterior. Etenim in potestate arbitrii esse dicitur determinatio actus, h. e. ipsius esse vel eam efficere, vel omittere. Quod quî fieri potest, si est *antea* physice sic determinatum, ut non actu fieri determinationem repugnet? Sed id ipsum eodem loco a S. Thoma plane enuntiatur, tum esse actum in potestate voluntatis, si *non sit obligata ad alteram partem contradictionis* (q. 3. de potent. a. 7. ad 12.); idem est autem obligatum et determinatum esse ad alterutrum; ergo in utroque necessitas est.

Itaque Deus non determinat voluntatem nisi ad appetendum finem ultimum, voluntas autem se ad ea determinat, quibus illum consequatur. Causa autem cuiuslibet liberae determinationis ab illa appetitione finis ultimi repetenda est; intuitu enim finis ad decurrendam viam, h. e. ad libere eligenda adiumenta finis consequendi movemur. „Alio modo," inquit S. Thomas I. II. q. 12. a. 4., „potest considerari, secundum quod voluntas fertur in id, quod est ad finem, *propter finem:* et sic unus et idem subiecto motus voluntatis est tendens ad finem et in id quod est ad finem. Cum enim dico: Volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi unum motum voluntatis; cuius ratio est, quia finis ratio est volendi ea quae sunt ad finem. Idem autem actus cadit super obiectum et super rationem obiecti, sicut eadem visio est coloris et luminis." Redeat igitur in memoriam, quod supra S. Thoma duce vidimus: rationem, cur quidpiam velimus, esse speciem boni et idcirco nos appetere bonum, quod ad finem ultimum impella-

mur. Id ad hunc locum accommodemus: apparebit, in hoc motu ad finem ultimum omnem inniti actum voluntatis, hoc voluntatem traduci ad libere agendum, hoc potentiam iungi cum actu, hoc effici omnino, ut voluntatis actus existat (contr. Gent. 3, 86.), quippe qui esse non possit, nisi ita ut sit appetentia boni, nec aliter esse incipiat, nisi quum Deus voluntatem movit ad finem ultimum; quin immo nihil aliud est ipse actus nisi illa motio ad finem in certam viam directa atque inflexa a voluntate. Deus igitur movendo afficit non solum voluntatem, sed ipsum etiam actum nec vero vi diversa ab efficacia voluntatis; eadem enim inclinatio eatenus a Deo est, quatenus ad bonum generatim appetendum impellit, et eatenus a voluntate, quatenus ad hoc vel illud appetendum determinat. Quod autem voluntas motionem Divinam determinat, illius virtutem efficiendi actus liberi minime tollit. Ut enim profecto nec ventus cessat impellere navim, quum haec gubernaculo in certum locum dirigitur, nec vis vaporis opus efficere, quod machinae structura ad certum genus operum facta atque aptata est: ita motio ad bonum a Deo impressa voluntati et ad procreandum actum liberum producta libera voluntatis determinatione certique generis bonorum electione non impeditur, quominus ad id consequendum ipsa quoque incitet et adiuvet. Iam vero Deus sciens volensque ad singulas actiones adiuvat; praevidit enim scientia aeterna, quem exitum motio sua ad actum liberum nactura esset; quem, si bonus, honestus acceptusque est, approbat, sin malus aut improbus, non impedit. Potuerat autem sine ullo negotio impedire; nam si ipse impulsum ad bonum continuare recusasset, voluntas agere desiisset.

Alia quaedam ad confirmanda ea quae diximus e S. Thoma afferre placet. Dicit in omni actu libero voluntatis inclusum esse appetitum naturalem finis ultimi, ad quem Deus voluntatem impellit (de ver. q. 22. a. 5.). „Nec vero oportet," inquit I. II. q. 1. a. 6., „ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocunque aliquid appetit vel operatur; sed virtus primae intentionis, quae est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cuiuscunque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur; sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine." Quare hominem honeste agendo non idcirco bene mereri dicit, quod beatus esse studeat (id enim natura vult), sed quod iis rebus beatus esse studeat, quibus re vera fieri possit. Nec hanc esse culpam turpiter agentis, quod beatus esse studeat, sed quod ita studeat esse, ut esse re vera nullo modo possit. „Patet

igitur, quod volendo id, quod quis naturaliter vult, secundum se non est meritorium nec demeritorium; sed *secundum quod specificatur ad hoc vel illud*, potest esse meritorium vel demeritorium" (de ver. q. 22. a. 7.). S. Thomas igitur docet, in omni libero voluntatis actu esse quoddam necessarium, ad quod a Deo determinatur, inclinationem in bonum, quae libera voluntatis determinatione *specificatur*. Ita illa quoque intelligitur similitudo pedis claudi, qua et S. Thomas et discipuli eius saepe uti solent, et quid Deus in peccato agat, explicent. Duae res in claudendo distinguendae sunt: motio bona est et ab animi virtute derivatur, vitiosa huius motionis determinatio a pravitate cruris oritur.

Caietanus quoque appetentiam ultimi finis eam partem esse actus voluntatis dicit, quam a Deo determinari S. Thomas doceat. Sic enim explicat illud I. II. q. 9. a. 5. et 6.: „Ad movendum ad exercitium nullo modo [obiecta] concurrunt ex parte motoris ad exercitium. Est enim talis motor solus Deus cum ipsa voluntate (ad art. 5. in fine)... Deus *non solum potentiam* voluntatis dat, sed *actum volendi* clausum in omni actu volendi, *ipsam* scilicet *volitionem boni*. In omni enim volitione haec volitio clauditur, ut principium in conclusione... Et haec volitio est illa, ad quam dictum est oportere voluntatem moveri ab alio, etiam quoad exercitium actus. Secundum hanc enim fertur actu in finem, et ex hac vult quidquid vult" (ad art. 6. in fine).

Atque in hanc sententiam ipse S. Thomas, quotiescunque generalem Dei concursum latius exponit et in voluntatem accommodat, talem esse describit, quo voluntas ad primum actum indeliberatum naturalemque finis ultimi appetitionem moveatur. Ut in I. q. 105., quo loco in hoc ipso Dei concursu generali describendo versatur eumque ad voluntatem transferens inclinationem appellat ad bonum universale; itemque I. II. q. 9. et 10., ubi accuratius quaerit, quomodo Deus moveat voluntatem; rursum III. libro contr. Gent., ubi primum de generali Dei efficientia in rebus creatis, deinde c. 89. de ipsa motione liberae voluntatis agit allatisque nonnullis rationibus communibus postremo loco Aristotelis illud argumentum (ex Eth. Eud.) appellat: *primum actum in motu voluntatis non posse esse nisi a Deo*. In quaestionibus autem disputatis de malo q. 6. a. 1. omnem rationem progressumque motus voluntatis exponens concludit, voluntatem, etsi ab uno actu ad alterum movere se ipsa possit, tamen *ad primum actum* a motore externo compelli; nam et cetera omnia pro sua cuiusque natura et voluntatem pro ratione libertatis a Deo

moveri. Denique in 4. dist. 49. q. 1. art. 3. ad quaestiunculam 2. proposita ratione generali efficientiae Divinae in naturis creatis: *Operatio causae secundae semper fundatur super operatione causae primae,* id quomodo ad actum voluntatis traducatur, in hunc modum ostendit: „Ideo oportet," inquit, „quod omnis operatio animae procedat ex impressione primi agentis, . . . *cum ex impressione primae causae, sc. Dei, hoc animae insit, ut bonum velit et perfectum bonum tamquam finem ultimum appetat."* Res clara est: ob naturalem inclinationem ad bonum a Deo impressam voluntati eius actio in actione primae causae innititur. Quidni ita esset? Etenim vi naturalis appetitionis, qua ad bonum propellimur, liberi actus voluntatis eliciuntur. Atqui *illud, in cuius virtute agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus,* ut de hac ipsa Divina motione voluntatis S. Thomas scribit III. contr. Gent. c. 89. Ita autem quatuor inveniuntur modi, quibus Deus causa est actionis creatae (q. 3. de pot. a. 7.): 1. creavit voluntatem, 2. eandem conservat, 3. applicat ad agendum, quum indito amore naturali finis ultimi eam et ad actum aliquem indeliberatum et ad exercendam libertatem traducit, denique 4. ad libere agendum hoc ipso naturali impulsu se praebet adiutorem. Ita ipsius etiam voluntatis Deus primus est et universalis motor, ut cum Peripateticis S. Thomas docet. Sunt autem qui obliviscantur, eundem non solum primum motorem appellare Deum, verum etiam illam Peripateticorum amplecti sententiam, *quidquid recipiatur, recipi ad modum recipientis,* ob eamque causam locis a nobis supra allatis illud adiungere: motum receptum ad actum liberum determinari ab ipsa voluntate, quae in *neutram* partem divinitus inflectatur, sed *suo* arbitrio atque consilio inclinetur. Summum in hac re momentum est ad recte iudicandum.

Quodsi hoc unum tenetur, Dei virtutem in concursu generali pro dispositione atque etiam arbitrio naturae creatae modificari, parum admodum intererit, utrum actiones ipsas a Deo moveri dicas an etiam potentias *praemoveri.* Nec vero verbis pugnamus. Sunt qui *praedeterminationem* negent, *praemotionem* defendant, quum idem ipsum intelligant, quod Bañez praedeterminationem appellat. Quidquid igitur de praedeterminatione diximus, de *sententia* subiecta dictum volumus. Vicissim sunt inter veteres theologos, qui vocem determinandi latius accipientes, determinari dicunt etiam actus singulos, cui motioni voluntas *in sensu composito* resistere possit. Qui aliter loquentes tamen nobis consentiunt.

Similia de *supernaturali* voluntatis motione S. Thomas dis-

serit. Quae initium sumit a primo motu indeliberato gratiae praevenientis, quo in *certum* genus bonorum supernaturalium voluntas impellitur; quo indeliberato pulsu excita, ipsa se movet ad actum liberum, ut ad finem et bonum propositum contendat. Nam et ipse D. Thomas I. II. q. 111. a. 2. et eum interpretans omnis schola vetus (quemadmodum mox declarabimus) communiter docent, gratiam actualem in indeliberato motu a Deo impresso constare, cui vel consentire vel dissentire in nostra potestate sit.

Id etiamsi S. Thomas eo loco quem attulimus, I. II. q. 111. a. 2., negare videtur, quum in actu interno mover*i*, non mover*e* dicat voluntatem: id tamen haereticum foret et contrarium Tridentino (sess. 6. cap. 5. can. 4.), si de *omni* actu interno singulatim dictum esset. Quare multo ante Concilium Tridentinum et Caietanus et Victoria (de quo infra) illud explicantes de eo actu dictum voluerunt, quo *primo* voluntas ad finem cieri moverique incipiat. Caietanus quidem sic ait: „Non dicitur in litera [S. Thomae], quod respectu *omnis* actus interioris voluntatis dicitur gratia operans, sed dicitur indefinite remittendo se ad supra dicta in q. 9. a. 4.; ibi enim habuimus, quod respectu *primi actus* voluntas se habet ut mota tantum et Deus ut movens. Et nomine primi actus intelligitur . . . quicunque primus absque consilio et praevio motivo ad bonum.“ Hoc loco Caietanus similem esse rationem motus naturalis et supernaturalis (gratiae) recte existimat.

3. Atque haec, quam explicavimus, S. Thomae doctrina perficitur atque absolvitur *scientia media.* Etsi enim voluntas libera motione Divina, sive naturali sive supernaturali, arbitratu suo vel uti potest vel abuti, ille tamen docet, voluntatem a Deo, quocunque libeat, certissime inclinari et liberam voluntatis actionem ita subiectam esse Divinae Providentiae, ut ad fines ab ipsa statutos certissime dirigatur. Quae directio quum sit liberae voluntatis fiatque „cum suppositione“, quî potest esse constans atque certa? Id S. Thomas de praedestinationis infallibilitate loquens sic explicat, ut prorsus discrepet a Thomistis, consentiat cum Molina. Nam de veritate q. 6. art. 3. de consensione praedestinationis cum humanae voluntatis libertate ita disputat: „Invenimus ordinem compossibilem esse respectu alicuius dupliciter. Uno modo in quantum una causa singularis producit effectum suum ex ordine Divinae providentiae; alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium et deficere possibilium pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad con-

secutionem effectus loco eius quae deficit, vel ne altera deficiat; sicut videmus quod omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia, et tamen per successionem unius ad alterum potest in eis salvari perpetuitas speciei, Divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant; et hoc modo est in praedestinatione. Liberum enim arbitrium deficere potest a salute, tamen in eo quem Deus praedestinat, tot alia adminicula praeparat, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat, sicut exhortationes et suffragia orationum, donum gratiae et alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus salutem respectu causae proximae, scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam. Respectu autem causae primae, quae est praedestinatio, habet certitudinem."

Haec explicatio pugnat cum doctrina Thomistarum, qui singulas gratias efficaces ob suae proprietatem naturae carere posse effectu negant, quum S. Thomas quodlibet gratiae auxilium inefficax esse posse doceat. Quam autem ille explicationem adhibuit, eam cum Molinae doctrina convenire evidens est; est enim haec explicatior ipsius S. Doctoris sententia. Itaque infallibilitatem praedestinationis inniti S. Thomas dicit in gratiarum multitudine („concursu causarum [adminiculorum] deficere possibilium"), quae suapte natura incertae, tamen ita sunt innumerabiles, ut, quo altera caruerit effectu, eum altera consequatur, certusque denique eventus atque exitus evadat. Item Molina infallibilitatem praedestinationis et cuiuslibet gratiae efficacis repetit a multitudine subsidiorum gratiae et conditionum multiplicitate, quam tantam in promptu habeat opulentissima potentia Divina, ut vel haec vel illa, si detur naturae creatae, effectum certissime sit consecutura.

Differt Molinae sententia a S. Thoma hoc primum, quod hic de totius vitae cuiusque omnique copia gratiarum collatarum, ille de singulis gratiis efficacibus loquitur; deinde quod S. Thomas scientiam mediam non nominatim posuit, ut ille. Sed singularium quoque gratiarum certissimam efficaciam non tacuit S. Thomas (II. II. q. 24. a. 11.); de scientia autem ridiculum sit, si quis S. Thomam docuisse opinetur, tamdiu tentari a Deo omnem gratiarum varietatem, dum congruentem praedestinatis nanciscatur; necesse est enim ante a Deo certissima cognitione intelligi, quae cuique copia gratiae comparanda sit, ut praedestinati infallibiliter salvi fiant. Quae scientia nec est *visionis,* quae consequitur gratiae praedefinitionem, nec *simplicis intelligentiae,* qua fructuum

defectibilis gratiae possibilitas, non eventus praenoscitur. Scientia est igitur rerum aliqua conditione futurarum, cuius identidem mentionem infert S. Thomas. Et re vera cum S. Augustino *praescientiam* praemittit *praeparationi* earum gratiarum, quibus praedestinati *certissime* salvi futuri sint (de ver. q. 6. a. 3.).

Videamus nunc alios locos, quibus S. Doctor ad explicandam Dei providentiam et praedestinationem scientiae mediae mentionem facit.

Tribus enim locis diversis (1. dist. 41. art. 3. ad 1; de ver. q. 6. a. 2. ad 7; I. q. 23. a. 5. ad 1.) contra suam de praedestinatione doctrinam vel glossam ad Rom. 9, 15., quae Ambrosio tribuitur, vel similem Origenis locum obiicit. In illa Deus ita loquens inducitur: „Misericordiam illi dabo, quem scio post errorem toto corde reversurum ad me: hoc est dare illi cui dandum, et non dare illi, cui non dandum est, ut eum vocet, quem sciat obedire, illum vero non, quem sciat non obedire.“ Quae verba de scientia media intelligenda esse manifestum est; ponitur enim praescientia eius liberi actus, qui a conditione pendeat: si Deus vocet quempiam, utrum sit obsecuturus necne; deinde illa praescientia ad explicandam praeparationem gratiarum adhibetur, quod certum indicium esse intelligi scientiam mediam supra (p. 31) declaravimus. Quid igitur S. Thomas? Num huiusmodi praescientiam aut esse negat aut isto modo adhiberi posse? Minime vero. Negat *merita* esse opera ita praevisa, quibus Deus ad praedestinationem moveatur; dicit finem esse vel dispositionem, ob quae Deus decernat gratias largiri, quamquam omnino tenet, non eiusmodi actus, sed solam bonitatem Dei causam rationemve esse, qua ad gratias conferendas moveatur. „In illis verbis Ambrosii,“ inquit 1. dist. 41. art. 3. ad 1., „non designatur, quod opus nostrum sit causa voluntatis Divinae, neque etiam, quod sit causa ipsius dationis gratiae, sed solum dispositio quaedam. Illi enim Deus proponit gratiam infundere, quem praescit se ad gratiam praeparaturum, non tamen propter praeparationem . . ., sed propter bonitatem suam.“ Item de ver. q. 6. a. 2. ad 7: „Propositum cordis Iacob *praescitum* a Deo non fuit causa, quare ei gratiam dare voluit, sed fuit quoddam bonum, ad quod Deus gratiam dandam ordinavit; et ideo dicitur, quod ex proposito cordis, *quod ei patuit,* eum dilexit; quia sc. ad hoc eum dilexit, ut tale propositum cordis haberet, vel quia *praevidit,* quod propositum cordis eius fuit ad gratiae susceptionem dispositio;“ et I. q. 23. a. 5. ad 1.: „Usus gratiae *praescitus* non est ratio colla-

tionis gratiae nisi secundum rationem causae finalis.“ Finis est igitur largitionis gratiae usus bonus a Deo scientia media praevisus.

Paullum progrediamur. Si Divinae providentiae et praedestinationis infallibilitas esse non potest, quin praecesserit scientia media, in hac illam inniti evidens est. In qua una re maxime tota controversia vertitur (v. supra p. 8.). Sed illud S. Thomas etiam aperte infert ex iis, quae dixerat. Docet quidem de ver. q. 6. art. 3.: *certitudinem praedestinationis addere supra certitudinem praescientiae certitudinem ordinis,* sed id non prohibet, quominus haec quoque ab illa sit. Ita notio familiae aliquid addit parentibus; complectitur enim liberos, qui sunt de familia. Nec vero idcirco liberi non sunt a parentibus. Similiter in hac re, de qua agimus, dicendum est dicitque ipse eodem loco (ante corp. art.): *Praedestinatio,* inquit, *includit praescientiam; sed praescientia habet certitudinem, ergo et praedestinatio.*

A praescientia igitur certitudinem praedestinationis derivat. Neque contrarium est, quod eandem alibi a suprema dominatione atque omnipotentia Dei repetere videtur. Ut l. 3. contr. Gent. c. 94. certitudinem providentiae ex hoc explicat, *quod omnia illi subdantur;* sed ibidem antecedere docet intellectus deliberationem ordinisque convenientis inventionem; quid igitur neget ex huius ordinis certitudine providentiae infallibilitatem derivari? Nos quoque defendimus, Deum ob supremam dominationem et potentiam efficere posse in liberis voluntatibus, quidquid velit. Id quomodo *explicandum* sit, quaeritur. Diverse enim omnipotentia operatur, aliter creatione, aliter gratia efficaci, ut contra Quesnellum Ecclesia definivit. Dicimus igitur: idcirco illud posse Omnipotentem, quod in infinitis thesauris suis innumerabilia habeat instrumenta movendae voluntatis, e quibus scientia media eligit ea, quae effectu caritura non esse certissime praevidet. Aliquam cognitionem praecedere omnipotentiam necesse est, quia ignorata nemo concupiscit. Iam Bannesiani solam intelligentiam rerum possibilium etiam in movenda libera voluntate praecedere volunt; nos praeterea scientiam mediam postulamus. Nec haec nec illa de dignitate Divinae potentiae derogat; nam re idem est praescientia et omnipotentia, quae si scientia media eget, nulla tamen re aliena caret, sed in se ipsa, quidquid ad consilia sua exsequenda desiderat, complectitur. Nihilo secius quaeri convenit, infallibilitas omnipotentiae in movenda voluntate libera e praescientia pendeat an contra infallibilitas praescientiae ex omnipotentia. Ad quam quaestionem clare ac dilucide S. Thomas 1. dist. 38. q. 1. art. 5.

respondet, ubi accurate disserit, quomodo Dei scientia cum actuum contingentia concilianda sit. Duas proponit difficultates: 1. quum scientia Divina sit causa omnium effectuum rerum creatarum, sit autem ipsa necessaria et immutabilis, eam non videri posse efficere contingentia (quae non sint necessaria possintque non esse); 2. scientiam Dei non esse nisi veri; veritatem autem scientiae pugnare cum incerta veritate rerum. De priore difficultate in commentatione nostra (p. 56. 62.) respondentem audivimus. Scientiam Divinam esse causam *exemplarem* rerum creatarum earumque effectuum, voluntatem causam *efficientem.* Ut solis virtute inexhausta non impeditur, quominus aliqua semina nec enascantur nec adolescant, ita causa prima operante fieri potest, ut effectus creati deficiant. Ad alteram transiens difficultatem, ut infallibilis scientiae Divinae consensionem cum incerto rerum eventu declaret, ab ea ratione orditur, qua everti recentiorem Thomismum necesse sit: „Non potest esse," inquit, „quod Deus sciat simul hunc cursurum, et iste deficiat a cursu, *et hoc est propter certitudinem scientiae et non propter causalitatem eius.*" Iam vero quoniam certa cognitio non sit nisi rerum certarum, contingentia quomodo sint certa, inquirit. Sunt quae plerumque evenire soleant et ex causis suis aliqua nec tamen certissima cognitione concludi possint. Alia, quae sint „contingentia ad utrumlibet, in causis suis *nullo modo* cognosci possunt". Sed tum, quum fiunt actus liberi, certissime veri sunt; quum enim currit Socrates, ut simul non currat, fieri prorsus non potest. Atqui contingentia Deus non modo ut in causis continentur, verum etiam ut fiunt atque sunt, cognoscuntur [1]. Haec autem ipsa Societatis doctrina est, cui Bañez tria docet contraria.

---

[1] Quam doctrinam S. Thomas in *Summa* iisdem ferme verbis repetit. „Quicunque," inquit, „cognoscit effectum contingentem in causa tantum, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso" (I. q. 14. a. 13.). Bañez ut demonstret actus liberos ex solis causis certo cognosci posse, ad priorem partem enuntiationis provocat. „Tertia conclusio. *Deus cognoscit futura contingentia in suis causis,* sed determinatis et completis. *Primam* partem conclusionis docet aperte D. Thom. in littera, dum inquit: Cognoscit autem Deus contingentia *non solum in suis causis* etc." Deinde paullo post: „Itaque etiamsi Deus," inquit, . . . „cognosceret futura contingentia . . . solum in causis ipsorum, eius cognitio esset certa et infallibilis." Antea quoque idem illis S. Thomae verbis probari posse significaverat: „Iste sensus etiam potest colligi ex S. Thoma ex eo, quod dicit in hoc articulo, Deum cognoscere futura contingentia *non solum in suis*

Nam *primum* S. Thomas affirmat, Bañez negat, motionem Divinam in rebus creatis modificari et saepe effectu frustrari; de qua re supra (pag. 56 ss.) dictum est.

Quam discrepantiam *altera* consequitur, quum quaeritur, utrum ex ipsa efficientia Divinae virtutis an ex certissima Dei cognitione proxime derivetur necessitas eventus a Deo praevisi. S. Thomas dicit (l. c.): „Non enim potest esse, quod Deus sciat simul hunc cursurum, et iste deficiat a cursu, et hoc est propter certitudinem scientiae *et non propter causalitatem eius.*“ Cum quo consentit Caietanus: „Quoad hoc: res scitae relatae ad scientiam Dei sunt necessariae, nihil obstat proposito, quoniam *non* est ibi sermo de rebus scitis relatis *ad Dei scientiam ut causam,* sed ut scientiam“ (ad I. q. 14. art. 13.). Contra Bañez: „Oportet deinceps explicemus necessitatem, quam habet [consequens: Antichristus erit] *in ordine ad eandem* [Dei] *scientiam ut causa est.* Et ista necessitas sumitur ex efficacissima primae causae virtute, quae ita determinat omnes causas secundas ad suos effectus producendos, quod nulla causa secunda potest exire ab eius determina-

---

causis etc.“ (In I. q. 14. a. 13. p. 206. et 207.) Id quidem detorquere est ac depravare illius sententiam. Dixisset enim S. Doctor uno verborum tenore: qui contingentia „in causa *tantum*“ cognosceret, eum non habere nisi „*coniecturalem* cognitionem“, et tamen Deum, si cognosceret in causa *tantum, certo et infallibiliter* cogniturum esse. Recte autem Caietanus illud sic interpretatur: „Contingentia futura cognoscuntur a Deo prout sunt actu in se ipsis et prout sunt in suis causis, *sed primo modo certe, secundo modo vero prout sunt cognoscibilia.*“ Ferrariensem quoque a se dissentire Bañez (l. c.) fatetur: „Dicit secundo Ferrariensis: Futura contingentia secundi generis [libera] nullo modo possunt cognosci certo et infallibiliter in suis causis.“ Nec quidquam proficit, quum I. contr. Gent. c. 67. n. 3. appellat, ubi dicit S. Thomas, contingentia ex causa „completa, si non impediatur“, cognosci posse. Quae verba ut ad hanc controversiam recte traducantur, videndum est, quibus rebus voluntatem impediri dicat, quominus agat. Docet autem perpetuo liberam voluntatem suo arbitratu et determinari ad agendum et ab eo prohiberi. Id igitur nisi etiam comprehendatur, non dicit actum liberum ex causa sua cognosci posse. Consentit igitur ille locus cum ceteris, quibus negat ex *solis* causis actum liberum cognosci posse. Exemplum posuimus, cum intima controversia connexum, quo ratio interpretationis Neo-Thomisticae quasi sub oculos subiiceretur. Dimidiata sententiuncula decerpitur, et ne proxima quidem verba superiora attenduntur, nedum reliqui S. Doctoris libri magnique eius interpretes adhibeantur. Sed, ut infra dicemus, ita Bañez cum S. Thoma, ut Protestantes cum Scriptura, Baius cum Augustino agit (cf. p. 39). Catholica interpretatio est non singula separatim verba, sed coniuncta cum reliqua doctrina considerare, et theologicae explicationis perpetuitate atque doctrinae amplificatione constanti ad superiores scriptores intelligendos utitur.

tione" (In I. q. 14. a. 13. p. 216.). Negat S. Thomas scientiam Divinam ut causam infallibilitatem efficere contingentium; eventus enim praevisi necessitatem dicit a praescientiae causalitate minime derivari. Contra censet Bañez, dissensu tanto magis manifesto, quod ille rem omnino indifferentem ponit (cursum Socratis), hic *virum peccati* inducit („Antichristus erit"), qui summa flagitia patraturus est; cuius rei necessarius eventus ex efficacissima virtute Divinae omnipotentiae effectus omnium causarum determinantis derivatur!

Sequitur *tertia* discrepantia. S. Thomas dixit, liberas actiones *nullo modo* e causis certo cognosci posse; intellexit autem hic causas a Deo motas, quia 1. nisi illa motione excitae efficere nihil omnino possunt, nec 2. illa motione tollitur ratio, ob quam actus liberos negavit ex suis causis ullo modo cognosci posse, h. e. contingentia ad utrumlibet. At Bañez omnino affirmat actus liberos futuros a Deo e causis certo cognosci, quod eas ipse moverit.

Quae quum ita sint, consequi scientiam mediam e S. Thomae doctrina fatendum est, etsi eam ipse minus perspicue atque aperte proposuit. Et sine ulla dubitatione Caietanus aliique veteres Thomistae concesserunt, illum de praescientia iisque quaestionibus, quae cum ea connexae sint, obscurius locutum esse. Fuit igitur locus illi incremento atque amplificationi theologiae, quae in Vaticano proponitur, in qua Societas Iesu elaboravit. Quam *novam*, at *constantem* doctrinae S. Doctoris explicationem quum Bañez repudiaret, coactus est, illas ipsas sententias negare, unde rectae rationis conclusione deducta erat. Conclusiones novas dum recusat, ipsa capita doctrinae S. Thomae coepit impugnare.

II. Nusquam S. Thomas physicam determinationem docuit.

I. Nullus est locus, ubi S. Doctor voluntatem a Deo ad liberos actus proxime praedeterminari aut etiam determinari dixerit. Id supra demonstravimus (p. 70 ss.).

Dixerit quispiam, physicam praedeterminationem a S. Thoma non his ipsis verbis proponi, sed inclusam atque comprehensam aliis doctrinis, quas necessario consequatur. Audiamus Billuartum, qui id genus argumenta breviter apteque composuit. E quibus tamen unum, quod a potentialitate atque indifferentia voluntatis sumitur, supra (p. 64. 72.) examinavimus. Item ostendimus, S. Thomam, quum Deum voluntatem et natura et gratia physice

praemovere docet, nondum physicam Bannesii praedeterminationem affirmare. Sic igitur argumentatur Billuart.

1. „De ratione primae causae,“ inquit, „et primi motoris est, ut alias causas moveat et *nulla* ex iis *moveatur nisi mota a prima*... Atqui in systemate scientiae mediae causa secunda se movet non mota a prima, se enim determinat non determinata a Deo.“ De scientia med. art. 6. §. 6. Non possumus non summopere mirari, ab illo Thomista universe pronuntiari atque ad voluntatem transferri, quod S. Thomas in *solas* res non liberas cadere, ut opponantur voluntati, clarissime dicit. Nam *Creaturam rationalem,* inquit, *Deus ordinat ad agendum voluntarie et per se, sed aliae creaturae non agunt nisi motae ex operatione Divina* (I. q. 19. a. 12. ad 3.). *Quod non est sibi causa agendi, non est liberum in agendo; quaecumque autem non moventur neque agunt nisi ab aliis mota, non sunt sibi ipsis causa agendi* (2. contra gent. c. 48.). Haec est enim illius doctrina: voluntatem et a Deo et a seipsa moveri, ab illo primum excitari ad actum indeliberatum, ut deinde ipsa se determinet ad liberos. Atque hactenus illud Billuarti recte dicitur; sed ita Bannesianos nihil iuvat.

2. Sed audiatur iterum. Dicit necessitatem atque efficaciam gratiae a S. Thoma ex motione Divina explicari; eam porro efficacem non esse motu creaturae, sed suapte natura. Hoc alterum distinguendum est. Nam si hoc intelligit, motionem Divinam sua virtute efficere, quidquid efficiat, vere dicit; at id nemo negat; nemo enim gratiam suam vim a voluntate accipere arbitratur. Sin illud intelligit, effectus infallibilem veritatem a sola esse interna virtute motionis Divinae, id quidem (nec de alia re hic quaerimus) a S. Thoma constanter negatur. Qui etiam atque etiam dicit, si quaeratur, certene secuturus sit effectus an possit deficere, rationem habendam esse non solius virtutis Divinae motionis, sed etiam conditionis habitusque naturae creatae. „Quamvis causa prima,“ inquit, „vehementius influat quam secunda, tamen effectus non completur, nisi adveniente operatione secundae; et ideo si sit possibilitas ad deficiendum in causa secunda, est etiam eadem possibilitas deficiendi in effectu, quamvis causa prima deficere non possit . . . quia ergo ad esse effectus requiritur utraque causa, utriusque defectus inducit defectum in effectu“ (q. 2. de verit. art. 14. ad 5.). Item *de malo* q. 6. art. 1. ad 15., ut liberam esse voluntatem probet, quamquam non possit a potentia transire ad actum nisi ducta ab alia causa (motione Divina): „Sic ergo illa causa,“ inquit, „quae facit voluntatem aliquid velle,

non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest *per ipsam voluntatem impedimentum praestari.*“ Falsum est igitur effectus infallibilitatem a sola virtute Divinae motionis repetendam esse.

3. Redeamus ad Billuartum. Ut ostendat, Deum efficere non solum agendi *potestatem* [gratia *excitanti*, qualem Bannesiani intelligunt], sed ipsum etiam actum voluntatis *[praedeterminatione physica]*, praeter cetera in diss. 5. art. 6. de grat. efficaci, explanationem D. Thomae appellat epistolae ad Ephesios cap. 3. lect. 2.: „Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum; sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis interius movendo et instigando ad bonum.“ At *virtutem et gratiam* S. Thomas, ut manifestum est, gratiam sanctificantem virtutesque ei adiunctas intelligit, quibus fit homo aptus ac potens ad operandum; *interius autem moveri et instigari* dicitur gratia excitanti. Id ipsa verba sonant; *infundi* enim habitus dicitur, et *instigare,* quum sit idem prorsus atque excitare, gratiam excitantem significat. Argumento esse potest similis locus ex eodem commentario (cap. 2. lect. 3.), ubi ipsa adiecta est vox *habitus:* „Ulterius,“ inquit, „non solum datur nobis *habitus* virtutis et gratiae, sed interius per spiritum renovamur ad *bene operandum.* Unde subdit: *in operibus bonis,* quia scilicet ipsa bona opera sunt nobis a Deo.“ Falsissimum est igitur, quod superiore loco Billuart gratiam et virtutem intelligit gratiam sufficientem; immo S. Thomas *habitum* gratiae sanctificantis facultatem conferre docet agendi, instigationem vero, h. e. gratiam excitantem efficere actum. Quod praeclare congruit cum illa regula, quam supra posuimus: „Illud, in cuius virtute agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus.“ Nam voluntas, quia gratia excitanti a Deo data ad agendum movetur et instigatur, sese ipsa ad actus supernaturales determinat; quo fit, ut hi ipsi S. Doctoris sententia ad Deum auctorem necessario referantur, idque eo magis, quod illius gratiae effectum certissimum et praevidit Deus et voluit. Qua ratione diluuntur, quaecumque Bannesiani e plurimis S. Thomae locis concludunt, ubi ille et posse et agere, et gratiam et usum gratiae a Deo esse docet.

4. Idem Billuart in Diss. VIII. art. 5. § 3. *Mens S. Thomae,* vol. I. 331. ad hanc illius doctrinam provocat: voluntate Dei effici non solum, ut sint res omnes atque actiones, verum etiam, ut tales i. e. vel contingentes vel necessariae sint. Recte omnino; at ipsius S. Thomae explicatione refutatur atque evertitur inter-

pretatio Bannesianorum. Nam idcirco dicit ille Deum esse auctorem effectuum contingentium, quod ad eos eliciendos iis utatur causis, quae possint effectu carere. (Lect. 14. l. 1. Peri hermeneias.) „Voluntas Divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa quaedam profundens totum ens et omnes eius differentias. Sunt autem differentiae entis possibile et necessarium; et ideo ex ipsa voluntate divina originantur necessitas et contingentia in rebus, et distinctio utriusque secundum rationem proximarum causarum. Ad effectus enim, quos voluit necessarios esse, disposuit causas necessarias; ad effectus autem, quos voluit esse contingentes, ordinavit causas contingenter agentes, id est, potentes deficere.“ (Lect. 3. l. 12. Metaphys.) „Ens, in quantum ens est, habet causam ipsum Deum; unde sicut Divinae providentiae subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis, in quantum est ens, inter quae sunt necessarium et contingens. Ad Divinam igitur providentiam pertinet non solum quod faciat hoc ens, sed quod det ei contingentiam vel necessitatem. Secundum enim quod unicuique dare voluit contingentiam vel necessitatem, praeparavit ei causas medias, ex quibus de necessitate sequatur, vel contingenter.“ Idem dicit, ubi de praedestinatione agit, Quodlib. XII. art. 3.: „Voluntas Dei est principium totius entis; ergo non cadit sub ratione contingentiae vel necessitatis, sed haec effluunt et ordinantur ex Dei voluntate, et sic ipsa Dei voluntas facit quaedam contingentia, praeparando causas contingentes illis rebus, quas vult esse contingentes, et similiter necessarias causas rebus et effectibus necessariis.“ Quam sententiam fuisse S. Thomae perpetuam, ille ostendit locus (I. q. 19. a. 8.), unde Bannesiani probare conantur, gratiae infallibilem efficaciam ab invicta vi voluntatis repetendam esse: „Cum igitur voluntas Divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter; ut sit ordo in rebus, ad complementum universi. Et ideo, quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt.“

Ergo idcirco Deus dicitur a S. Thoma causa effectuum contingentiae, quia ad eos efficiendos causis natura incertis (deficere potentibus, defectibilibus) utatur. In quibus causis *gratia efficax* est, immo vero, si Bannesianos audias, ea adaequata est causa

operationis liberae supernaturalis; ergo ita demum contingentiam sive libertatem illius operationis conservabit, si ipsa per sese sit anceps atque incerta ad effectus veritatem. Hoc ipsum Iesuitae aiunt, negant Bannesiani [1]. Confirmat conclusionem nostram Billuart. Quaerens enim, unde sit infallibilis efficacia consiliorum Divinorum de liberis actionibus nostris (diss. 8. a. 3. § 5.), aliquot verba e tribus locis a nobis allatis quum decerpsisset, hanc ponit obiectionem Molinistarum: S. Thomam post ipsum illum Summae locum Deum dicere, non per sese, sed praeparandis causis, quae deficere possint, effectus creatos contingentes operari. Respondet duos alteros afferens locos ex enarratione 1. Perihermen. et 6. Metaph. „Iuxta S. Thomam," inquit, „citatum 1. Periherm. et 6. Metaph., sic Deus est causa contingentiae et libertatis, sicut est causa entis; atqui est causa entis non solum mediante virtute creata, quam produxit, sed immediate in se: ergo." Hoc *ergo* inepte subiungitur. Quae enim arguendi utilitas ibi est, ubi, quid censeat, auctor ipse quam maxime perspicue enuntiat? Annon his duobus locis prorsus dicit idem, quod in Summa, hoc est, Deum rerum contingentiam efficere praeparandis causis deficientibus? Hoc cur tacetur, ut contorta conclusiuncula sententia contraria conficiatur? Nec vero alterutro loco docet ille, quod vult Billuart, sic Deum esse causam contingentiae, sicut entis, i. e. *eodem prorsus modo* effectorem esse contingentiae atque entis. Dicit omnino: „Sicut Divinae providentiae subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia." Sed illa prioris sententiae *sicut* . . . *ita etiam* idem significant, quod in conclusione subiuncta *non solum* . . . *sed* (h. e. *et* esse *et* modos entis pariter subiici Divinae providentiae). Usitatissimum est ita poni „sicut . . . ita etiam", quibus prorsus idem eandemque rationem significari minime necesse est. Quae iniuria premit Billuart eaque tanto maiore, quod ipsam proximam praeterit sententiam, qua contrarium enuntiatur. De qua tota re lenissime iudicaverit, qui alium aliquem Thomistam a Billuarto exscriptum dixerit.

5. Evidens Billuart argumentum derivare sibi videtur ex illa a S. Thoma affirmata infallibilitate motionis Divinae: *nihil urgentius, nihil clarius.* Qui loci si sunt evidentes, non Bannesianorum

---

[1] Concedunt Thomistae gratiam etiam efficacem, si separatim spectetur, carere posse effectu; sed quum ut integra causa effectrix actionis consideratur, non separatim spectanda est, sed coniuncta illi quam propriam habet derivatam a Divina omnipotentia virtuti, atque ita sine effectu esse non potest.

sententiam probant, sed omnia ei contraria. Primo loco ab illo (Diss. V. art. 6. de gratia efficaci) affertur I. II. q. 10. a. 4. ad 3.: „Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur; non est tamen impossibile simpliciter.“ Quid tandem haec verba probant? „Impossibile simpliciter“ et „impossibile ex aliqua positione“ quid sibi volunt? Respondeat auctor ipse S. Thomas. Lect. 15. in libr. I. Perihermeneias et lect. 15. in libr. II. Physicorum exponit, nihil aliud esse necessarium vel impossibile ex suppositione nisi hoc: *Si est*, *impossibile est illud simul non esse.* Necessarium simpliciter esse id, cuius necessitas *e causa praecedenti* apta sit; id igitur quod ex causa *efficienti* necessario consequatur, necessarium esse simpliciter. Hoc ad superiorem locum transferatur. Si non moveri voluntas non potest ideo, quod, quum est in motu, carere motu non potest — quemadmodum Iesuitae docent —, necessitas est ex suppositione; sin vi propria naturaque ipsa causae efficientis efficitur, ut non actu moveri voluntas non possit — atque sic movetur praedeterminatione physica —, tum demum actus necessarius est simpliciter. Iam vero necessarium esse simpliciter, quod illa Dei motio efficiat, prorsus negat S. Thomas. Occupavit igitur ac refutavit interpretationem Bannesianorum; cum eoque Molinistae optime consentiunt, id quod amplius demonstrabunt ea, quae de praescientia ab illo disputata postea afferemus.

Sed quum argumentamur, *necessitatem ex prioribus* esse absolutam, Billuart illud e Summa obiicit (I. q. 19. art. 8. ad 3.), ubi S. Thomas rationem a se ante generatim propositam ipse circumscribere videtur: „Ad tertium dicendum, quod posteriora [res creatae] habent necessitatem ex prioribus [voluntate Divina] secundum modum priorum. Unde et ea, quae fiunt a voluntate Divina, talem necessitatem habent, qualem vult Deus ea habere, scilicet vel absolutam vel conditionalem tantum, et sic non omnia sunt necessaria absolute.“ Sic igitur illud circumscribit, ut Deus, quum sit *causa prior,* tamen pro arbitrio vel absolutam necessitatem efficiat vel contingentiam ac necessitatem ex suppositione. Rursum igitur ad illam quaestionem deducimur, quomodo Deus causa sit necessitatis et contingentiae. Ad quam, uti ostendimus, constantissime sic ille respondet: contingentia Deus efficit causis defectibilibus, necessaria indefectibilibus. Physica autem praedeterminatio quum sit in his alteris, necessitatem efficit absolutam.

Alter locus est, quo utitur Billuart: „Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas; sicut etiam in omnibus providentia Divina infallibiliter operatur, et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter, unumquodque secundum suum modum.“ Q. 6. de malo a. unico ad 3. Dicit igitur S. Thomas: Ut certa efficacia Divinae providentiae cum contingentia effectuum creatorum, ita immutabilis atque inexhausta vis motionis Divinae conciliatur cum humanae actionis libertate. Quod ita demum doctrinam probat Bannesianam, si actus libertatis, ad quem Deus movet, ob solam vim ac naturam motionis Divinae non fieri non posse intelligitur. Id num S. Thomas docet? De quanam motione Divina in corpore articuli disserit? Primum actum voluntatis, ad quem reducantur ceteri omnes, a Deo esse ostendit; sed semel excitatam motamque voluntatem eo ipso motu se ad alios actus liberos transferre posse: *Per hoc*, inquit, *quod homo aliquid vult in actu, movet se ad volendum aliquid aliud in actu.* Haec illa doctrina est, quam esse Doctoris angelici supra diximus: omnes actus liberos *e naturali appetentia finis ultimi,* quam Deus indidit naturae, fluere ac derivari. Quae motio immutabilis est nec unquam deficit; nec vero sequitur, ut voluntas libera actus, ad quos Deus illa motione allicit, omittere non possit. Quod ipsum paullo post (ad 15.) ipse S. Thomas monet: „Illa causa,“ inquit, „quae facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari.“ Clarius etiam illa sententia, quam p. 86. attulimus, De veritate q. 2. art. 14. ad 5., indefectibilitatem ac virtutem Divinae motionis cum omissione actuum creatorum confert atque componit. Falsum est igitur, S. Thomam illo loco motionem immutabilem physicam intelligere praedeterminationem; qua praesente fieri nullo modo potest, ut actus praedeterminatus omittatur. Denique etiam q. 22. de veritate a. 5. ad 7. peccator *deficere dicitur ab indeficienti inclinatione ad bonum,* i. e., deficere ab immutabili ac perpetua inclinatione ad finem ultimum; quae inclinatio paullo post (in corp. a. 6.) *determinatio immutabilis* appellatur. Unde fit manifestum, cum S. Thomas dicat *movere immutabiliter,* naturalem appetitionem finis ultimi, non praedeterminationem intelligi. Ita quicumque pro physica praedeterminatione afferuntur loci non Bannesia-

nam doctrinam demonstrant, sed eam, quae est illi omnino contraria. Alii sane loci proponuntur, quibus impugnetur scientia media. Quos ut accurate refutaremus, longius digrediendum a re proposita esset. Videatur Annatus in „Scientia media contra novos eius impugnatores defensa“, qui Salmanticenses et Ioannem a S. Thoma confutat, et imprimis praeclarum Card. Franzelini opus „De Deo uno“.

Quod autem Billuart obiicit, in concilianda libertate cum decretis divinis S. Thomam non uti scientia media, id quidem si concesserimus, minime causae nostrae oberit. Si ille aliquam quaestionem non perspicue ac plene solvit, nihil tamen fuit, quod amplificatis theologiae studiis posteriores prohiberet, quominus eandem quaestionem retractarent. Satis nobis est demonstrasse, rationibus S. Doctoris consentaneam eam doctrinam esse, quam amplectimur.

III. S. Thomas negat id, quod Bannesiani docent.

Principio in memoriam revocanda sunt ea, quibus discrepare utrosque iam ostendimus; deinde alia quaedam significabimus.

1. Docet ille, motionem primae causae causis creatis modificari; id Bannesiani negant.

2. Ille voluntatem a Deo ad ipsum actum liberum determinari non censet, hi censent.

3. Ille voluntatem a primo actu indeliberato nulla addita nova praeveniente Dei motione ad libere agendum sese movere dicit; non item Bannesiani, qui physicam praedeterminationem ad illud efficiendum requiri affirmant.

4. Si S. Thomam audias, voluntas motum a Deo impressum ad actum liberum vel applicare potest vel non applicare; inclinationem ad actum ita esse in liberi arbitrii potestate, ut non possit esse a Deo determinata. Quod hi negant.

5. Ille negat, hi aiunt, infallibilitatem praescientiae Divinae ab ipsius virtute atque efficacia derivari.

6. Actus liberi apud illum *nullo modo* cognosci ex causis suis possunt; hi contra existimant.

7. Bannesianorum sententia *sola* sufficiens, non vero efficax gratia indeliberata mentis illustratio motusque voluntatis est; efficax autem gratia ab his actibus diversa est ad eosque accedit.

S. Thomas gratiam actualem etiam efficacem eiusmodi actum animi esse perspicue docet. „Et hoc modo,“ inquit I. II. q. 110.

a. 2., „ipse gratuitus effectus in homine [gratia] non est qualitas, sed motus quidam animae; actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur 3. Phys. text. 18.“ Itaque Medina, amicus Bannesii atque collega, gratiam *motionem Divinae inspirationis* appellat (ad h. l.) idque ita certum esse iudicat, ut demonstrandum non sit. Albeldae quoque O. Pr. Hispano, qui aequalis et ipse Bannesii fuit, haec doctrina *sub formalibus terminis* loco superiore S. Thomae enuntiari visa est ex eoque argumentum ducit, quo *Thomistas iuniores* (Bannesium eiusque discipulos) refutet. Rationes affert a. ipsam S. Thomae loquendi consuetudinem: „D. Thomas semper *motus* appellat actus elicitos a voluntate, dividens illos in motus indeliberatos et deliberatos;“ b. locum ex Aristotele iam allatum, quo *motus* dicitur actus; c. interpretationem veterum Thomistarum; d. ea, quae S. Thomas disserit in explanatione S. Ioannis, cap. 6. lect. 8. (Albeldae Comm. in I. p. Summae S. Th. disp. 58. sect. 2. nn. 7. 8., sect. 3. n. 11. Ed. Compl. 1621. pp. 690. 704.)

8. Distinguunt, ut dictum est, Bannesiani *sensum divisum et compositum*, ut carere necessitate praedeterminationem persuadeant: *potestatem* non agendi, non *ipsam omissionem* actus cum praedeterminatione consistere posse. Id qui S. Thomam sequetur, negabit. Non enim extra voluntatem, sed *in* ea est praedeterminatio; negat autem ille, si *insit* in ipso homine, quo agere prohibeatur, distinctionem sensus compositi et divisi adhiberi posse. Rationem evidentem affert: ut libertas salvetur, manere oportere potestatem in subiecto; si autem id, quod impediat actum, insit in subiecto, veram eius efficiendi potestatem tolli.

Ipsum audiamus. De verit. q. 6. a. 3. ad 8. sic ait: „Ad octavum dicendum, quod nigredo et albedo sunt quaedam formae existentes in subiecto, quod dicitur album et nigrum, et ideo non potest aliquid attribui subiecto nec secundum potentiam nec secundum actum, quod repugnet formae praedictae, quamdiu *in subiecto manet.*“ Idem argumentum e Summ. I. q. 14. art. 13. ad 3. depromi potest. Ibi obiectionem illam, praescientia vim ac necessitatem inferri homini, adhibita sensus divisi et compositi distinctione refutat; addit autem non solvi difficultatem „si hoc, quod dico *scitum*, importaret aliquam dispositionem subiecto *inhaerentem.*“

Confirmari argumentum potest duplici ratione. S. Thomas constantissime sic loquitur, ut contingentem dicat ipsum actum, ac perspicue docet, actus contingentiam motione Divina non tolli

(I. II. q. 10. a. 4., alibi). At contingentem esse actum nihil est aliud nisi fieri posse ut actus non sit. Quod quidem distinctionem Bannesianam sensus compositi et divisi evertit, quum simul cum Divina motione esse in voluntate *potestatem* non agendi volunt, at *fieri nullo modo posse ut actus non sit;* postulat enim S. Thomas, ne libertas exstinguatur, ut ipse *actus* sit contingens seu non esse possit.

Idem porro sic scribit (Quodlibet. I. art. 7. ad 2): „Ad secundum dicendum, quod Deus movet omnia secundum modum eorum, et ideo Divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, *a natura autem rationali cum libertate* propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita, et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen *potest huic motioni resistere;* et sic ex Deo est, ut homo se ad gratiam praeparet, sed quod gratia careat, non habet causam a Deo, sed ab homine, secundum illud Osee 13: ‚Perditio tua ex te, Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.'" Hoc loco S. Thomas *e natura libertatis humanae* concludit posse motioni Divinae resisti, idque ita, ut *actu resistere* non repugnet naturae Divinae motionis; nam loquitur de potestate tali, quae, quamvis homo a Deo moveatur, saepe in actum transeat, ita ut gratia Dei amittatur. Praedeterminatio igitur, quum propter eius naturam fieri non possit, ut ei actu resistatur, *naturae repugnat libertatis humanae.* Haec S. Thomae sententia atque doctrina est.

9. Unde merito infert, praescientiae ac praedestinationis necessitatem aliam non esse nisi quae principium contradictionis consequatur: id quod sit, quatenus sit, simul non esse non posse, similemque rationem esse necessitatis Divinae praescientiae et humanae visionis. „Contingens refertur ad Divinam cognitionem," inquit de ver. q. 2. art. 12. ad 2., „secundum quod ponitur esse in rerum natura; *ex quo autem est, non potest non esse tunc, quando est:* quia quod est, necesse est esse, quando est, ut in primo Perihermeneias dicitur. Non tamen sequitur, quod simpliciter dicatur necessarium nec quod scientia Dei fallatur; sicut et visus meus non fallitur, dum video Petrum sedere, quamvis hoc sit contingens." Pergit autem sic (ad 3.): „Contingens pro tanto dicitur necessarium esse, secundum quod est scitum a Deo, quia scitur ab eo, *secundum quod est iam praesens,* non secundum quod futurum est. Nec ex hoc aliquam necessitatem sortitur, ut possit dici, quod necessario eveniet. Eventus enim non est, nisi eius, quod futurum est, quia *id quod iam est,* non potest ulterius eve-

nire, sed verum est id evenisse et hoc est necessarium.“ Porro (in fine ad 7): „Quamvis,“ inquit, „res in seipsa sit futura, tamen secundum modum cognoscentis *est praesens*, et ideo magis esset dicendum, si Deus scit aliquid, *illud est*, quam hoc erit. Unde idem est iudicium de ista: Si Deus scit aliquid, hoc erit; et de hac: *Si ego video Socratem currere, Socrates currit:* quorum utrumque est *necessarium, dum est.*“ Item I. q. 14. art. 13. ad 2.: „Si dicam: si Deus scivit aliquid, illud erit, consequens intelligendum est, prout subest Divinae scientiae, scilicet, prout *est in sua praesentialitate;* et sic necessarium est, sicut antecedens, quia *omne, quod est, dum est, necesse est esse.*“ De malo q. 16. art. 7. ad 15: ita scribit: „Sicut se habet Divina scientia ad futura contingentia, sic se habet oculus noster ad contingentia, quae *in praesenti sunt.* Unde sicut certissime videmus *Socratem sedere, cum sedet,* nec tamen propter hoc sequitur, quod sit simpliciter necessarium: ita etiam ex hoc quod Deus videt omnia, quae eveniunt, in seipsis, non tollitur contingentia rerum.“ Denique ille sic disputat (I. contra gent. cap. 67. versus finem): „Si unumquodque cognoscitur a Deo sicut *praesentialiter visum,* sic necessarium erit esse, quod Deus cognoscit, sicut necessarium est *Socratem sedere, ex hoc quod videtur sedere.* Hoc autem non est necessarium absolute, vel ut a quibusdam dicitur, necessitate consequentis, sed sub conditione, vel necessitate consequentiae. Haec enim conditionalis est necessaria: *si Socrates videtur sedere, Socrates sedet.*“ Idem autem affirmat in extrema illa epistola, quae nuper reperta est, quam paullo antequam mortuus est ad monachos Cassinienses misit: „Manifestum est autem, quod ex hoc, quod video aliquem sedere, nulla ingeritur ei necessitas sessionis. Impossibile est haec duo simul esse vera, quod *videam aliquem sedentem, et ipse non sedeat;* et similiter non est possibile, quod Deus praesciat aliquid esse futurum, et illud non sit, nec tamen propter hoc futura ex necessitate eveniunt.“ Iam vero, quia S. Thomas praevisionem antecedere docet Dei praedestinationem eaque *includi,* huius quoque necessitas prorsus eadem sit oportet, quam modo explicavimus. Dicit igitur (in I. dist. 40. q. 3. in fine corporis): „Adaequatio ista attenditur scientiae Dei ad rem, non secundum quod est in causis suis, in quibus est ut possibile futurum tantum, sed ad ipsam rem, *secundum quod habet esse determinatum, prout est praesens,* et non futurum: et ita patet, quod certitudo praedestinationis nullam necessitatem salvandis imponit.“ Porro (de veritate q. 6. art. 3.): „Praedestinatio includit praescientiam . . . sed

praescientia habet certitudinem ... ergo et praedestinatio. (Ad 6.): ... Veritas praedestinationis et praescientiae respicit futurum, ut *est praesens* ... et ideo certitudinem habet.“ Ergo plurimis S. Thomae locis discimus, praescientiae ac praedestinationis necessitatem hac denique ratione totam verti, quod id, quod sit, non possit idem simul non esse. Quod quidem non Bannesianorum, sed nostrae sententiae congruit, quemadmodum et alibi et supra p. 28. et 29. demonstravimus.

10. Postremo argumentum adiungere placet, quod superiora complectatur. Dogma fidei est, voluntatem gratia efficaci motam nulla adactam necessitate actum meritorium efficere (I. prop. Iansenii). Necessitas quid est? Respondet S. Thomas eo ipso loco (de verit. q. 22. a. 6. et 7.), quo quaerit, num voluntas necessario agat et capax sit meriti: „Necessarium dicitur,“ inquit, „quod immutabiliter ad unum determinatum est“ (art. 6. in corp.). Iam vero praedeterminatione *immutabiliter determinari* hominem idque ad *unum* illum actum, ad quem efficiendum datur, ipsi Bannesiani non negant (vide supra p. 13. n. 1. 2., p. 14. n. 1.); et videtur manifestum, quum fieri nullo modo possit, ut voluntas praedeterminata revera omittat actum. Consequitur igitur secundum S. Thomae definitionem vera ac talis necessitas, quae tollat libertatem. Quodsi ea definitio ex aliis locis eiusdem Doctoris (contra gent. lib. 2. cap. 27.; de verit. q. 6. art. 3. ad 8.; Summ. I. q. 14. art. 13. ad 3.) ita a theologis circumscribitur, ut necessitas sit *antecedens, intrinseca et immutabilis determinatio ad unum:* ne sic quidem praedeterminatio physica expers esse necessitatis videtur. Annon actum ut causa *ante*vertit et homini *intrinsecus* inhaeret? Ergo nec *necessitate* secundum S. Thomam nec *praedeterminatione* voluntas propellitur.

Quod praeclare congruit cum regula diiudicandae naturae actuum voluntatum a S. Thoma proposita: eatenus esse aliquid simpliciter, quatenus sit *in actu* („Unumquodque simpliciter esse dicitur, secundum quod est in actu“, I. II. q. 6. a. 6.). Ergo etiam, liberne sit motus voluntatis an necessarius simpliciter, ut appareat, videndum est, qualis sit in actu. Sed ita praedeterminationem necessario consequitur, quia ea praesente ipse actus non fieri nullo modo potest. Est igitur actus voluntatis, si Bannesianorum rationes ex S. Thoma metimur, necessarius simpliciter.

Confirmat argumentationem nostram id, quod S. Thomas de origine et de effectu necessitatis disserit.

Docet *generatim:* „Movens tunc ex necessitate causat motum

in mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quod tota eius possibilitas moventi subdatur“ (I. q. 82. a. 2. ad 2.). Id quadrare in gratiam efficacem Bannesianorum perspicuum esse nec ipsos infitiari posse videtur; ex magnitudine enim potentiae Divinae, cuius instrumentum gratia vi omnibus voluntatis viribus multo superiore operetur, explicant, cur gratia efficax effectum non possit non certissime consequi. Ut Alvarez (de aux. div. gr. l. 9. disp. 83. n. 8. ed. Lugd. 1611. p. 665.) scribit: „Quando agens infinitae virtutis movet aliquod subiectum, tale subiectum infallibiliter movetur, quia tunc resistentia passi non superat nec adaequat virtutem agentis.“ Ergo praedeterminatio Bannesiana — si superiora S. Thomae verba in eam transferuntur — veram gignit iustamque necessitatem nec consistere cum libertate potest. Re quidem vera ita hoc ignoravit S. Thomas, gratiam ob insitam invictamque virtutem infallibiliter operari, ut efficaciam gratiae sic explicet: „Vocatio, qua *trahitur* praedestinatus, *nihil est aliud* quam quidam mentis *instinctus*, et *haec vocatio* in praedestinatis est *efficax, quia huiusmodi vocationi assentiunt* (in ep. ad Rom. c. 8.).

Qui effectus sit quodque indicium verae necessitatis, D. Thomas exponit I. q. 82. art. 1. Ut distinguatur contingentia a naturae necessitate, hoc affert indicium: quod contingens sit, id aliquando *non* futurum. Efficit autem vis ac natura physicae praedeterminationis, ut *nunquam* actu careat; non est igitur contingens actus — obstat enim ipsa virtus praedeterminationis, cuius effectus in innumerabili multitudine *nunquam* est *non futurus* —, sed necessarius; immunitas autem a necessitate propria est meriti culpaeque conditio, idque a nullo nisi haeretico negari docet S. Thomas cum omnibus Bannesianis.

---

4. De vetere schola S. Thomae.

Explicata ipsius S. Thomae doctrina, videamus, quam arcte vetus eius schola ante Bannesium vestigiis institerit magistri. Principium ducimus a magno illo Thomae discipulo, *Aegidio Romano,* Ordinis S. Augustini priore generali. Is in commentario suo copiose disputat, qua ratione Deus hominem praeparet ad iustificationem, quae Divinae motiones necessario requirantur: de praedeterminatione physica tacet nec aliam gratiam praevenientem praeter excitantem commemorat. Sic enim inter alia scribit: „Visa convenientia et differentia gratiae ad naturam, volumus ex his procedere ad solutionem quaestionis propositae. Dicemus ergo, quod sicut non introducitur forma naturalis, nisi agens naturale primo moveat et disponat materiam ad ipsam: sic quia gratia est quid supernaturale, numquam infunditur animae, nisi agens supernaturale, quod est Deus, moveat et impellat animam ad susceptionem gratiae, ut declaratum est ex convenientia gratiae ad naturam. Iste autem impulsus et iste motus divinus ad gratiam sunt compunctiones et bonae cogitationes, quas immittit Deus peccatori non converso, ut convertatur ad ipsum; et quas immittit Deus converso, ut magis convertatur ad eum. Immissiones autem istae possunt dici divina pulsatio et divina statio ad ostium cordis pulsans, ut homo convertatur ad ipsum et aperiat sibi ianuam, ut Deus intret in ipsum et infundat sibi gratiam; vel istae immissiones bonarum cogitationum possunt dici divina vocatio, qua Deus vocat nos intrinsecus, ut sequamur ipsam et recipiamus gratiam, de qua vocatione potest exponi illud Prophetae: „Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquitur pacem in plebem suam,“ id est, in me et in aliis sibi subiectis. Nam ista vocatio non est nisi ad pacem, ut corpus sit subiectum animae, et anima Deo, et omnia sint pacificata. Sic ergo ante omnia praecedit huiusmodi divinus impetus, in quo aliquo modo conveniat gratia cum natura. Verum . . . quando Deus sic immittit nobis cogitationes bonas et sic vocat nos per eas, in

potestate nostra est velle sequi ipsum vel non sequi. Et si sequamur ipsum, infunditur nobis gratia; si non, excludimur ab ea; ergo ad infusionem gratiae primo praecedit divina vocatio vel divinarum cogitationum immissio, postea sequitur liberi arbitrii ad Deum conversio et postea gratiae infusio.“ (In 2dum lib. Sententiarum. Cordubae 1707. dist. 26. q. 11. art. 3. p. 449. col. B.)

Neque magis in ordine naturali physica praedeterminatione utitur; docet enim 2. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 6. § *Pro securis,* eundem esse in omni causarum genere ipsum generalem Dei concursum, sed recipi diverse pro cuiusque causae natura. Idem summa perspicuitate enuntiat, ad *primum* actum indeliberatum voluntatem a Deo determinari, tum ad liberos actus se ipsam movere. „Respectu ergo finis,“ inquit, „et eius quod apprehendit sub omni ratione boni, voluntas determinate movetur nec seipsam determinat.“ (Quodlib., Lovan. 1646. p. 178. col. B.) Porro: „Voluntas ergo si non necessitetur ab his quae sunt ad finem et si ea quae sunt ad finem, non possunt determinate movere voluntatem, oportet quod voluntas determinet seipsam ad hoc ut moveatur ab his, quae sunt ad finem.“ (L. c. p. 177. col. B.)

Infallibilem gratiae efficaciam a Dei praevisione repetit: ita coniunxisse inter se atque accommodasse Deum causas contingentes, ut non sequi non possit effectus (de hac sententia supra p. 79):

„Simul ergo cum necessitate oportet nos salvare contingentiam et cum certitudine liberum eventum.“

„Notandum quod dicere possumus divinam praedestinationem tripliciter certam esse. Primo *ex praescientia quam praesupponit.* Nam secundum Aug. in ‚De praedestinatione Sanctorum‘ praedestinatio sine praescientia esse non potest. Secundo ex ordine causarum secundum quem est executio eius. Tertio ex numero praedestinatorum qui est Deo notus. Primum sic ostenditur, quia *eo ipso enim quod divina praescientia falli non potest, et quae sunt a Deo praescita vel praevisa necesse est evenire, praedestinatio, quae divinam praescientiam praesupponit, certitudinem habet:* sed huic certitudini libertas arbitrii non repugnat. . . Secundo praedestinatio certitudinem habet ex ordine causarum. Nam sicut Deus ab aeterno praevidit hunc salvandum, sic iste salvabitur; unde omnes illae causae concurrunt ad salutem huius, quas Deus ab aeterno concurrere *vidit,* et est ibi totus ille ordo causarum, qui ab aeterno est a Deo *praevisus,* quae omnes causae simul sumptae quadam necessitate effectum inferunt; sed propter talem necessitatem vel certitudinem non tollitur libertas arbitrii, cum ipsum

liberum arbitrium inter tales causas computetur. . . Tertio praedestinatio certa existit: quia Deo est *notus* praedestinatorum numerus, et ideo quilibet de necessitate salvatur, prout sua salus Deo existit nota; ex quo enim cuiuslibet salvandi Deus certam cognitionem habet, et numerus eorum apud Deum certus et notus est: oportet tot salvari quot *praevidit* et eos quos *praevidit*, sed huic necessitati etiam libertas arbitrii non repugnat, quia quilibet in se acceptus potest salvari et non salvari, licet relatus in divinam praescientiam vel praedestinationem de necessitate salvetur." (Aegidii Romani in Primum Sententiarum, Ven. 1521. Dist. 40. q. 2. art. 2. p. 212 B. col. A.) „Ut stat sub praedestinatione [praedestinatus], non potest damnari, quia *divina praescientia non potest falli,* ut dicebatur de Socrate sedente." (Opp. Aegidii Romani, Romae 1655., tom. I. p. 67 b, C. In ep. ad Rom. lect. 34.) Illud quoque S. Thomam secutus docet, actus liberos non ex causis, sed ut praesentes sint aeternitati, cognosci posse; interpretationem vero absurdam huius doctoris sui sententiae sic refutat: „Cum enim dicit S. Thomas, quod omnia quae sunt in tempore sunt Deo praesentia, prout sunt in sua praesentialitate, intendit dicere et sat clare, quod divinae notitiae praesens est omnium quae sunt successive in tempore praesentialitas et actualis existentia ab eo aeternaliter cognita, non cum eo aeternaliter existens in natura propria. Nec opus, si aliquid sit divinae notitiae vel etiam nostrae praesens, propter hoc sit praesens in se existens. Manifestum est enim, quod intellectus noster super praesentiam et actualem existentiam rei fertur, quae non est, sed praeteriit, quia habet speciem eius in se praesentem. Manifestum est ergo, quod multo fortius Deus, qui habet penes se omnium rerum rationes praesentes, ipsas perfectissime intelligendo poterit praesentialiter ferre intuitum sui intellectus super omnium praesentialitates, antequam essent." (Defensorium s. correctorium fundamentarii Doctoris D. Aegidii Romani [1] incorruptorum librorum Angelici Doctoris . . . a quodam aemulo depravatorum. Ven. 1516. Lib. 1. p. 1. art. 21. ad 5.)

Bannesiani volunt actus liberos in decretis Dei praedeterminantis, quibus efficiantur, cognosci. Illi autem veteris scholae theologi cum communiter idem quod S. Thomas docent, non in causis actus cognosci, sed ut praesentes sint aeternitati: non rei

[1] Si hoc correctorium non ab Aegidio Romano scriptum est, saltem veteris scholae S. Thomae doctrinam sine dubio ostendit.

praesentiam intelligunt, sed *obiectivae* veritatis, h. e. eam quam ipsa actuum veritas gignat, propter quam ab intellectu divino attinguntur.

Alius S. Thomae alumnus, *Petrus de Tarantasia* (Innocentius V.), liberam operationem ex causis minime cognosci, sed ipso actu solo determinari docet. „Contingentia," inquit, „etiam si ut futura non habeant necessitatem, eo quod dependent ex causis indeterminatis, tamen iam prout actu sunt, necessitatem habent. Deus vero videt contingentia, ut sunt praesentia in aeternitate, aeternitati vero totum tempus praesens est, homo vero ut futura, quia in parte temporis praecedente; ideo Deus videt ea infallibiliter et determinate, homo vero non potest. Sunt enim quaedam quae omnino habent causam ad esse vel non esse determinatam ut defectus luminarium; quaedam vero non omnino, sed magis ad unam partem quam ad alteram ut naturales eventus in inferioribus, sc. pluviarum et huiusmodi; quaedam nullo modo ut contingentia. Primum genus entium praesciri potest scientia certitudinis; secundum scientia coniecturae, ut contingit in iudiciis medicorum et astrologorum; tertium nullo modo, sed tunc primo cum actu est, quia tunc primo determinatum est. Deus vero videt omnia praesentialiter, unde videt omnia ut actu existentia, unde ut determinata, et ideo scit omnia sive sint in natura propria, sive praeterita, sive futura." (Innocent. V. In I. dist. 38. q. 1. art. 2. in corp. Ed. Tolos. 1652. p. 319.)

Praedestinationis non causam, sed rationem tamen esse in meritis praevisis existimat: „Quia ergo praedestinatio dicit actum voluntatis divinae quae est ipsa rectitudo, ideo eius nulla potest esse causa motiva; est tamen eius ratio aliqua, i. e. congrua ordinatio ad suum volitum. Dicendum ergo quod praescientia meritorum non est causa motiva voluntatis divinae ad praedestinandum, sed tamen est ratio, secundum quam congrue fertur voluntas Dei ad praeparandam gratiam et gloriam ei, cuius praescit futura merita; non tamen ipse movetur ad hoc propter merita, sed mera voluntate sua" (dist. 41. q. 2. art. 2. p. 340.).

Idem rursus: „Non habet causam aliam [electio], sed rationem; quae autem sit ratio, potest dici, quod ratio in speciali est scientia meritorum huius et illius" (l. c. ad 5.).

Floruit Parisiis ab initio saeculi decimi quarti *Ioannes de Neapoli,* O. Pr. celebris theologus, cuius „Quaestiones disputatae iussu A. R. P. F. Dominici Gravina, eiusdem O. S. Theol. Mag. (Neapoli a. 1618.), in lucem editae" sunt. Vehementer vero

Bannesianis placuerunt, quia Ioannes q. 15. punct. 3. p. 130. docuit, „Deum esse causam actionis omnis agentis creati, sicuti applicantem seu moventem omne agens ad effectum suum.“ Nulla tamen hac de re controversia agitur, sed quaeritur, num Divina motio sit ea, quam, etiam *in sensu composito,* creatura determinare, modificare vel impedire possit. Quod Bannesiani negant, affirmant nostri, nec omnino dubitari potest, quin P. Ioannes nobis assentiat. Ibidem enim: „Causa et effectus,“ inquit, „sibi invicem correspondent quantum ad multa et specialiter quantum ad universalitatem et particularitatem, . . . sic quod causae universali correspondet effectus universalis et *particulari particularis.* . . Causae universalissimae in causando, i. e. Deo, respondet effectus universalissimus in praedicando, i. e. *esse* seu ens; . . . idem ergo numero effectus, puta hic homo, in ratione, qua ens, est effectus Dei et non hominis, . . . *in ratione qua hic homo, est effectus hominis generantis.“* *Determinatio* igitur, qua voluntatis motus est haec singularis actio, a creatura fit; quare effectum Divinae motionis etiam impedire potest: „Quum enim . . . ad actionem tria concurrant, sc. dispositio agentis, dispositio passi et debita appropinquatio unius ad aliud: potest esse, quod aliqua actio finem suum non assequatur, non propter defectum instrumenti vel principalis agentis, sed *propter defectum dispositionis passi* vel propter defectum praedictae appropinquationis“ (p. 132.). Ecce communissimam antiquae scholae doctrinam, ad effectum ita concurrere Dei motionem et creaturae motae dispositionem, ut haec illius effectum omnino impedire possit et saepissime etiam impediat. Quam doctrinam Bañez negavit, *nova et inaudita* proposita.

Herveus cum ceteris antiquae scholae theologis docet, ex causis cognosci actus liberos non posse, sed ita tantum, ut praesentes sint Dei aeternitati. Idem autem, ut Aegidium vidimus, eam sententiam ab absurdis interpretationibus vindicat: „Alio modo,“ inquit, „possunt res esse praesentes Deo ut intuenti sive per intuitionem. Et sic omnia futura non solum quoad suas rationes communes et quidditativas, sicut contigit scire, quid est homo vel equus ipsis non existentibus, sed etiam quantum ad suas existentias actuales sunt praesentes Deo ab aeterno secundum talem intuitionem. Simul enim et ab aeterno intuitus est Deus existentiam actualium omnium.“

Eminet inter veteris scholae S. Thomae theologos imprimis *Henricus Gorcumiensis,* vice-cancellarius et professor Coloniensis, a quo eodem Supplementum Summae S. Thomae additum est. Is

clarissime disserit, non modo pari gratiae fieri posse ut alter assentiatur, alter dissentiat, verum etiam, si diversae sint gratiae, maiori alterum resistere, alterum minori obtemperare posse. Itaque si efficaces eae gratiae proprie vocentur, quae praedestinatis dentur sintque permagnae atque potentes, fieri posse, ut gratiae sufficienti frequenter assentiamur, resistamus efficaci. Praedestinationis infallibilitatem non ut Bannesiani ex certissima virtute interna singulorum auxiliorum explicat, sed, quemadmodum etiam S. Thomas (v. p. 79.), ex subsidiorum copia ac multitudine, quam Deus semper in promptu habeat. Deum liberum arbitrium non determinate ad unum movere affirmat. Sic ille docuit in Tractatibus consultatoriis, quos adversus Husitas scripsit (Colon. in officina H. Quentel. Anno supra Iubilaeum tertio); e quo opere, quod rarissime iam reperitur, aliquot locos copiosiores exscribemus.

Prop. IX. fol. XXII. a. „Divina providentia movens omnia movet unumquodque secundum suam naturam; naturalia enim quae ad unum determinantur movet determinate ad unum, ut gravia deorsum, levia sursum. Ea vero quae habent liberum arbitrium movet relinquendo ea in potestate sui liberi arbitrii. . . Quia per bonas actiones pervenitur ad adeptionem aeternae gloriae et huiusmodi actiones sunt Dei tamquam principaliter agentis, ideo sacra scriptura aliquoties loquitur, tamquam totum esset solius Dei et homines non haberent aliquid interesse. Et ad hunc sensum dicit Apostolus: Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. . . Esau movebatur gratuita motione ad consentiendum simul infusioni gratiae, qui ex libertate arbitrii non consentiens si voluisset consensisset et gratiam accepisset, qua si voluisset bene usus fuisset et in eadem secundum facultatem liberi arbitrii ad finem usque perseverasset ac per hoc aeternam gloriam possedisset. Quinimmo non irrationabiliter dici potest, quod aliquis reprobatus intensiori motione ad Deum movetur nec tamen consentit. Alius vero praedestinatus remissiori motione divinitus motus acquiescit motioni et gratiam recipit.“

Prop. XV. fol. XXIV. a. „Deus vult Esau non movere motione gratuita efficaci, ideo vult non dare gratiam gratum facientem: haec enim connexio pium interpretem efflagitat. Reminisci igitur oportet quod doctrina scholae theologicae distinguere consuevit duplicem gratuitam motionem divinam, quarum unam vocat motionem efficacem, aliam vero sufficientem; sed motionem esse efficacem potest accipi dupliciter; posset enim per motionem efficacem intelligi quoddam genus motionis, quo specialiter moventur

praedestinati, quae respersa quodam suavitatis odore intima viscera animae foecundando deiformat et in coeleste desiderium transformat. Alio modo per motionem efficacem possumus intelligere talem motionem, quae assequitur voluntatem hominis actu ad eius consensum. Si igitur hoc secundo modo loquamur de motione efficaci, tunc quicumque movetur motione efficaci, consentit motioni, et vera est haec connexio: Deus vult Esau non movere motione gratuita efficaci, ideo non vult dare gratiam. Nam oppositum consequentis: sc. Deus vult dare gratiam, non se compatitur cum antecedente. Si enim vult dare gratiam, vult movere motione gratuita efficaci. Si vero per motionem efficacem intelligamus motionem divinam altioris ordinis specialiter praedestinatis appropriatam: considerandum est, quod Deus movet unumquodque secundum conditionem suae naturae. Verisimile igitur est plerumque contingere nonnullos acquiescere motioni solum sufficienti et non efficaci. Deus enim nemini motionem sufficientem denegat. Voluntas autem ex suae libertatis facultate tali motioni acquiescens gratiam recipit. Unde multi reprobati multoties diu vivunt in gratia gratum faciente, a qua tamen finaliter excidunt. Similiter e converso multi praedestinati diu pulsantur tali motione efficaci et non statim acquiescunt. Sic legitur de b. Augustino et pluribus aliis sanctis, qui diu renitebantur divinae inspirationi quam ad fidem converterentur. Talis enim motio licet quadam spirituali suavitate recreat vires animae, voluntas tamen ex sua libertate potest consensum suum suspendere.“

Prop. XVII. fol. XXV. a. „Voluntas remanet libera sive moveatur motione sufficiente, sive efficaci, et quia liberum arbitrium contingenter flectitur ad utrumque oppositorum, non videtur se compati talis contingentia libertatis et infallibilis eventus praedestinationis. Gratia igitur amplioris declarationis est advertendum, quod aliquando effectus vindicat sibi eventum infallibilem ex necessitate unius causae determinatae, ut puta, ortus solis infallibiliter evenit, quia motus coeli non potest impediri, per quem fit ortus solis. Est autem alius effectus, qui comparatus cuilibet plurium suarum causarum singillatim nequit sortiri infallibilitatem; nam quaelibet talium causarum secundum se deficere potest, tamen pensatis collective omnibus causis tali effectui deputatis, effectus ipse eventum vindicat infallibilem. Huius exemplum referri consuevit de continuatione speciei humanae. . . Pariformiter diligens lector perpendat in proposito. Nam adeptio gloriae est finalis effectus praedestinationis, ad cuius comprehensionem Deus

plurima praeordinavit, cuiusmodi sunt cooperatio voluntatis humanae, *gratia,* bona opera, orationes Sanctorum, exhortationes et exempla bona, alio modo et ita de quam multis aliis. Itaque si praedestinatio comparetur ad solam voluntatem hominis praedestinati vel *ad aliquid aliorum auxiliorum praedestinationis,* secundum hoc non videtur sibi convenire certitudo infallibilis. Si vero referatur ad totam collectionem eorum, quae Deus praedestinavit ad consequendum finem praedestinationis, tunc fixam sibi vindicat certitudinem, quod praedestinatus, si cadat, aut per preces iustorum aut exhortationes aut exempla aut, quod potius est, divina inspiratione resipiscit et ad finem pervenit."

Princeps Thomistarum *Capreolus* ita aperte nostrae sententiae favet, ut id Bañez, quem infra audiemus, fateatur. Definitionem libertatis eam ipsam proponit, quae postea pervulgata est, a qua adeo alieni inveniuntur quidam Bannesiani; eamque ille S. Thomae rectissime tribui censet: „Alio modo," inquit, „accipitur liberum prout opponitur determinationi et necessitati, et isto modo accipitur in praedicta divisione potentiarum, cum dicimus, aliqua agentia esse naturaliter activa, et alia libere. Illud enim dicitur agens naturale, quod positis omnibus requisitis ad agendum et nullo existente impedimento, quin ipsum possit agere, necessario agit, nec est in eius potestate non agere. Agens vero illud dicitur liberum, quod eodem modo omnibus positis, ita ut possit agere, non necessario agit, sed in eius potestate est, ut agat et non agat." (In libros sententiarum amplissimae quaestiones. Venetiis 1589. I. t. dist. VI. q. 1. p. 105. col. B.)

Idem voluntatem in solo *primo* actu indeliberato determinari, ad liberos actus ipsam se determinare voluntatem dicit: „Voluntas," inquit, „quantum ad exercitium actus, sc. ut velit vel non velit, determinatur a seipsa, et illud quo se determinat, est actus eius determinatus, sed quantum ad specificationem actus, sc. ut tendat in hoc vel illud, determinatur per intellectum ostendentem sibi suum obiectum. Non ergo oportet procedere in infinitum ex aliqua parte, quia si loquamur de determinatione quoad specificationem actus, est status in appetitu naturali intellectus; si autem loquamur de determinatione quoad exercitium actus, est status in appetitu naturali voluntatis, quem habet ad suum actum." (I. dist. 45. q. 2. p. 589.)

Praeterea: „Primus ergo actus volendi non potest esse a voluntate, quia ipsa, quantum est de se, est in potentia ad ipsum actum volendi et ideo oportet quod fiat actu in genere volentium

per aliquid aliud et hoc est per primam affectionem. Unde cum illa non sit ab obiecto, item nec a voluntate, quia tunc esset in potestate voluntatis, quod est falsum: necesse est primam affectionem voluntatis reduci ad Deum, sicut et ipsam productionem animae rationalis. Et sic illa immediate producitur a Deo effective. Alii autem actus volendi sunt effective a composito: sc. a voluntate et a prima affectione ad finem, sicut docet Thomas, ubicumque loquitur de hac materia; sicut intellectus factus in actu principiorum movet se ad conclusiones. Et ideo omnes actus volendi praeter primum, quia sunt in potestate voluntatis, oportet quod sint effective ab ipsa et specificative ab obiecto. . . Haec *Bernardus [a Gannaco]* . . . Et quod ista sint ad mentem S. Thomae, patet I. 2. q. 10. a. 2.“ (II. dist. 25. q. 1. p. 439. col. B.)

Quodsi Thomistae, ut ostendant, voluntatem non posse se ipsam determinare, nisi praedeterminatam ab alio, indifferentiam afferunt voluntatis, id pridem occupavit Capreolus. Et obiectionem et responsionem ab ipso audiamus: „Quia,“ inquit, „Commentator dicit secundo phys., quod esse indifferens aequaliter ad opposita est contradictio potentiae passivae, quam oportet reduci in actum ab alio; sed voluntas est indifferens ad oppositas volitiones; ergo sive voluntas ponatur nuda sive affecta [ad finem], quamdiu accipitur indifferens ad opposita, oportet quod moveatur ab alio determinante eam ad alterum oppositorum“ (II. dist. 23. q. 1. p. 415). Capreolus respondet: „Dicendum, quod voluntas, quantum est ex natura sua, est ad opposita, ipsa tamen ratione libertatis suae determinat se ad id quod vult, et ita non indiget alio determinante.“ (II. dist. 23. q. 1. p. 424. ad 6.)

Bernardi a Gannaco, qui modo allatus est, aliud quiddam Capreolus mutuatur: Deum *semper* movere voluntatem affectione ad finem, amore vel *boni communis* vel boni cuiuspiam particularis, vi cuius affectionis posse ipsam se voluntatem ad alios actus determinare [1]. Contra Bañez cum sua schola praeter illam affectionem aliud auxilium praeveniens requiri statuit, quo Deus ad liberum actum voluntatem moveat. Sunt autem Bernardi a Gannaco verba haec: „Semper enim movetur [voluntas] a Deo in

---

[1] Dante, ut alias S. Thomae sententias, ita hanc versibus expressam sic exhibet:

L' animo, ch' è creato ad amar presto,
Ad ogni cosa è mobile che piace,
Tosto che dal piacer in atto è desto.

actu per affectionem ad finem. . . Per affectionem finis movet se ad ea, quae sunt ad finem, ut sic semper moveatur finis affectionibus, ut dicit Anselmus. Haec ille, et consonat dictis S. Thomae 1. II. q. 9. a. 6. ad 3." (II. dist. 25. q. 1. p. 441. col. B.)

Idem Capreolus sic censet, ad aliquem certum actum voluntatis nolle Deum nisi supposita determinatione voluntatis suam opem conferre: „Nec attingeret [causa prima effectum contingentem] necessario *nisi* ex suppositione, unde S. Thomas ad istud argumentum in virtute respondet de veritate q. 5. art. 9. ad 12: Effectus, inquit, non sequitur ex causa prima nisi posita secunda etc. Et ibidem ad 10. dicit: Actio primae causae quodammodo determinatur ad hunc effectum per causam secundam. Et q. 2. art 14. ad 5. dicit: Quamvis prima causa vehementius influat etc. Haec ille, ex quibus patet, quomodo non superfluit causa secunda et quomodo in nullo priori instanti causa prima facit effectum quam secunda" (I. dist. 38. q. 1. p. 507. col. B.). Rursus Capreolus: „Dico, quod Deus non est sic determinatus ad producendum velle meum, quod producat illud, *nisi* voluntas mea illud conproducat" (l. c. p. 508.). Praeterea: „Licet non sit in potestate alicuius causae secundae ponere absolutum divinae volitionis, tamen in potestate secundae causae est respectum rationis quem habet ad aliquod obiectum volitum ponere, non sicut in potestate causae per quam, sed sicut causae sine qua non; *si* enim ego non vadam ad ecclesiam hodie, nunquam divina voluntas habuit respectum ad illud ire sicut ad suum volitum. Et haec de qu. dicta sufficiant et consequenter de primo sententiarum." (I. dist. 45. q. 2. p. 591. col. B.)

Eo ipso loco, ubi discedens a veteris scholae sententia negat quemquam sine speciali motione Divina honesti quidquam velle posse, tamen (ut fatetur Bañez) alienum se ostendit ab huius doctrina. Sic enim scribit (II. dist. 28. q. 1. art. 3. ad 12.):

„Deus iuvat nos, immediate ipsum actum efficiendo, et non ipse solus efficit actum, sed etiam voluntas coefficit. Sed, ut iam tetigi, non solum iuvat Deus ad bonum velle, *partialiter* coefficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cuiuslibet agentis creati effectum quemlibet, sed etiam quodam modo speciali, videlicet faciendo, ipsam voluntatem partialiter concurrere, ita quod ipsa voluntas partialiter concauset applicata et quasi instrumentaliter mota a Deo ad sic partialiter concausandum. In qua tamen motione ipsa non necessitatur, sed instrumentum liberum existens, in cuius potestate est sequi motionem agentis, iuva-

tur ita, ut agat ea, quae non sic adiuta nequaquam agere potuisset. Ad productionem vero actus mali solum primo modo concurrit Deus, quia non facit voluntatem agere actum malum, sicut facit eam agere actum bonum. Et hoc est adiutorium illud Dei speciale, sine quo dicimus, nos nihil bene velle aut facere." Hic igitur quam apertissime ea affirmat, quae negat Bañez: 1. in concursu generali causam Divinam esse simul cum creata effectus *causam partialem,* 2. in hominis potestate esse, velitne sequi motionem, ita ut — verbis utar Bannesii [1] — *actualis operatio pendeat solum ex libertate liberi arbitrii.*

Praeterea docet Capreolus, quantumvis inclinatam voluntatem posse actum omittere, et hanc causam esse, cur actus liber e nulla causa efficiente vel *concurrente* cognosci possit, sed ita solum, ut ipse actus praesens sit aeternitati. A qua tamen ratione loquendi illam quam diximus interpretationis absurditatem arcet, quod idem Aegidius fecerat et Herveus: „Sunt aliquae causae," inquit, „quae possunt impediri; quibus tamen cognitis non ex hoc potest perfecte cognosci, an impedientur vel non, sicut patet de humana voluntate, cuius quantumcumque cognoscatur natura, non tamen ex hoc scietur, an producet actum suum elicitum vel non; ipsa enim potest se impedire, ut ita loquar, quantumcumque sit ad eliciendam volitionem inclinata, ne producat, cuius ratio est S. Th. de malo q. 16. art. 7. et I. dist. 38. q. 1. a. 5. Cum igitur opera voluntatis futura sint in ea sicut in causa [contingenti ad utrumlibet], patet quod ipsa cognita et *quibuscumque causis ad actum volitionis concurrentibus,* non potest certitudinaliter cognosci, an ipsa producet illum actum vel non producet, an impedietur vel non, quia ipsa voluntas, quae ad illum actum concurrit, nullo modo est determinata plus ad producendum quam ad non producendum, et ideo ad hoc, quod actus eius futurus certitudinaliter cognoscatur, oportet quod videatur in se et non solum secundum esse, quod habet in causa." (I. dist. 38. q. 1. p. 515.) Et: „Contingentia ad utrumlibet in suis causis certitudinaliter nullo modo cognosci possunt, sed quando iam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in seipsis esse determinatum; tum et ideo quando sunt in actu, certitudinaliter cognosci possunt, ut patet in eo, qui videt Socratem currere." (I. dist. 38. q. 1. a. 1. p. 510.) Porro: „Ad 8. Distinguo maiorem: praesens

[1] Integrum locum ex Bannesii commentariis in I. q. 23. a. 3. p. 272. postea afferemus.

enim potest aliquid dici dupliciter. Primo modo in rerum natura temporalium. . . Secundo modo aliquid dicitur praesens, quia attingitur actualiter ab aliqua mensura actuali, sive illa mensura sit tempus vel aevum vel aeternitas. . . Quia Deus attingit antichristum ut [aliquid] praesens sibi, ideo conceditur, quod antichristus est sibi praesens.“ (I. dist. 38. q. 1. p. 518. col. A.)

Postremo docet Capreolus, priorem esse rei ipsius veritatem praevisione actus liberi futuri nec ab ea pendere, neque vero ullo modo causam esse huius praevisionis. Quod contra Scotistas dictum voluit, existimantes Deum liberos actus in voluntatis suae determinationibus cognoscere. Ipsius haec verba sunt: „Istae duae propositiones: Deus scivit, antichristum esse futurum, et Deus vult, antichristum esse futurum, licet sint convertibiles quantum ad veritatem isto modo, quod una non possit esse vera, alia non existente vera: tamen aliter est de veritate primae et secundae. Nam prima est necessaria non solum propter immobilitatem actus divini intellectus, immo etiam ex obiecto eiusdem, quod habet necessitatem absolutam pro aliqua mensura, in qua antichristus est Deo praesens; quod enim est, necessario absolute est pro illa mensura, licet non necessario sit absolute simpliciter; necessitas autem illius consequentiae dat necessitatem propositioni de futuro explicite, illud fore in tali mensura, et ad hunc sensum ponit supra conclusio, hanc esse absolute necessariam: Deus scit, antichristum fore, non quidem quod simpliciter absolute sit necessaria, sed quia eius veritas ortum habet ex aliquo absolute necessario in certa mensura, sc. praesentia antichristi ad divinam aeternitatem in tali mensura. Ista autem propositio, Deus vult antichristum fore, est solum necessaria ex suppositione, quia sc. aeternaliter Deus ita voluit et non est mutabilis ad oppositum; nec veritas illius: Deus vult antichristum fore, ortum habet ex aliquo absolute necessario pro qualicumque mensura, nam existentia futuri pro quacumque mensura non est ratio ipsi futuro, quod subiiciatur divinae voluntati, sicut est de scientia Dei.“ (I. dist. 38. q. 1. art. 2. contra argumenta contra 6. concl.)

Transeo ad laudatissimum Summae contra Gentiles explanatorem. *Ferrariensis* [1] prorsus negat, actus liberos e causis suis ullo modo cognosci posse; cui Bañez occurrendum sibi esse existimavit.

---

[1] Saepius ante ad explicandum S. Thomam Ferrariensis auctoritate et Caietani usi sumus. Cf. etiam praeclaram P. Limbourg commentationem in „Zeitschrift für katholische Theologie.“ Innsbruck 1880. p. 239 ss.

Praeter cetera illud Capreoli argumentum a Ferrariense affertur: „Non potest certitudinaliter cognosci, causam [liberam] nullo modo impediri a productione effectus, nisi quando cognoscitur usque ad productionem effectus inclusive quod non impeditur.“ (I. contra Gent. cap. 67. § *Aliter etiam.*) Non potest autem fieri, ut voluntas physice praedeterminata actum impediat; quare Bañez opponens se scholae antiquae in illa ipsa actum cognosci vult. Ut autem certam providentiae efficaciam cum hominis libertate conciliet, ille ea, quam saepe iam laudavimus, S. Thomae explicatione usus (In l. 3. contr. Gent. c. 94.) a nostra sententia, ut ostensum est (supra pp. 79. 80.), nihil admodum discrepat.

Liberam voluntatem et sequi posse motionem Dei supernaturalem et resistere docet. Non omnino a Spiritu Sancto determinatam esse actionem, ut homo *agat praecise secundum inclinationem sibi* ab illo *ad unum determinatam*, sed eum *aliqualiter* tantummodo inclinatum ad agendum, ut et obsequi et resistere in ipsius sit potestate. Quibus verbis et refutatur et negatur doctrina praedeterminationis; sed ipsum audiamus: „Ad huius evidentiam,“ inquit, „considerandum est 1° quod dicitur aliquid agi ad aliquid, quando ad aliquid agendum ab altero movetur. Et siquidem actio illi determinetur ab altero omnino, ita quod ipsum non sit indifferens ad agendum, sed agat praecise secundum inclinationem sibi ab altero ad unum determinatam, sic dicitur simpliciter agi, sicut bruta dicuntur agi in quantum sunt eis operationes a natura determinatae ad unum; si autem actio non determinetur sibi ab altero, sed sic quidem moveatur ab altero sive inclinetur ad agendum, quod tamen in potestate sua sit agere et non agere, sive agere hoc modo aut illo, tale dicitur agi non simpliciter, sed secundum quid, quia non determinatur sibi actio ab extrinseco ad unum, sed ipsum se determinat, sed tamen aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic Spiritus S. nos ad agendum inclinat, quod libere tamen operamur et ex proprio arbitrio, tanquam habentes in nostra potestate sequi aut non sequi Spiritus S. inclinationem et motionem, ideo dicimur ab ipso agi non simpliciter, sed secundum quid; propter hoc dixit S. Thomas, quod per Spiritum S. *quodammodo* agimur, ut praecepta Dei impleamus.“ (Commentarii in Summam contra Gent. Romae 1570. In lib. IV. c. 22. p. 451. 1ª Col.)

Concedimus vocem determinandi a Ferrariense aliquando amplificari et ad Dei determinationem liberae voluntatis transferri (in 3. contra Gent. cap. 89. § *Ad confirmationem*); sed cum subiungit:

„ita determinare, ut tamen absolute deficere ea voluntas possit in producendo,“ satis profecto aperte physicas praedeterminationes negat; nam physice praedeterminata voluntas deficere in producendo actu non potest.

Denique exponens illud S. Thomae: „Secunda agentia determinant actionem primi agentis“ communem ponit superiorum Thomistarum interpretationem in hunc modum: „Intelligitur in quantum ipsa [actio primi agentis] mediantibus causis secundis *ad effectum terminatur*“ (in l. 3. c. G. c. 66., cf. supra p. 58.). Itemque in l. 1. c. 67: „Actio,“ inquit, „primae causae *modificatur* in causa secunda secundum modum ipsius causae secundae.“ Neque prius attingit effectum quam causa secunda, ut Ferrariensis eodem loco dicit: „Causa prima producens effectum mediante causa secunda non *in aliqua priori duratione* attingit effectum, in qua non attingatur a causa secunda, licet dicatur prius agere in quantum secunda *non agit nisi virtute primae;* unde non oportet, ut effectus *in aliquo priori instanti habeat necessitatem a causa prima,* sed *simul productus* a causa necessaria et contingente propter causae secundae contingentiam et ipse contingentiam habet“ (in l. 1. c. G. c. 67.).

Venio ad Rupertum *Holchot* O. Praed., natione Anglum, qui opinionibus Thomistarum recentiorum quam maxime adversatur. Sic ille scribit (in lib. 2. sentent. q. 1. art. 4.): „Deus dicitur aliquid velle dupliciter: uno modo absolute, alio modo ex conditione vel ex quadam conventione cum creatura rationali. Primo modo concurrit ad agendum cum omni natura agente naturaliter voluntarie. Illo etiam modo facit, quidquid facit praecise per se ipsum. Et ideo omne tale est ab eo absolute volitum et ex electione. Secundo modo concurrit Deus voluntarie ad coagendum cum natura rationali libera, cui tales leges statuit, quod quidquid ipsa velit, placet sibi coagere ad illam volitionem; licet non simpliciter placeret sibi agere, sicut per illam volitionem denotatur.“

Caietanus quam fuerit a doctrina recentiorum Thomistarum remotus, distinctio illa demonstrat sententiarum a Scoto propositarum, quas illi amplectuntur: 1. *Causa secunda agit in quantum mota a prima*, et 2. *Causa prima prius naturaliter et simpliciter respicit effectum quam causa posterior.* De priore enuntiato sic loquitur: „Ly *in quantum mota ab alia,* aut ostendit causam praecisam aut concausam. Si praecisam, sic illa propositio implicat in adiecto; si enim causa secunda est causa, ergo non praecise movet, quia mota, sed etiam ex se aliquid confert; et si praecise movet, quia mota, nihil ex se confert et sic non est causa. . . Si

vero concausam, principalem tamen: . . . *motio causae prioris modificatur in causa secunda secundum modum ipsius causae secundae* . . . et *prius natura modificatur quam impellit ad agendum.*" Quae verba quantum displicuissent Bannesio, ante diximus; nec vero, quod ille de altero enuntiato dicit, cum eiusdem opinionibus congruit: „Illa propositio non est sic intelligenda quasi sit aliqua duratio naturae, in cuius primo instanti causa prima respicit effectum et in secundo causa secunda; puerilis enim est hic sensus . . .; sed est intelligenda quoad independentiam et intimitatem; attingit enim prima causa effectum secundae et independentius et intimius quam secunda . . . et propterea dicitur respicere prius." Dixerat paullo ante: „Non oportet cum aliquid [a voluntate eligitur] seu cum sol illuminat, primam causam *praevia motione* cooperari, sed sufficit et exigitur, eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi, et hoc quia cooperatio in unoquoque est secundum naturam uniuscuiusque. . . Unde sive necessario, sive libere cooperatur Deus, nihilominus creata voluntas *libere utitur illa cooperatione.*" (In I. q. 19. art. 8.)

„Stat causam secundam necessario moveri a prima, et cum hoc, *ipsum moveri modificari ex natura causae secundae,* et sic movere causae secundae non provenit ex moveri tantum, sed ex moveri et modo proprio ipsius causae secundae. Ex tali autem modo consurgere potest, quod non necessario movet." (In I. q. 14. a. 13.)

Nec minus ille perspicue docet, voluntatem in solo actu primo determinari a Deo, ad liberum vero actum determinare atque applicare se ipsam (I. II. q. 9. art. 4.). Quo autem modo explicet Deum naturali voluntatis ad bonum affectione movere ad ipsos actus liberos, supra (p. 77) diximus. Denique cum Victoria (v. infra) et Molina affirmat, gratiam habitualem sine actuali ad actus faciles producendos sufficere (in I. II. q. 109. a. 9.), quo nihil magis contrarium doctrinae Bannesianae cogitari potest.

Prorsus similia eodem fere tempore *Conradus Koellin* O. Praed. docuit. Is ne ad primum quidem actum indeliberatum praedeterminationem talem, qualem Bannesiani physicam appellant, requiri censet; ad liberos vero actus omnino a voluntate determinationem proficisci; omnem motionem Divinam, nominatim concursum, in causa naturali pro natura eius modificari; voluntatem illa uti pro arbitrio suo. Vide imprimis Expositionem commentariam in I. II. q. 9. art. 6. et q. 10. art. 4. (Venetiis 1589., p. 94. 99.), ubi sic habet: „Hac [generali Dei influentia et] motione praesupposita, voluntas per innatam libertatem ex indeter-

minatione rationis potest sub ipsa motione Dei se determinare ad hoc vel illud bonum et ex hac ratione incidit peccatum; . . . in actu voluntatis est considerare exercitium, quod est a Deo in ordine ad bonum, et est considerare determinationem ad hoc vel illud bonum, et hoc est ex libertate voluntatis subtrahentis se a lege divina, ratione cuius peccatum accidit. . . Adverte circa ista, quod quia Dei motio (cooperatio praesertim) modificatur in unoquoque et respectu uniuscuiusque secundum modum suum, ideo unumquodque utitur illa cooperatione secundum suum modum; sic enim omnia suaviter disponuntur. Et quia modus voluntatis respectu particularium bonorum sive cooperationum suarum est libere velle et libere velle id vel aliud libertate contradictionis, ideo voluntas cum divina motione concurrit, prout vult et libere.“

Iavellum notissimum illum Ordinis Praedic. theologum omitto; qui sic discrepat a posterioribus, ut Semipelagianus ab iis dicatur. Nec vero illud Aquarii O. Pr. (a. 1586.) praetereundum est: *multos* esse Thomistas qui Iavelli de praedestinatione sententiam sequantur.

Iuvat *Eckium* clarissimum illum defensorem veritatis Catholicae audire de suae aetatis Praedicatoribus loquentem. Defendens praedestinationem *post* praevisa merita, auctoribus allatis S. Bonaventura, Alexandro Halense, Petro Aureolo (Minorita), Henrico Gandavense, Thoma Anglico, Thoma de Argentina (Augustiniano), Gabriele Biel, Bacchone Anglico (Carmelita), Occamo, hoc addit: „Tenuit illam sententiam Udalricus de Argentina, quem ad hoc allegabat egregius et celeber vir Theodoricus de Sustern ex familia S. Dominici, praeceptor noster, dum annis abhinc ferme undecim praedestinationis materiam publice profiteretur, cui etiam illa opinio magis pia et mitior placuit, allegans ad hoc Divi Thomae sententiam in scripto ad Hannibaldum dist. 41. . . . Calculum addit huic opinioni Sylvester de Prierio in additionibus ad Capreolum, licet trepidus ita dicat: Videtur autem mihi mirabile, si in mea potestate est, absolute loquendo, facere quod sim vel non sim praedestinatus, ut concedit Capreolus et verum est, quod non sit etiam in me causa sine qua non praedestinationis, i. e., velle moveri a Deo quoad adultos vel motus alienae fidei quoad parvulos, et similiter causa sine qua non reprobatiotionis, sc. nolle consentire divinae motioni; sed nihil volo asserere. Haec Sylvester. . . Cunradus Wimpina . . . in problematis suis post illam [sententiam Occami] subiungit haec verba: Quae opinio omnibus planior, mihi placidior, nescio si verior.“ (Chrysopassus

praedestinationis. A Ioanne Eckio lecta est subtilis illa praedestinationis materia 1511. Augustae Vindel. 1514.) Fuerunt autem Praedicatores et Udalricus de Argentina et Theodoricus de Sustern et Sylvester de Prierio, Wimpina vero familiari consuetudine Praedicatoribus coniunctus et S. Thomae sectator studiosissimus.

Alios quatuor Praedicatores aequales, magnae auctoritatis viros, afferre liceat. *Matthaeus Orius,* Doctor Parisiensis et inquisitor in Gallia generalis, is, qui S. Ignatium magno studio a calumniis vindicavit, sic scribit: „Contingit et est frequenter eadem vocatio, eadem Divina motio, eadem praedicatio et eadem miraculi operatio, et tamen unus istis trahitur, alius induratur. Nemo enim credit nisi volens, nemo trahitur a Deo invitus.“ Evidens est illum non de solis externis gratiis loqui, sed etiam de internis, de *motione Divina,* qua *trahatur* homo, et tamen eundem id affirmare, quod postea Bañez et negavit et acerrime impugnavit: duorum hominum libere agentium, eadem impellente Divina motione, trahi alterum, alterum non trahi. Alter Dominicanus eiusdem aetatis, *Vincentius Giacharus* (Lugiensis), de gratia efficaci praeparante voluntatem sic scribit: [Praeparatio voluntatis est] „quaedam dispositio, qua Deus liberam voluntatem dono gratuito suae benignitatis ad bene volendum praeparat atque disponit ad suscipiendam gratiam iustificationis: ita quod adhuc libera voluntas in sua libertate relinquitur, ut seipsam ad vocantem Deum moveat vel ab eo resiliat.“ (Opusc. de libero arbitrio et gratia f. 59.) *Dispositionem* igitur eam gratia in voluntate gignit, quae integrum ei relinquat, velitne obsequi gratiae necne. Deum omnes vocare omnesque adiuvare paratum esse, hominisque esse salutem suam operari aut interitum, nec effectum nisi assentiente voluntate consequi gratiam: haec Giacharus gravissime enuntiat; addit Deum suam potentiam committere voluntati et se frustra operam collocasse conqueri: „Dominus . . conqueritur . . se in vacuum et frustra suam fortitudinem ac laborem consumpsisse, eo sc. quia illi vocantem contempserint. . . Potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut iuste voluntas praemium consequatur. . . Ex homine igitur quod peccato suo damnetur provenit et quod ad vocantem Deum libero moveatur arbitrio, ut . . . regnum coelorum assequatur“ (p. 57 a.). „Qua ostenditur neminem invitum trahi ad Deum, sed *tunc tantum, cum* vocatus et praeventus a Deo in benedictionibus dulcedinis trahi credendo libere et amando *voluerit.* Unde Dominus per Ezech. dixit: Immunditia tua execra-

bilis, quia mundare te volui et non es mundata... Debet voluntas praecedere et sic sequitur gratia [habitualis]... Non enim statim homo vocatus ad gratiam salutarem, iustus efficitur, sed *tunc tantum cum liberum* animi *consensum praestiterit*" (p. 59 b). Et haec causa fuit, cur praevisa hac hominis cooperatione Deum praedestinare diceret (p. 66 seqq.).

Nec vero minus graviter idem affirmat alius e Praedicatoribus, illius aequalis, *Bunderius (van der Bunden)* Gandavensis, inquisitor Tornacensis: „Dat Dominus gratuito, ut velimus bonum. Verum quia omnia secundum sibi inditam naturam gubernat, voluntatem, quam liberam condidit, movet quidem, ut libere velit, non autem necessitate compellit, secundum illud Chrysostomi *(Homilia de conversione Pauli):* Deus nolentes non cogit, sed volentes trahit; nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea, quae alioquin efficacia sunt; non quia infirma eius voluntas, sed quia cogere neminem vult. In libertate itaque hominis situm est assentire vel dissentire, parere vel spernere eius motionem, secundum illud Sapientis: Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod voluerit, dabitur illi. Confirmat et hoc Theophylactus super illa: *Multi sunt vocati, pauci vero electi,* dicens: Dei quidem est vocatio; electos autem fieri vel non fieri, nostrum est." (Compendium theolog. controversiarum, tit. de gratia et libero arbitrio, apud Henao n. 446. p. 139.)

Hac Bunderii asseveratione vix quidquam apud Molinam de efficaciae gratiae a voluntate dependentia reperietur posteriori Thomismo magis contrarium. Tanta vero ille, qui obiit suprema senectute, auctoritate fuit, ut de eo Sanderus ita loquatur: „Informes domuit sectas et dira Lutheri — Contudit impavidus dogmata Bunderius." *Stephanus* quoque *Paris* Episcopus, eiusdem religiosae familiae alumnus, eodem modo docet ab hominis consensu pendere efficaciam Divinae providentiae. Is Christi verba ad mulierem Samaritanam in suis sermonibus quadragesimalibus sic explicat: *„Forsitan,"* inquit, *„petiisses,* ut vim libertatis ostendat. Offert ille cuique donum hoc, et pro suo quisque arbitrio oblatum munus aut recipere aut recusare potest." (Christiani hominis institutio adversus huius temporis haereses, auctore Stephano Paris, Ep. Abellon., Parisiis 1552. fol. 71 b.) In eandem sententiam verba Salvatoris ad paralyticum interpretatur: *„Vis,"* inquit, *„sanus fieri?* Sine voluntate tua non erit in te Dei iustitia... Esse potest Dei iustitia sine voluntate tua, in te nonnisi voluntate

tua. . . Facit [Deus te] nescientem, non iustificat nisi volentem. . . Vocat Deus, ad hominem pertinet ex voluntate vocantem audire et illi credere. Sic Dei adiutores sumus, Deus operator et homo cooperator. . . Sic bonum opus nec soli gratiae nec soli libero arbitrio adscribitur, quia neutra res sine altera operatur, sed utraque simul. . . ‚*Vis sanus fieri?* . . . Quantum ad me attinet, volo mundare.‘ Sed, Deo alias volenti adversante ac recusante rebelli ac superba hominis voluntate, non sanatur. *Quotiens,* inquit, *volui congregare pullos tuos sub alas et noluisti?* Nisi dexteram dederit et plane consenserit voluntas, nihil illi dispendii, nihil utilitatis, nihil gratiae adiicitur“ (l. c. fol. 29 b. 30 a).

Hi omnes Praedicatores diversissime animati fuerunt a Thomistis posterioribus. De quibus recte Petrus de Soto: quantum ipse viderit, quicumque contra haereticos scripserint, in eam sententiam convenire, usum bonum gratiae, qui est Deo vocanti obsecundare, nostrae esse liberae voluntatis. Quo auctore quisquis ad recentioris *Thomismi* confirmationem uti voluerit, eundem cum ipso fateri necesse est, *omnes,* qui tum Protestantes oppugnabant, aliter sensisse; fuerunt autem imprimis Praedicatores, qui tum Lutherum aggrederentur. Atque ex hac ipsa re intelligi licet, quantum dissentiant a veteribus Thomistis recentiores. Ad quam rem evidentius demonstrandam alios etiam placet testes audire.

E *Vigerii* Ord. Praed. Institutionibus nonnulla in nostram sententiam afferre licebat, sed spatii angustiis prohibemur. Satis sit igitur tractatum significare *de voluntate humana* (ver. 1. Ed. Par. 1582. p. 77 seq.), ubi etiam atque etiam dicit atque affirmat, opponi libertati *determinationem ad unum* nec nisi in primo actu seu naturali appetitione finis voluntatem a Deo determinari, in ceteris actibus non determinari, sed liberam esse.

Sed occurrit hoc loco nomen celebratissimum *Francisci de Victoria,* scholae Thomistarum Salmanticensis auctoris, e qua schola diversissima ingenia Dominici Bannesii et Francisci Toleti prodierunt. Victoria, ut alii eius socii, amicus fuit S. Ignatii sociorumque eius Parisiensium, ac B. P. Fabrum Ulyssipone Vallisoletum iter facientem summopere hortatus est, ut Salmanticae maneret in eaque urbe domicilium Societatis poneret. Cuius enarrationem S. Thomae evulgatam non esse dolendum est; exstat autem in bibliotheca Vaticana codex manuscriptus (cod. 4630.), in quo dictata illius in primam secundae continentur: „Incipiunt scholia Reverendi admodum Patris fratris Francisci de Victoria in sacra theologia resolutissimi ac in Salmanticensi Universitate Ca-

thedrae primae regentis meritissimi . . . in primam II. S. Thomae. Quae publice professus est in dicta universitate anno ab incarnata Deitate 1539 ad laudem et gloriam omnipotentis Dei ac Reverendissimae V. Mariae. Fr. Hieronymus de los Apostolos.“ Qui codicilli etsi raptim scripti sunt, ut multis locis deprehendere licet, sententiam tamen magni illius magistri facile agnoscas; quare ex ignoto adhuc libro quaedam hic afferre placet.

Victoria libertatis naturam sic explicat: „Habere dominium actuum est, quod homo habet in sua potestate, quando agit, non agere, [et] quando non agit, agere, et agere taliter vel taliter,... et iste est modus peculiaris agendi humanus, quo differt a brutis. — 2° noto et suppono, scilicet quod voluntas ratione finis habet naturalem inclinationem, et ideo movetur ad ipsum finem a dante inclinationem, puta a Deo, quia Deus concessit ei talem inclinationem, . . . sed ad media non habet hanc naturalem inclinationem, et ideo media eligit ipsa voluntas libere. . . Et probatur, quia homo non moveat se ad volitionem finis, quia id quod est in potentia reducitur in actum ab aliquo quod est in actu. Sed voluntas est in potentia, antequam velit finem, ad volendum finem; ergo movetur in actum; non videtur a quo nisi a Deo. Ergo. Et haec maxima, puta quod id, quod est in potentia, movetur in actum, est philosophi 12. metaphys. et 3. phys.: Omne, quod movetur, ab alio movetur. Sed si quis instet contra hoc, quia ex hac ratione etiam probatur, quod voluntas movetur ad volendum medium ab alio, quia antequam voluntas movetur [ad volendum] medium, est in potentia; ergo debet moveri ad actum ab extrinseco, puta a Deo, sed hoc est contra S. Thomam dicentem, quod voluntas ad finem movetur ab extrinseco: respondeo, concedendo quod voluntas movet se ad medium, sed non ipsa voluntas sola et nuda, sed voluntas cum volitione finis. Et hoc non est inconveniens, scilicet quod ipsum agens cum aliquo actu superaddito moveat se. Unde antequam voluntas velit finem est in pura potentia, quia non habet actum, a quo moveatur, quia primus actus voluntatis est circa finem; ideo oportet, quod voluntas moveatur ab aliquo extrinseco (q. I. art. 1. fol. 2 seq.). Restat dubium circa rationem S. Thomae, ubi dicit, quod agens non potest movere nisi determinate ex intentione finis; sequeretur [enim] quod inanimata nunquam moverent. Probatur: ad hoc quod ignis e. g. calefaciat, non solum requiritur, quod sit determinatus ad effectum producendum huius speciei, puta ignem; sed quod sit determinatus ad hunc effectum numero, quia actiones

sunt rationis singularis; ut si artifex [se] determinaret facere domum et non se determinaret facere hanc, nunquam inciperet operari; ignis vero, licet determinaretur ad effectum huius speciei, est tamen indifferens ad hunc vel illum. Moderni dicunt, quod determinaretur a prima causa; sed hoc est ponere miraculum; scilicet, quod causa prima sine causa particulari aliquid faciat;... Ideo nos dicimus, quod sicut ex natura specifica formae determinatur ad effectum talis speciei, ita ex numerica applicatione in hoc loco et hoc tempore determinatur ad hunc numero effectum (q. I. art. 2. fol. 7.).

Q. II. art. 4. *Utrum voluntas moveatur ab aliquo movente extrinseco.*

S. Thomas respondet per duas quaestiones.

1. q. Ad volendum media voluntas non movetur ab aliquo exteriori movente. Patet quia articulo praecedente dictum est, quod voluntas movet se quantum ad exercitium ad volendum media; ergo non movetur ad volendum vel nolendum ab aliquo extrinseco motore. 2. q. Ad volitionem finis voluntas movetur ab aliquo extrinseco principio, hoc est a Deo sive a dante naturam. Patet, quia id quod prius est in potentia et postea in actu, oportet, quod reducatur ad actum ab aliquo extrinseco, quod sit in actu. . . Voluntas nuda est in potentia ad volendum finem; postea est in actu, quia actu vult finem. Ergo reduci debet ad volitionem finis ab aliquo, quod est in actu, puta a Deo.

Quantum ad istos duos modos haec colliguntur. Primum quod quantum ad specificationem, voluntas movetur ab intellectu, de quo visum est art. 1. q. II. Secundum, quod colligitur, est, quod voluntas movet se quantum ad exercitium ad volendum media. *Et in hoc omnes doctores tam antiqui quam moderni* [conveniunt]. Patet hoc, quia praesentato obiecto et cognito, in facultate voluntatis est amare vel non amare. Ergo ipsa est, quae movet se quoad exercitium. Nec obstat, si quis arguit: voluntas movetur ad volitionem medii ab aliquo extrinseco, puta a volitione finis, ut S. Thomas in l. 3. sententiarum, quia respondeo, quod verum est, quod movetur voluntas ad volitionem medii ex volitione finis, quia ista volitio finis etiam est actus voluntatis. Ergo non est inconveniens, quod voluntas movetur ad unum actum per alium actum voluntatis. Secundum [vel potius tertium] quod colligitur est, quod voluntas non movet se ad volendum finem, sed [movetur] ab aliquo extrinseco puta a Deo (Fol. 76.).

Q. IX. art. 6. *Utrum voluntas moveatur a solo Deo tamquam ab exteriori principio.*

S. Thomas respondet duabus quaestionibus:

1. q. A nulla creatura movetur voluntas quoad exercitium... Et probatur q. Voluntas, quod appetit, appetit natura; ergo a principio intrinseco appetit . . . ergo non movetur ab aliqua creatura. Probatur sententia, quia quando ad aliquam operationem concurrit ipsa potentia effective: non dicendum est, quod movetur ab aliquo extrinseco principio nisi a solo generante, ut lapis movetur deorsum a seipso, sed lapidem ad motum deorsum movet Deus, qui concessit lapidi talem inclinationem. In proposito voluntas concurrit effective ad suas operationes; ergo non concurrit ad illam movendam nisi solus Deus, dans voluntati inclinationem.

2. q. Voluntas movetur ab exteriori principio, h. e. a solo Deo . . . Quantum ad secundam q. nullum est dubium. Et pro illa facit illud Philipp. 2: Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere. Ergo. Et exponendum est, quia habemus bonas inspirationes, quum convertimur in bona et retrahimur a malis. Ergo. Et advertendum est praeterea unum, quod tetigit S. Thomas solutione ad 3., scilicet, quod duobus modis movet Deus voluntatem, uno quia dedit voluntati inclinationem ad bona. Et hoc modo movet Deus ad inclinationem finis, ut dictum est articulo praecedenti. Secundo modo movet Deus voluntatem supernaturaliter, puta, quando movet Deus voluntatem ad certum actum. Dubium tamen est, utrum moveat Deus aequaliter omnes voluntates his duobus modis. Respondeo, quod quantum ad secundum motum supernaturalem, Deus non movet aequaliter omnes voluntates, quia uno tempore habet unus homo unam inspirationem bonam, quam alius pro illo tempore non habet. Et ita certum est, quod Paulum et latronem inspiravit, [sicut] non omnes alios peccatores moveret. Ergo. Sed de primo modo est maius dubium, an moveat Deus aequaliter omnes voluntates, dando illis aequales inclinationes ad bona. Et Scotus q. 2. in quodlib. dicit, quod sic, scilicet quod si est disparitas in inclinationibus hominum, hoc est propter inclinationes corporis, quae non sunt aequales; sed inclinationes voluntatis omnes habent aequales. Et pro hac sententia Scoti, quae *communis* est, sufficit una ratio, scilicet voluntates omnes sunt unius speciei, sicut animae in quibus subsistunt.

Q. CIX. art. 1. S. Thomas supponit, quod omnes causae

inferiores dependent in suis operationibus a causis superioribus; 2° supponit, quod cum Deus sit causa superior, dat duplicem concursum vel auxilium: alterum est generale, quo concurrit Deus cum omnibus entibus naturalibus ad omnes actus naturales; alterum et secundum auxilium est speciale supernaturale, quo concurrit Deus cum agentibus ad supernaturalia. . . Deus concurrit cum homine in duobus, 1. dando virtutem ad operandum, ut quando te creans concessit tibi virtutem operativam, ut voluntatem, intellectum; 2. concurrit incitando et movendo hominem, et hic secundus est concursus de quo loquimur. (Fol. 270.)

S. Thomas tenet, quod in quacumque actione creaturae concurrit Deus immediate, sicque, cum creatura agit, et Deus agit, licet Durandus in 2. dist. 2. q. 3. teneat oppositum, seu quod Deus non concurrit immediate cum creatura, sed solum concurrit [dando] intellectum et voluntatem. (Fol. 291 b.)

Q. CIX. art. 2. *Utrum homo possit velle et facere bonum absque gratia.* S. Thomas: In statu naturae lapsae vel corruptae aliquod bonum naturale et morale potest homo velle et facere sine gratia Dei. Oppositum tenet Gregorius et Capreolus. Sed nos ponimus . . ., quod bene potest facere actum bonum moralem solo concursu generali Dei. Et probatur haec sententia S. Thomae et communis. Nam potest homo ex suis naturalibus velle dare eleemosynam. (Fol. 291.)

Q. CIX. art. 6. *Utrum homo possit seipsum ad gratiam praeparare absque exteriore auxilio gratiae.*

Modo ad argumenta in oppositum [venio]. Ad primum respondeo, quia verum est quod facienti quod in se est datur gratia. . . Auxilium Dei est prius in genere causae efficientis quam homo facit quod in se; tamen in genere causae materialis sive disponentis est prior operatio hominis quam auxilium speciale Dei, ut apertio fenestrae est prius lumine in genere causae materialis. Hoc idem dici solet de contritione in via S. Thomae, quia in genere causae materialis prior est contritio quam gratia, sed in genere causae finalis vel efficientis prius est gratia. (Fol. 295.)

Q. CIX. art. 7. *Utrum qui est in gratia habituali indigeat novo auxilio ad bene vivendum.* S. Thomas dicit, quod dupliciter indiget auxilio, uno ut opera eius sint meritoria, et tunc est prima quaestio: quod ad hoc qui habet gratiam non indiget alio auxilio. Alio indiget auxilio ut moveatur a Deo ad bene vivendum; et tunc est 2. quaestio: qui est in gratia gratum faciente, indiget

auxilio Dei moventis ad bene agendum. Dubitatur, an ad singula opera bona indigeat, qui est in gratia, auxilio speciali, quia ita intelligunt Capreolus et alii et Gregorius. Ego dico, quod dato [i. e. quamvis] S. Thomas mihi dixisset, non crederem; [sed non dixit;] quia S. Thomas non quaerit, an ad singula opera moralia bona indigeamus auxilio, sed ad bene vivendum an indigeat homo speciali alio auxilio praeter gratiam [habitualem]. Et sic respondet S. Thomas, quod homo sine auxilio non potest vitare semper peccata, dato [i. e. quamvis] sit in gratia, quia gratia non restituit nos in statu iustitiae originalis, sed solum facit nos amicos Dei. [V. supra p. 112.]

Q. CXI. art. 2 [de gratia operante et cooperante]. Respondeo quod S. Thomas et Augustinus non vocant concurrere elicere actum, sed movere, et voluntas non se movet respectu primi actus, sed movetur, etiamsi eliciat actum illum, ut diximus supra q. IX. Sic lapis descendens non se movet, sed movetur a generante, et voluntas respectu primi actus. Sed voluntas applicat manus et alia membra ad opus; ideo dicitur [gratia] cooperans respectu actus exterioris. Unde sequitur quod etiam ratione alicuius actus interioris [voluntas] se movet, et auxilium Dei ad illum dicitur etiam cooperans, sic quando voluntas [se] movet ad orationem et meditationem, et S. Thomas intelligit [gratiam operantem] de auxilio ad intentionem finis. (Fol. 300.)

Q. CXII. art. 2. Nota quod tunc confertur gratia [habitualis] per dispositionem, quando confertur per conversionem in Deum; et tum confertur per conversionem, quando confertur per modum libertatis, sicque infusio gratiae dependet ex libertate mea, quia Deus movet nos libere, quia possumus resistere illi motui Dei, et hoc est, quod dispositio procedat in genere causae materialis, quia dependet collatio [gratiae] ex libertate mea."

Hos locos ideo copiose exscripsimus, quod praeclarum specimen offerunt illius, cuius tanta in hac quaestione auctoritas est, doctrinae scholae Thomistarum Salmanticensis. Ergo Deus naturas omnes, quas creavit atque conservat, ad actus proprios movet. Quae motio generalis a naturis creatis et recipitur et sic, ut est cuiusque proprietas et conditio, modificatur ac determinatur; recusat autem ille ac negat illam opinionem, semper ipsius Dei motione actionem creatam determinari. Voluntatis natura quum in bonum dirigatur, in bonum Deus eam impellit. Praeter

hanc autem motionem naturalem omnibus communem, Deus inspirationibus supernaturalibus voluntatem ad bona singularia movet; ad quae tamen consequenda se ipsa voluntas vi motus a Deo recepti libera deliberatione determinat. Nam bonum habet rationem finis et ab appetendo fine omnis actio voluntatis orditur; ita a Deo primo actu impellitur in finem, sed ad adiumenta finis consequendi, nullo addito novo Dei impulsu, sese ipsa movet. Quam communem esse et veterum et recentiorum theologorum omnium sententiam Victoria affirmat. Porro quod voluntas non potest agere aliter nisi vi inclinationis naturalis impulsa, quae a solo Deo cietur, idcirco omnem voluntatis actum Deus adiuvat, eiusque actio cooperante iam voluntate concursus appellatur. Neque Deus quadam naturali necessitate, sed sciens ac volens suam opem ad actum confert. Vox autem concursus duos dicit communiter agentes, ergo ubi concursus est, esse non potest, ut non agat voluntas. Virtus impellens Dei motio est, voluntas *causa materialis* receptum motum varians sive modificans. Unde intelligi licet, quae ratio, Victoriae sententia, intercedat inter utrumque: motio Divina ut causa efficiens antevertit voluntatem, quae nisi illius virtute fulta actum elicere non possit; sed voluntas prior est ut causa materialis, motum impressum pro arbitrio suo ad certum actum accommodans; quemadmodum etiam Caietanus motionem Divinam *prius natura modificari dicit, quam ad actum impellat.* Potior tamen causa efficiens est, conferens voluntati virtutem, qua illam ipsam motionem modificet; ita fit, ut concursus Divinus a Victoria *causa praevia* simpliciter appelletur. Tenendum est etiam, quum voluntas arbitratu suo variet impulsum Divinum, id nequaquam nesciente ac nolente Deo fieri. Immo vero ipse Victoria monet, quoties Deus adiuvet actum, *velle* eum adiuvare, quum illum futurum esse videat; vult autem vel ipsum honestum actum efficere, vel peccatum non impedire. Ita intelligitur, quare Victoria et gravissime affirmet, concursum Divinum, efficientem actum humanum, esse *praevium,* nunquam vero concursum fieri, quin actus consequatur, et vicissim doceat, eo praesente et agere posse et non agere voluntatem, atque adeo concursum Divinum in eius esse potestate, quia, si ipsa agere velit, Deus adiuvet, sin nolit, Deus nihil agat. Quamobrem similem esse rationem concursus praevii et actus liberi, atque praedictionis et actus liberi. Non enim, quod praedicta sit negatio Petri, ideo vel negandi vel confitendi sublatam ei esse potestatem; immo quia negaverit, ideo id potuisse praedici; si non negavisset, non

futurum fuisse, ut praediceretur. Atque ex his, quae hactenus dixi, intelligetur, qua ratione Victoria concursum Divinum cum libertate humana conciliandum putet (I. II. q. 10. a. 4.): „Quando Deus generaliter concurrit cum aliqua re, iste concursus est actio Dei, ergo Deus aliquid agit, ergo est impossibile, quod ille concursus sit in igne et quod ignis non agit. . . Nunquam concurrit Deus cum igne, nisi Deus velit ignem calefacere; sed est impossibile quod Deus velit ignem calefacere quin ignis calefaciat, quia alias voluntas Dei frustraretur; ergo nequaquam est possibile, quod Deus concurrat, quin ipsa voluntas agat. . . Ad agendum praesupponitur [concursus Dei], ergo est praevius. Patet quod praesupponitur, quia aliter voluntas non potest agere. Praeterea probatur, quia concursus Dei sit prius natura, quia est causa quod voluntas agat; ergo est prius natura; sententia nota est, quia omnis causa est prius natura suo causato. Probatur antecedens, quia concursus Dei movet voluntatem, ut agat per suum concursum. Ergo est causa quod voluntas velit. . . Supponendum est principium dialecticum, scilicet quod cum propositione affirmativa de inesse bene compatitur propositio modalis divisa de possibilitate, cuius copula negatur, ut cum ista propositione: Petrus amat, stat haec modalis divisa: Petrus potest non amare. . . Et per hoc ad argumentum commune: Posito concursu Dei voluntas non potest non agere, respondeo facile. Primo dico quod posito isto concursu possum habere amorem Petri et non habere amorem, quia modalis divisa non repugnat alteri de inesse. . . Et eodem modo argumentum commune solvitur: ponatur quod Deus revelet mihi antichristum fore, tunc cum ista [propositione] de inesse: Deus revelat, stat haec modalis: antichristus potest non fore. . . Quando Deus concurrit generaliter cum creatura, habet istam volitionem: volo quod creatura agat vel voluntas amet. . . Quando creatura est ex natura sua libera, ut voluntas, cum illa volitione divina (scilicet volo quod creatura agat) potest voluntas non agere; sed quando creatura est agens naturale, cum illa volitione Dei non potest non agere. Ex quo infero quod in potestate voluntatis est quod Deus concurrit cum illa vel non; patet, quia in potestate voluntatis est habere amorem vel non habere; si voluntas habet amorem, Deus concurrit cum ea; si vero non habet, Deus non concurrit cum ea. Et ad hoc datur simile ex materia futurorum contingentium. Revelavit Deus Petro: *ter me negabis,* et tamen fuit in potestate Petri post illam revelationem, quod Deus nunquam revelasset, quia in potestate Petri erat non negare

Christum. Ultra non negabit, ergo Deus non revelavit; patet, nam dato opposito Christus mentitus est. Et ideo pro hoc facit regula, quod quando propositio de praeterito pendet ex futuro contingenti, praeteritum est contingens sicut futurum; v. g. Deus revelavit Petrum negaturum; *revelavit* dependet ex illo, *ter me negabis.*"

In alio exemplo lectionum Victoriae vel Patris Gil, qui vices eius aliquando gessit, quod Salamanticae asservatur, in extremo scholio quodam ad I. q. 105. a. 5. haec verba reperiuntur: „Si causa secunda non concurreret, dato Deus poneret istum concursum generalem, non fieret effectus."

Universa igitur Victoriae doctrina si spectatur, prorsus contraria invenitur Bannesii opinionibus, qui id negaverit, quod ille ab omnibus et veteribus et recentioribus theologis doceri affirmat. Sed quaedam apud eum sunt, quae si separata a ceteris accipiuntur, ad ipsam Bannesii doctrinam deducunt. Summopere igitur interfuit ad historiae dogmatisque rationem in ea quaestione, quam agimus, declarandam, ut principis illius scholae doctrina exponeretur.

Oratores et theologos O. Pr. in Concilio Tridentino cum nostra doctrina consensisse, postea demonstrabitur, quare statim ad *Aquarium,* Capreoli editorem, O. Pr., transeamus. Is in Annotationibus ad Capreolum scriptoribus omnibus Thomistis anno 1580. superioribus utitur; sit igitur hic testis ultimus e S. Thomae schola Bannesii opinionibus nondum permutata. Difficillima omnium censet esse mysteria praescientiae et praedestinationis. Praescientiae explicationes primum eas affert, quas *falsas* putat, in his eam, quam Bannesiani postea proponebant: *Deum actus creaturarum liberos in suae voluntatis determinationibus cognoscere;* dein ipse S. Thomae sententiam amplectitur, eiusmodi actus in causis cognosci non posse, sed ita cognosci, ut praesentes sint aeternitati. Ad conciliandam praedestinationis infallibilitatem cum libertate humana eam solam, quam supra (p. 79.) commemoravimus, S. Thomae explicationem probat, a qua, si constanter ratiocinari voluerimus, ad Molinae sententiam deducemur (Matthiae Aquarii Annotationes super 4 libros sententiarum Ioannis Capreoli, Venetiis 1589. I. dist. 38. conclusio VI. p. 76. et dist. 39. conclusio IX. p. 81.). Impugnat etiam illam Gregorii Arimensis et Capreoli opinionem, speciale ad singulos actus bonos auxilium Dei requiri: *Relinquendus est Capreolus in hac parte tamquam devius a doctrina S. Thomae;* deinde Aquarius quosdam

etiam Lovanienses doctores (Baium et Hesselium) dicit eandem opinionem clarissimis theologis et superioribus et aequalibus non probatam amplexos esse. (I. dist. 28. concl. V. p. 60.)

Atque haec ea doctrina est, quae in omni *vetere* schola Thomistica tamquam per manus tradita perseveravit. Concludamus his Albertini O. Pr. verbis: „Abhorrebant [ante enatas cum Iesuitis controversias] Ordines celeberrimi [S. Dominici et S. Francisci], a quibus universitates et cathedrae fere omnes regebantur, a decretis *antecedentibus et praedeterminantibus*... Quid igitur? Aut veteres Thomistae Sancti Magistri sui doctrinam non intellexerunt aut eam nuperi non intelligunt. Ceterum rivuli, quo propius ad fontem accedunt, eo puriorem aquam deferunt." (In acroases theol. scholia, Venet. 1808. p. 49. 51.)

Ceterae scholae multis sententiis a Thomistica dissentientes in hac ei consenserunt. Scholae Augustinianae princeps Aegidius Colonna in qua opinione fuisset, supra explicatum est. Alium eiusdem Ordinis theologum gravissimae auctoritatis, Gregorium Ariminensem, a se discrepare Bañez fateri non dubitat. Thomas autem de Argentina, eiusdem scholae insignis theologus, praedestinationem *post* praevisa merita docuit, itemque Ordinis Servorum B. M. V. theologus clarissimus Henricus (Goethals) Gandavensis, et Seraphici Ordinis magna illa lumina: Alexander Halensis, S. Bonaventura, Petrus Aureolus. Est autem haec sententia certum indicium, quo facillime demonstres, aliquem theologum a Bannesio longissime dissidere; nam etsi praedestinatio *ante* praevisa merita a nobis defendi commode possit, a praedestinatione *post* praevisa merita Bannesii doctrina quam maxime aliena est. Nominalium plerique quid docuerint, ex adversariorum accusatione, falsa illa quidem, Molinam Nominales secutum esse, satis intelligitur. De Scoto tamen quaedam notanda sunt.

Quodsi S. Thomas planissime docet, voluntatem a Deo ad liberos actus non determinari, *Scotus* contra sensisse videri potest. Dicit enim: „Contra naturam voluntatis est determinari a causa inferiori ... non est autem contra naturam eius determinari a causa superiori." (In IV. d. 49. q. 6. § *Dico ergo.*) Explicans autem, qua ratione Deus liberos actus praevideat: „Intellectus divinus," inquit, „aut offert simplicia, quorum unio est contingens in re, aut si offert complexionem, offert eam sicut neutram, et voluntas eligens unam partem, sc. coniunctionem istorum pro aliquo *nunc* in re, facit illud determinate esse verum, hoc erit pro A; hoc autem existente determinate vero, essentia est ratio in-

tellectui divino intelligendi istud verum."[1] Videt igitur Deus actus libere futuros, quia ipsius voluntas eorum veritatem et, ut in editione significata interpretes dicunt, futuritionem determinat, sive, ut Gabrielis Biel verbis utar, quia Divina voluntas res contingentes determinat[2]. Peccatorum quoque praevisionem Divinam Scotus e concursu Dei vel praestito vel negato explicat[3]. Denique illud affert, in quo distinguendo laborat Caietanus: causa secunda movet, in quantum mota a prima[4].

Qui loci si considerantur seiuncti a ceteris, videri ille omnino potest fundamentum iecisse doctrinae de praedeterminationibus, arguitque Molina Bannesium, quod illinc sententiam suam mutuatus sit; Alvarez quoque[5] magistri sui opinionem Scoti auctoritate confirmat et Rada O. S. Franc. idem utrumque sentire studet demonstrare[6]. Contra doctissimi Scoti editores[7] alios significant locos, ubi ille voluntatem negat a Deo sine ipsius consensu atque electione praedeterminari. Utrosque locos scientia media adhibita conciliant, ut ille, quamquam aliquando ad praedeterminationes Bannesianorum accedere videatur et quidam discipuli eius ad occasionalismum progressi sint, re tamen vera aliter ac Bannesius sensisse dicatur. Quod idem Ruiz[8] censet ac demonstrat.

Quaestionem concludimus Caietani verbis, quae in enarratione celeberrima S. Thomae, quam S. Pius Papa huius operibus annexuit, de hac ipsa controversia atque conciliatione contingentiae creaturarum libertatisque cum Divinarum actionum certa efficacia scripsit: „Ad hanc," inquit, „dubitationem *nihil scriptum reperi in S. Thoma*, quoniam nullibi eum movisse hanc recolo, sed semper studuit ad salvandam contingentiam. In aliis quoque doctoribus nihil hactenus comperi ad quaestionem istam, nisi quae communiter dicuntur de sensu composito et diviso, de necessitate

[1] Lib. I. Quaestion. dist. 39. q. 5. n. 23. ed. Lugd. 1639. t. V. p. II. pag. 1307.

[2] Quod voluntas divina prius natura determinat contingentia quam intellectus divinus intelligat, illa esse futura.

[3] L. c. d. 41. q. unica n. 13. p. 1341.

[4] In dist. 39. q. 5. n. 12. p. 1296. V. supra p. 111. et 112.

[5] Disp. 22. n. 11.

[6] Controversiae inter S. Thomam et Scotum, Coloniae 1620. I. 503., et alibi.

[7] Ed. Lugdun. tom. V. p. II. pag. 1307.

[8] De scientia, disp. 49. sect. 7.

consequentiae et consequentis, de libertate electionis divinae in aeternitate, deque natura causarum ad utrumlibet in universo inventarum. Sed haec omnia, ut ex dictis patet, intellectum non quietant." (In I. q. 22. art. 4. ad 1.) Quae quum ita sint, et veritati nos et tantarum scholarum honori consulere videmur, quum negamus aut Augustinum aut Thomam aut omnino scholasticos antiquiores de ipsa controversia, quam agitamus, quaesivisse aut sententiam pronuntiasse; nec aliter tantam utriusque scholae altercationem oriri potuisse arbitramur.

Praepararunt omnino medii aevi theologi huius quaestionis enodationem, quum libertatis et gratiae notionem ac dogma explicatius tradiderunt. Quorum *communi* doctrinae pauci adversabantur de libertate arbitrii detrahentes. In quibus fuit Bradwardinus Cantuariensis Archiepiscopus († 1349) in libro „De causa Dei contra Pelagianos", quem postea Protestantes (Londini 1616) renovarunt. Quorundam mentionem facit Waldensis Carmelita in laudatissimo contra Wicleffium opere; *magnos viros appellat, non mediocri auctoritate nec parum versatos in Scripturis*, quorum aliquot non ita pridem scripserint[1]. Iam vero ad eos confutandos *summus ille quinti decimi aevi defensor Catholicae doctrinae*, ut eum ipsi vocant Protestantes[2], haec disserit: omnem necessitatem extrinsecus allatam sive *a Deo* sive a re ulla creata, quae nostram minuat potestatem, tollere libertatem. Quam deinde necessitatem ita describit: „Quodsi dicas non necessitari necessitate coactionis: certe si necessitantur ita, ut motum suum *cohibere non possint,* a coacto non distant. *Quinimmo* nisi quis *in plena potestate habuerit se cohibere, si velit,* Augustino videtur quod cogitur, vel si non cogitur, eius esse potestatis" (c. 28. n. 6. p. 154.).

Quibus verbis Waldensis simul et Iansenistas et Bannesianos, qui fere duobus post saeculis venerunt, refutat; Iansenistas, quum dicit, voluntatem *non necessitari,* sed *motum suum cohibere posse;* Bannesianos, quum docet, voluntatem non solum motum cohibere *posse,* sed etiam *in plena potestate habere* id actu facere; si enim *plus* est *in plena potestate habere se cohibere,* quam *motum suum cohibere posse,* illud certe significat, etiam accepta Divina motione, fieri posse, ut voluntas pro lubitu suo potestate se cohibendi actu

---

[1] Doctrinale antiquitatum fidei catholicae Eccl., ed. Venet. 1757. p. 138. et 152. l. I. c. 25. n. 5. c. 26. n. 8.

[2] Ut Morley vocat eum Prince of controversialists in the XV. century. (A first sketsch of English literature I. 182.)

utatur. Repugnat igitur praedeterminatio, si Waldensis sequemur rationem, libertati. Praeterea idem *unam* hanc esse dicit SS. Patrum sententiam: *Ideo hoc praescit Deus, quia futurum est* (c. 29. n. 5. p. 158.); itaque „praevisionis vel praescientiae *totam* esse *rationem infallibilitatis* certam futuritionem contingentis, *non quidem causaliter,* sed *obiective*“ (c. 26. n. 7. p. 144.). Hanc reddens rationem, qui de ipsa controversia nondum proposita non pronuntiavit, acute tamen et definite indicavit, quomodo esset ex scholae veteris rationibus dirimenda. Id enim ipsum, quod ille affirmat, Bannesiani negant.

5. Quomodo prolusum sit huic controversiae in Concilio Tridentino.

Serry [1] inchoatam esse dicit hanc disceptationem in Concilio Tridentino. Cui assentimur, alio quidem usi argumento. Sed audiatur prior. — Ioannem Grimani Aquileiae Patriarcham ob epistolam de praedestinatione anno 1549. scriptam de errore insimulatum in Tridentino haeresis esse absolutum refert. Recte id quidem, nec vero ille sua explicatione veritatis omnibus Romanae inquisitionis theologis satisfacere potuerat. Summopere autem Peretti O. S. Franc., qui fuit Sixtus V. postea Pontifex, offensus erat; qui illi pallium nondum acceptum dare recusavit et in perpetuum negavit. Ante significavimus, non esse hanc de ipsa praedestinatione controversiam. Nihil igitur illud argumentum doctrinae Molinistarum adversatur, cui severissima de praedestinatione sententia accommodari possit. Animum autem significat atque aperit Sixti V., ut facilius, quid in disputationibus illis Lovaniensibus egerit, explices.

Aliquod tamen exordium huius disceptationis usque a Tridentino repetere licet; rem minute exponi non posse dolendum est; quae constant, referemus.

Supra strictim commemoravimus, aliquot theologos in contrariam communi scholasticorum sententiam discessisse. Similis orta est dissensio in consultationibus theologorum Tridentinorum anno 1546. mense Iunio, quum Augustiniani duo, unus Servita, Laurentius Mazocchius, unus P. Dominicanus, Gregorius Senensis,

[1] Scripsit Hyacinthus Serry O. S. Dom. Historiam Congregationum de auxiliis, quae revisa a Quesnello Iansenianorum principe et edita est anno 1700., falso addito nomine Augustino le Blanc falsoque originis loco (Lovanii pro Bruxellis). De quo saepe nobis incidet mentio, dum de dogmatis explicatione ad historiae rationem quaerere pergemus, apparebitque quam non sit ille fidus testis atque certus. Sed de Grimani Praef. 5. 13. p. XLIV. ed. 2. Antverp. 1709. loquitur. De eadem re Pallavicino agit in Hist. Concil. Trid. l. 22. c. 11.

contra ceterorum consensum nihil agere voluntatem recipientem gratiam defenderunt, ac de fidei quoque in operanda salute efficacia altero etiam P. Praedicatore accedente a ceterorum sententia discesserunt. Quae opinio pro *„minus catholica“* amandata est. Narrat etiam celeberrimus ille Dominicus de Soto O. S. D. in eo libro, quem post ipsam VI. Concilii sessionem edidit (de natura et gratia l. 1. c. 15.) contradixisse se theologis coram se affirmantibus, Deum vi quadam ita trahere nos ac propellere, ut, dum converteremur, non agere, sed duntaxat recipere videremur. Massarellii commentarii a Theinero editi summatim eam disputationem attingunt nec nominant, qui theologi contra quattuor illos dixerint, aut quid illi attulerint, quo demonstrarent, voluntatem liberam in iustificatione non agere quidquam, sed recipere [1]. Sed alii succedunt testes, aliquid amplius de illa disceptatione referentes.

Sarpius [2] privatam inter Praedicatores contentionem exortam esse dicit; Sotum contendisse [3], „etsi consequi homo gratiam sine auxilio praeveniente non posset, in ipsius tamen potestate esse id auxilium recusare atque abiicere; quod si reciperet, ipsum voluisse et consensisse necesse esse; noster enim consensus nisi necessario requireretur, non esse cur non omnes converterentur; Deum quidem certe, ut esset in Apocal. 3, 20., quotidie pulsare ianuam; Patres quoque docere volentibus omnibus gratiam conferri; nec minus in S. Scriptura significari nostro opus esse consensu. Aliter qui sentiret, eum evertere libertatem arbitrii et dicere vim inferri a Deo nostrae voluntati.“ Respondisse Ludovicum Catanensem auctore usum S. Thoma: „Duplici genere gratiarum a Deo praeveniri voluntatem, sufficienti et efficaci; alteri vel obsequi posse vel resistere voluntatem, alteri non item; pugnantia enim esse: efficaci gratiae resisti.“ Cur non omnes converterentur, hanc reddidisse rationem: „quod gratia praeveniens non esset in omnibus *efficax*.“ Fieri posse, ut Deus efficaci gratia eum converteret, qui sufficienti ante restitisset; efficaci quidem non posse resisti, quippe quae id ipsum efficeret, ut voluntas volens libensque obsequeretur. Sotum respondisse: „Nullam per

---

[1] Theiner, Acta authentica SS. Oecumenici Conc. Trid. I. 160 ss. Pallavicini l. 8. c. 4.

[2] Istoria del Concilio di Trento, l. 2. c. 7.

[3] Cuiusmodi sententiam ipse Sotus *De natura et gratia*, quem librum post ipsam VI. sessionem edidit, profitetur, ut proximo capite videbimus.

se Dei motionem sufficere; eam demum, cui voluntas consensisset, hoc consensu fieri efficacem; qui si deesset, effectu carere, non quod Divina virtus, sed quod humana deficeret.“ Addit Sarpius, Sotum causam sic impugnatam obtinuisse. Quae res si ita se habuit, controversia Thomistarum et Molinistarum in Concilio Tridentino excitata est, et princeps theologus atque orator Ordinis S. Dom., Dominicus Sotus, defendit Molinismum atque pervicit.

Et quamquam incertissima est Sarpii et in historia et in theologia auctoritas, ubi tamen pro inimicissimis Iesuitis testimonium dicit, Sotum autem ea defendentem inducit, quae ille se propugnasse ipse testatur, denique alios testes non contemnendos habet sibi consentientes: recusandus non videtur. Confirmationem statim adiungimus.

Ioannes a Bononia, doctor Lovaniensis, in libro ante Concilii Tridentini conclusionem anno 1555. edito, quum resisti posse gratiae dixisset [1], ita pergit: „Ceterum, quia non desunt modo homines, quamvis omni pietate praediti, aliter de libero hominis assensu, dum iustificamur, quam nos, sentientes ac ideo huius oecumenici Concilii clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur, dum dicunt, habere hominem libertatem arbitrii, ut excitationi admonitionique resistere *possit*, sed his divinis inspirationibus nunquam *resisti*.“ Cur *obscurari* dicat clarissimam Concilii doctrinam, rationem affert, quod ipsis verbis Nuntii apostolici, Hieronymi [Mozarelli] de Bononia, qui idem fuit Archiepiscopus Compsianus et s. palatii magister, didicerit, hanc sententiam [quam postea Thomistae amplexi sunt] a Patribus Concilii Tridentini diligentissime examinatam pro minus probabili reiectam esse. Quod testimonium summae est auctoritatis, quum testis fuerit religiosus Ordinis Praedicatorum, et a S. Sede et a suis in altissimum honoris fastigium evectus, ac testimonium brevi post illam Tridentini sessionem dederit.

Porro P. Mannhart [2] ad acta provocat Concilii Tridentini, quae in arce S. Angeli asserventur, e quibus Bellarminus haec in libellum Summo Pontifici tradendum retulerit: „In actis Concilii, quae habentur in arce S. Angeli, refertur, quod quum in disputatione theologorum, quae habebatur ante sessionem sextam, duo religiosi protulissent sententiam istam de praedeterminatione liberi arbitrii, fuit male acceptum a ceteris ideo, quod non vide-

[1] De aeterna Dei praedestinatione et reprobatione, Lovanii 1555. p. 103.
[2] De ingenua indole gratiae efficacis, in Zaccariae thesauro V. 584.

retur valde Catholicum, et propterea decretum formatum est iuxta communem aliorum sententiam.“

Cardinalis autem Perronius, quum ab ipso Paulo V. iussus acta Tridentina diligenti studio pertractasset, in eam se venisse sententiam in extrema sessione Congregationis de Auxiliis [1] pronuntiavit: Calvinum illam opinionem de praedeterminatione *in sensu supposito* docuisse, Patres vero Concilii eandem *in sensu supposito* condemnasse, quum definirent, hominem gratiam posse abiicere. Quod tamen nimium est; si enim Concilium eam quam postea Bannesiani sunt secuti sententiam aperte condemnasset, hanc nunquam Ecclesia permisisset. Quare Paulus V. Perronii sententiam merito improbavit. Sed ipse Summus Pontifex, ut postea videbimus, Hispanico Oratori dixit, Tridentinum nostram controversiam tetigisse, etsi eam ut inutilem reliquisset. Cui assentientes hic affirmamus, controversiam non esse a Concilio definitam, sed in illo theologorum conventu, cui Patres quoque affuerunt, tactam et ut minus probabilem reiectam.

Pro ultima confirmatione sit communis fama de illa re divulgata, cuius testis est Henao. (Scientia media historice propugnata, n. 415. p. 130.)

Pallavicino negat quidquam se eorum, quae de illa disceptatione duorum PP. Dominicanorum Sarpius scripserit, invenisse. Sed id fieri potuit, etsi res vera erat, quum Massarellii commentarii sententias theologorum strictim commemorent, nec, quid in utramque partem disputatum sit, narrent; potuit autem illud in congregatione particulari evenire, cuius acta non repererit Pallavicino. Indicium disceptationis certe exstat in illis duorum Praedicatorum, virorum magnae auctoritatis, Hieronymi de Bononia et Soti verbis; e Massarellii autem libro intelligitur, fuisse inter theologos, quos Sotus confutavit, aliquem ex Ordine S. Dominici. Nomen discrepat, sed id a Sarpio commutatum esse facile admittemus. Quare quum tot sint testimonia seiuncta ac diversa inter sese, rem a Sarpio non accurate narratam negare tamen non licebit.

Bannesianorum opinionem in praevia illa Tridentini congregatione ab omnibus fere ut minus probabilem esse reiectam, plurimum refert ad can. IV. de iustif. recte interpretandum. Inde enim patet, quaenam fuerit illorum, qui hunc canonem condide-

[1] Nobis Romae autographum commentarium de illa sessione inspicere licuit, quem infra integrum exhibebimus.

runt, sententia, quacum Molinistarum explicatio apprime consentit. Et hanc quidem verba ipsa sonare videntur. Nam si quem certa conditione posse ambulare dicimus, non modo naturae in eo potestatem significamus, sed hac eum uti posse illa conditione dicimus. Concilii igitur Patres quum voluntatem gratia motam „posse, si velit, dissentire" definiunt, sententia est: praesente motu gratiae fieri posse, ut voluntas actu dissentiat, non vero, manere dissentiendi potestatem, at dissensum esse non posse. Mussus quidem, qui illa decreta Tridentina perscripsit, ut mox explicabimus, in hunc modum illud *posse* intellexit.

6. Quid de gratiae et libertatis finibus tempore Concilii Tridentini theologi docuerint.

Dupliciter theologorum illorum, qui tempore Tridentini Concilii fuerunt, sententias proponere statuimus: 1. testimoniis minime suspectis, 2. ipsorum theologorum verbis singulatim afferendis. Audiantur prius testes fide digni!

Petrus Sotus Dominicanus litteris ab ipsis Bannesianis editis testatur, quid tum (1551.) communiter de gratiae libertatisque ratione theologi docuerint. Quod ipse contra sentiebat, id auctoritatem conciliat huic eius testimonio: universam Ecclesiam ad opiniones illas solutiores, ut ipsi videbantur, quas postea Societas Iesu contra Bannesianos tuita est, videri accedere, nominatim doctores Parisianos, atque *omnes,* quicunque tum adversus haereticos scriberent, idem defendere, qui contra opinarentur, de errore Lutherano incusari.

Scribit enim [1] ad Universitatis Lovaniensis cancellarium: „Movet me itaque primum quod videam catholicos plurimos, et fere omnes, qui contra haereses scribendo noti sunt, liberum arbitrium et necessitatem gratiae (quod utrumque fatentur) salvari simul non posse iudicare, nisi gratia Dei, qua, ut ad ipsum converti corda possint, opus est, omnibus adsit nullique a Deo negetur; atque, post eam datam, omnibus liberum maneat, per ipsam liberi arbitrii vim et naturam, illa vel uti, vel certe eam respuere [2]. His enim duobus opus esse putant ad liberi arbitrii naturam re et non verbis asserendam; nisi quod in priori quidem nonnullam video differentiam... In secundo vero, quantum video, omnes conveniunt, quod videlicet bonus ille gratiae usus, qui est Deo

[1] Quae litterae Reginaldi Thomistae libro „De mente S. Conc. Trid.", Antverp. 1706., subiunctae sunt.

[2] Erat haec quidem tum sententia communis, nec tamen ea, quam Sotus quosdam inde concludere dicit.

vocanti respondere et gnaviter Dei dona acceptare, nostri sit liberi arbitrii, sic ut apertissimis verbis quidam doceant, nullum discrimen in Ecclesia Dei aliquorum futurum, nisi ex hac liberi arbitrii differentia, quia alii non utuntur, alii vero minus hac divina gratia; Deo, quantum in se est, omnes aequaliter et volente sanctos esse et sanctificante."

„Haec Pighius in suis omnibus de libero arbitrio, maxime vero lib. 5. Hoc et Eckius in suo Enchiridio de libero arbitrio; quae omnia et multo plura te legisse scio. Hoc et Hispani nostri, duo praecipue monachi [1], viri certe multae lectionis magnique ingenii et plurimum in scholis exercitati, quos etiam credo ad tuas pervenisse manus. Quodsi non piget, vide rogo quid nostri etiam cognominis et habitus et officii alter eorum dixerit in libro I. de natura et gratia cap. 15. in quarto illo validissimo (quod vocat) argumento, quamquam sequenti proxime capite non videatur sibi satis constare, sed nec ibi negat gratiam omnibus dari. De vestris Lovaniensibus nil possum dicere, quod Driedonis de hoc scripta tardius ad me allata sint, ut vix inter multa eius verba potuerim aliquid de hac re videre. Latomi vero nondum recepi, quae vulgata sunt, scripta: sed interim multorum aliorum non scriptis, quae non ediderunt, sed collatione, scio hanc esse sententiam: inter quos multi eam Augustino et Patribus tribuunt, et multorum etiam relatione intellexi, magnam partem doctorum Italiae hoc constantissime tenere, et fide digni etiam Parisiensis Doctoris testimonio percepi, Facultatem ipsam theologiae haec ita sentire, ut haereseos Lutheranae damnent aliud sentientes. Ita ut videatur iam tota Ecclesia in hanc trahi sententiam; et nonnulli ipsius Tridentini Concilii verba ita interpretantur, ut hoc ipsum ibi definitum dicant."

Quae Petrus de Soto hic de universitate Parisiensi narrat, decreta Concilii Senonensis luculenter confirmant. Quum enim hoc Concilium Parisiis celebratum sit, assistentibus et consulentibus theologis universitatis Parisiensis, huius quoque sententia decretis illis aperte manifestatur. Verba autem Synodi sunt haec: „Iuxta scripturam sacram eo extendimus [liberum arbitrium], ut voluntas humana, misericordiae praevenientis auxilio suffulta et interiori et occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum. . . Neque tamen tanta gratiae necessitas libero

[1] Quos editores litterarum fuisse dicunt Dominicum Sotum et Andream Vegam.

praeiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, in quo Deus non stet ad ostium et pulset; cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum et coenabit cum illo. Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Ierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas et noluerunt? Frustra certe Stephanus Iudaeos durae cervicis et incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur." (Decret. 15. fidei.) Quibus verbis Patres Concilii planissime docent, hominem trahenti gratiae efficaci „in sensu composito" resistere posse. Ut enim e locis ex sacra Scriptura allatis intelligitur, de ea potestate resistendi loquuntur, qua homo *uti* possit et cum suae salutis periculo saepe *utatur.* Billuart, qui etiam atque etiam negat, Synodum Romae approbatam esse, ita se expedit: „Dici potest," inquit, ... „sensum Concilii esse de facto resisti gratiae efficaci non immediate in se, sed mediate, quatenus resistendo sufficienti, resistitur efficaci, quae in sufficienti offerebatur." Ea interpretatione sententia simplex depravatur. Si enim *secretioris inspirationis afflatu tangere et trahere* dicitur ea gratia efficax, qua necessitatem inferri voluntati Lutherani dixerant: quum homo „*trahentis* Dei auxilio resistit et inspirationes extinguit," non oblatae, sed *praesentis* gratiae motioni resistit *acceptam*que inspirationem extinguit. Idem amplius Clichtovei doctoris Parisiensis, Synodi illius theologi, explicatio decretorum demonstrat, quae una cum iis apud eundem eadem libri forma eademque scriptura vulgata est. In qua ille hanc ponit Lutheranorum contra dogma catholicum de libertate obiectionem: *Vocationi et tractui supernae virtutis non potest humana vis resistere. . . Si traxerit nos Pater coelestis, non possumus trahentem non sequi, quia fortior nobis est et valentior viribus.* Non de oblata, sed de praesente ac trahente gratia efficaci loquuntur. Quid igitur ille? An cum Bannesianis dicit: Non potest sane homo gratiae efficaci voluntatem trahenti resistere *in sensu composito*, sed *in sensu diviso* (h. e. ea potestate qua actu *uti* repugnat)? Respondet ita ut Iesuitae. „Vocat," inquit, et „*trahit* Deus ad se homines, non vim inferendo voluntati et eam cogendo, sed ipsam *hortando incitandoque ad bonum.* Quam hortationem et tractum sequi possunt, qui vocantur, si velint, obediendo Deo vocanti et trahenti, aut aspernari eam et reiicere, si voluerint, obsepiendo aures cor-

dis et obnitendo divino tractui. . . Potest etiam, qui trahitur, *contranitendo* huic divinae attractioni non sequi eam, quoniam ea ipsa virium nixu non fit nec violentia, sed interiore quodam et spirituali impulsu, *incitante voluntatem ad bonum*, sed non ingerente illi aliquam vim aut violentam necessitatem. Unde Prov. 1, 24.: *Quia vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret.* Quae dilucide produnt: plerosque Deum *trahentem* extendentemque manum suam aspernari recusareque *tractum eius.*" (Compendium veritatum . . . per Iod. Clichtoveum. Parisiis ex off. Simonis Colinaei. 1529. fol. 132 s.) Clariusne dici potuit et in physica praedeterminatione sitam non esse gratiae efficaciam et ei resisti posse „in sensu composito"?

Luculentius etiam hac ipsa narratione nostra demonstrabitur, universitatem Parisiensem et veterem Lovaniensem contraria Bannesianis de libertate et gratia docuisse. De Lovaniensis quidem cum doctrina Societatis Iesu consensione ipse Serry minime dubitat idque adeo vitio vertit Iesuitis [1]. Dominicus autem Sotus, quamquam vituperatus esse a Petro videtur, in sententia perstitit [2]. Petrus tamen praeter cognominem alios sine dubio clarissimos Dominicanos significat. Nam Ambrosius Catharinus, quum in multis rebus a Dominico Soto dissentiret, tamen ut et ex ipsius Bannesii testimonio, quo mox utemur, et ex ipsius scriptis apparet, de hac controversia idem sentiebat. Et Petrus Sotus quum *omnes* commemorat, qui adversus haereticos scripserint, non potest non etiam plurimos Ordinis Praedicatorum scriptores intelligere; illo enim tempore maxime omnium ab his Patribus contra Lutheranos dimicatum est. Ex illo igitur Petri testimonio luculenter patet, communem tum temporis in Praedicatorum familia eam fuisse doctrinam, quam hic cum Bannesio impugnavit, susceperunt vero Praedicatorum discipuli, Patres Societatis Iesu. Sed quantum cum horum doctrina concordarint praeclarissimi scriptores Dominicani, qui primi Lutherum confutaverunt, supra (p. 113 ss.) iam ostendimus; idem de pluribus aliis mox demonstrabimus, si prius alios testes de communi theologorum sententia audierimus.

---

[1] „Quid Driedonem, Tapperum, Cunerum, Stapletonium ad amovendam inductae novitatis invidiam obtendis, cum id potius sociis [Societatis Iesu] vitio detur, quod viros illos, Semipelagianismi ac novitatis a praestantissimis theologis insimulatos, doctrinae duces habuerint?" Serry, Hist. Congreg. lib. V. sect. 2. c. 5., ed. 2. Antv., p. 692. Similia dicit l. c. c. 9. p. 713.

[2] In l. IV. sent., ed. Duacens. 1613. p. 962. 963. Vide infra p. 152 s.

Nondum erat editus Molinae liber, quum *Bellarminus* defensionem propositionum Lessii Lovanium misit [1]. In qua omnes eius adversariorum doctrinas ex hoc uno derivat, quod voluntatem gratia praedeterminari dicant, antequam illa se ipsa determinet, quum Societatis doctrina de gratia, nominatim de gratia congrua, illius sententiae negationem consequatur. Addit autem (p. 782): „Quod attinet ad radicem omnium controversiarum, auctores plurimi tum scholastici tum Patres disertis verbis docent non praedeterminari voluntatem in actibus liberis: immo, ut verum fatear, *nullum legi, qui contrarium sentiret praeter haereticos.*" Iam vero Bellarminus notitia librorum erat imprimis clarus ac celebratus, eumque Cardinalis Squaglia Dominicanus dignum eadem laude praedicavit, quae Hieronymo tributa esset, ut paene omnes legisse scriptores diceretur. Quum Lovanii doceret, ex iis libris, quos, ut se ad docendum pararet, perlustraverat, suum de scriptoribus ecclesiasticis librum confecit, quos numeravit *quadringentos* [2].

Bellarmino adiungere placet gravissimum testem domesticum, *Franciscum Aravium*, O. Pr., qui, tredecim annis post Bannesii mortem professor primarius, postea Episcopus Segoviensis factus, ita scribit: „Mirum plane est, quod quidam novitii theologi, quorum multi absque ullo examine suorum magistrorum sectantur placita, tantam sibi fidem velint haberi, ut indubitanter posteri theologi credere teneamur hunc Dei physicum humanae voluntatis praedeterminativum concursum, cuius nec sacra Concilia nec SS. Patres aliquando meminerunt, sed ab eis fuit quodam fallaci discursu confictus." [3]

Quod Bellarminus et Aravius affirmant, confirmatur *Bannesii* tacita consensione. Suae enim doctrinae, naturas creatas ad actus singulos physice praedeterminari, auctorem nullum affert Thomistam, satis autem significat clarissimos eius scholae principes aut illam ipsam sententiam aut consectaria negare. Quod ut demonstremus, quaedam supra iam scripta nobis liceat repetere. Ita

---

[1] Qui libellus, quem legisse iuvat, adiunctus est primo tomo Livini de Meyer Historiae, p. 780 ss.; eius exemplum aliquod nitide descriptum ipsiusque manu signatum hodie exstat in tabulario Societatis; inscribitur: De controversia Lovanii nuper exorta inter Facultatem theologicam et Professorem quendam S. I. in Auctario Bellarmino. le Bachelet

[2] Fuligatto, Vita Rob. Bellarmini, Antv. 1631. l. II. c. 3. p. 78.

[3] Tom. 2. in I. II. q. 3. art. 5. n. 41. vers. *Sed accedat*, apud Henao, Scientia media hist. propugn. Event. 9. n. 190. p. 58.

Capreolum, ducem Thomistarum, fatetur de capite controversiae aliter sentire: „Secundus sensus," inquit[1], „illius doctrinae est, quod Deus omnibus hominibus et praedestinatis et reprobis confert auxilium sufficiens, quo possint bene operari in omni eventu (si velint), *non tamen determinat* neque applicat eorum voluntates ad bonum vel malum usum, sed actualis operatio pendet solum ex libertate arbitrii volentis se determinare ad bonam vel ad malam operationem. Illa doctrina in isto sensu accepta placet quibusdam theologis peritis, inter quos est Roardus Tapper in art. 7. de libero arbitrio, concl. 9. et 10. **Capreolus** in 2. dist. 28. q. 1. a. 3. ad 12. refert sententiam Gregorii Ariminensis, qui partim consentit huic doctrinae, et Capreolus sequitur Gregorium. Sed infra a nobis in hac quaestione ostendetur clarissime, quam sit falsa ista sententia et parum consentiens veritati catholicae."

Ferrariensis autem, dux alius ac princeps veterum Thomistarum, Deum negat liberos actus e causis eorum cognoscere; contra quem Bannesius, ut oportuit, si constare sibi vellet, docet illos actus ex causis ab ipso Deo determinatis cognosci[2]. *Caietanus* cum tota vetere schola modificari dicit motionem Divinam voluntate creata; quod quum ipsius doctrinae adversaretur, „Displicet," inquit Bañez[3], „quod ait virtutem primae causae modificari per causam secundam. . . Quod quidem ego falsum puto, si de prima causa universalissima, qualis est Divina voluntas, intelligatur. Immo vero Divina voluntas omnia modificat." Atque hic est fons et origo totius controversiae; quod enim vetus S. Thomae schola constantissime tenuit, in concursu primae causae cum creaturis has veluti causam materialem motum a prima causa receptum modificare, negat Bañez; quare ipsius amicissimus collega et frater Medina eum *novae et inauditae doctrinae* accusare non dubitavit (in I. II. q. 113. a. 8.). Sed haec res, ubi integram Bannesii doctrinam explicabimus, penitius perscrutanda; hic brevissime aliud indicemus, in quo Bañez omnium consensu in doctrinam tum communem apud suos offendit[4]; nam constanter omnino conclusit e doctrina proposita, *Deum non sincere velle omnium salutem.*

Itaque et Petrus Sotus et Bañez sententias a communi illius

---

[1] In enarratione Summae I. q. 23. a. 3. p. 272.

[2] In I. q. 14. art. 13. p. 206. V. supra p. 83. 84. 109.

[3] In I. q. 19. a. 8. p. 244. Vide p. 58. et 112.

[4] Velut Sotus enarrans ep. ad Rom. c. 9 (ed. Antv. 1550. p. 276.). „Hoc ergo," inquit, „sit nobis constitutissimum, quod voluntate antecedenti vult totum mundum servatum iri."

aetatis discrepantes proposuerunt, prior quasi tentando, alter affirmando. Iesuitae autem quum communem tenerent atque amplius explicarent, fieri non potuit, quin a Bannesii schola abalienarentur.

Sed occurrit Reginaldus et altera argumentandi ratione, quam supra significavimus, demonstrare aggreditur, communem fuisse sententiam Thomistarum tum Patrum Tridentinorum tum posteriorum theologorum, donec Iesuitae quasi mutuo inito consilio pro Catholica doctrina suam *accommodatam* theologiam supposuerint. E quadraginta circiter theologis eas colligit appellationes „gratiae motionisque Divinae", quibus efficacia Thomistica significetur. Massoulié eam nomenclaturam exscripsit in „S. Thoma sui interprete" (I. 71.), eamque identidem affert, ut in Tridentino Thomismum propositum esse demonstret. Gravesonis quoque epistolae (ep. 11. I. 194.) et *praeloquium* in Reginaldi librum *De mente Concilii Tridentini* (p. 10. et 11.) eadem nomina enarrant, non sine speciosa ostentatione. Refutatio difficilis est, quum in promptu iam non sint aut omnino interciderint libri illi, quibus utuntur. Quodsi contigit, ut aliquem nanciscare, mirabile est, ut ille locos corruperit, utque digna sit illa collectio eius, qui in Quaestione theologico-historica etc., tantam multitudinem locorum falso explicatorum contexuisset, falso addito oppidi loco (*Venetiis* pro *Tolosae*) falsoque anno (1607. pro 1644.).

Commemorat Reginaldus e Patribus et theologis, qui Tridentini sessioni VI. interfuerunt, Cornelium Mussum, Ambrosium Catharinum, Seripandum, Franciscum Romaeum, Ioannem Antonium Delphinum, Andream Vega, Dominicum Soto, Alphonsum a Castro, Melchiorem Canum et Alphonsum Salmeronem. Singulos hic perstringamus, ut pateat, omnes hos theologos contra Bannesianos stare.

Primus igitur Cornelius *Mussus* laudatur, recteque monent et Reginaldus et Massoulié negligendum non esse, quod ille definitiones Tridentinas de iustificatione formaverit. Iam ex eius Historia sacra, c. 17., ut demonstretur „sub variis nominibus divinae gratiae ac motionis efficaciam ab ipsis etiam [Tridentinis] Patribus expressam esse" haec affertur appellatio: „motio divina nobis ignota et non percepta, qua prius a Deo movemur." Nae pulchrum argumentum contra Molinistas, qui motus praevenientis gratiae a nobis percipi posse putent! Idque ab eo positum, qui decreta Tridentina scripserit. Sed aspiciatur locus.

Historia sacra Mussus de Deo disserit, et contra pantheistas ac materialistas Deum esse a natura rerum diversum in eaque

operantem demonstrat. Itaque 17. caput sic inscribitur: „In impiam philosophorum catenam, Deum agere sicuti vult et universarum causarum seriem nihil posse sine ipso Deo.“ Enuntiatio autem, unde testimonium sumitur, haec est: „Ut persuasum est iamdiu philosophis, elementa non agere sine coelo, et inter coelos principem illum orbem agitare sequentes, et mentes animos, et animos corpora: *sic* divina historia docet Deum nihil non movere in universo orbe, nihil moveri posse sine Deo, *eatenusque solum agere movereque* ipsam rerum naturam, quatenus antea divina quadam tametsi nobis ignota et non percepta motione cietur.“ Quae sententia ne *praevii* quidem concursus praebet argumentum (quem quidam etiam Iesuitae statuunt), sed eam rerum Divina virtute motionem, sensibus non perceptam, quam Mussus *primo mobili* s. motori antiquorum auctoritate tribuit. Quid hoc vel ad gratiam vel ad VI. Tridentini sessionem? Atque adeo verba depravat Reginaldus temere substituens „movemur“, quod ad gratiam referri possit, pro eo, quod erat „movere ipsam rerum naturam“. Sed aliis in libris Mussus disserit de gratia et in nostram quidem fere concedens sententiam.

Nam in enarranda epistola ad Romanos[1] quaerens, *possitne* homo peccator alia peccata vitare, *potentiam* ita explicat: „Non quaerimus de potentia absolute. Sed sermo noster est de potentia propinqua, quae reducitur immediate *ad actum:* utrum sc. ita possit, quod *de facto* alio peccato non peccet vel *actu* semper peccet. . . Distinctio patet huius secundis potentiae. Nam in tenebris homo potest videre potentia remota, non proxima. Quod de potentia proxima sit sermo patet. In moralibus enim non oportet loqui ut in metaphysicis vel naturalibus loquimur. Quia non est omnium scientiarum eadem methodus, ac saepenumero modus sciendi unius scientiae ad aliam transfertur. Non ergo de potentia logica neque de naturali remota, sed de illa, quae exit immediate in opus, sermo est. Utrum *possit vitare vel non.* Et non: Utrum *habeat potentiam vitandi* vel non habeat.“ Menda scripturae non correximus; sed hoc constare debet, *posse* intelligi a Musso eam potentiam, quam etiam *in sensu composito* ad actum reduci non repugnat. Id autem si ad quartum canonem sextae sessionis Tridentinae aptatur, contrariam efficit sententiam illi Bannesianae, movente gratia efficaci potentiam dissentiendi ma-

---

[1] In B. Pauli ep. ad Rom. absolutissima commentaria, Ven. 1588. p. 342; quae lectiones sunt, quas ille 1539. Romae habuerat.

nere quidem, sed nunquam ad actum reduci posse. Idem ille frequenter declarat, quamvis homo pellatur gratia, pro arbitrio tamen eum posse resistere. Obiicit ipse sibi [1] illa Scripturae: *agi, trahi, compelli.* Respondet facilem esse illius erroris confutationem: verba illa aucta esse et vehementem indicare inclinationem; concludit autem sic (p. 390.): *„Hominis voluntas, quamvis a divina agatur gratia, . . . erit sui iuris, ut illi acquiescere possit et reluctari, cum libuerit.“*

Idem hoc, gratiam posse repudiari et in vacuum recipi, in concionibus quadragesimalibus [2] ita affirmat, ut exclamet: „Sine gratia non vinces diabolum, nec *cum omni gratia* (con ogni grazia) *vinces, nisi* tu tuum laborem contuleris.“

In ipso Concilio Tridentino sic est locutus: „Deus imprimis vocat nos, sed non cogit nos; *nec coactos trahit, sed assentientes,* quia *non omnes, qui vocantur,* iustificantur. . . Actus credendi est actus Dei *et* hominis, prout filius dicitur *patris et matris*“ (Theiner l. c. p. 176.). Aliis commentariorum locis demonstrat, voluntatem ante *electionem nequaquam esse determinandam.* „Quoniam itaque hominis est eligere, oportet, ut homo ad unum *nequaquam sit determinatus*, ita ut coactione vel necessitate unum velit, sed sit indifferens ad duo contraria, ad bonum et malum; aliter enim eligere non potest. *Qui enim iam primum ad unum determinatus est, optionem non habet.* . . Nam neque a gratia neque a peccato necessitatem suarum sortitur actionum, licet magnam inclinationem. Etenim a gratia motus ad bonum potest resilire et gratiae non cooperari. Aliter namque non adhortaretur Apostolus: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.“ Quam libertatem a necessitate negare quum haereticum esse dixisset, idem illud repetit: „Appetitus *non est* ad appetendum unum *determinatus,* sed liber et indifferens ad omnia“ (p. 309.). Nec minus acriter, immo iusto acrius refutat explicationem Thomisticam de praevisione Divina: „Cum dicis: *si Deus novit me lecturum, ego legam*, consequens est *causa* antecedentis. Ideo enim novit me lecturum, quia legam, non e contra. Et si hic advertis, tollitur omnis difficultas. . . Qui hoc capere potest, evasit labyrinthum errorum“ (p. 211.).

Alterum etiam a Fratribus Minoribus, *Delphinum,* qui ipse

---

[1] L. c. p. 387.

[2] Delle prediche quadragesimali, II. ed. Venezia 1688. p. 512. Prima Domenica.

quoque sextae illi sessioni interfuit, Reginaldus appellat; sed quos affert libros, quartum de libero arbitrio [1] et proximum quintum de iustificatione, egregie confutant recentiorem *Thomismum*.

Improbata enim dividendae gratiae multiplicitate, imprimis *efficacis* a non efficacis distinctione, et voluntatis impellente gratia determinatione, haec adiungit: „Theologorum est memorabilis et pulcherrima ista regula: quidquid dat Deus antecedenter, hoc est, quantum in se est, daret etiam consequenter, hoc est, *efficaciter* et reipsa, *nisi* homo propria voluntate impedimentum opponeret. Quod igitur quis gratiam divinam *efficaciter* consequatur aut minus, *in facultate humanarum virium est* a gratia quidem praeveniente adiutarum, quae, ut diximus, est communis omnibus hominibus. Itaque plane absurdum est, quod *aiunt nonnulli,* haud quaquam nimirum posse omnes vocationi divinae consentire, sed illos dumtaxat, qui vocentur *efficaci* vocatione, quae vocatio secundum aeternum voluntatis divinae propositum est, qui vero *non efficaci* voluntate vocentur, eos resistere. Huius, inquam, generis partitiones durae nimis atque asperae videntur nimisque affligunt et cruciant humanas conscientias.“ Idem docet (Cap. De ordine iustificationis in genere): „Secundo. Gratia sua praeveniente Optimus Maximus vocat nos et movet, quemadmodum ille in Apocalypsi ait: ‚Ego sto ad ostium et pulso‘; sed hac vocatione seu praeveniente gratia non ita pulsat, ut cogat nos: immo *ne determinat quidem* nos ad aliquid agendum vel non agendum. . . Has [liberas creaturas] porro sic movet ut *eas non determinet,* nec motu qui est generalis influentia, nec motu illo particulari, qui est gratia praeveniens et auxilium movens et excitans nos interius ad bonum; sed homo tactus et motus propria voluntate se ipse determinat: alioquin non secundum propositum ageret. . . Tertio. Vocatus, invitatus, motus et excitatus homo potest huic praevenienti gratiae dissentire et repugnare et resistere, ut Stephanus ait: Vos semper Spiritui S. resistitis. Et Christus ait: Quoties volui congregare filios tuos . . . et noluisti. . . Et Deus inquit: Vocavi vos, et renuistis.“

De his locis cognoscas velim

1. Extremis verbis („vocatus“ etc.) indicari sententiam quarti canonis sextae sessionis *[liberum arbitrium a Deo motum et excitatum. . . posse dissentire]*. Manifestum est, cum dicit *potest dis-*

---

[1] Ex opere De salutari omnium rerum, praesertim hominum, progressu, Camerini 1553.

sentire, intelligi sensum *compositum.* *Actum* enim resistendi loci illi significant, quibus argumentatur.

2. Gratiam dici *consequenter,* h. e. consentiente voluntate, *efficacem.*

3. Non a Deo, sed a se ipsa determinari voluntatem.

Haec duo posteriora etiam quarto de libero arbitrio libro pp. 147. et 171. enuntiat atque affirmat.

Sed quosnam illos *nonnullos aientes* impugnat? Theologi sunt certe Catholici, alioquin haereticos appellaret. Ostendunt autem superiora testimonia, similia de gratia efficaci et Tridenti et postea in Belgio esse pronuntiata.

Nunc ad P. *Alphonsum de Castro,* insignem theologum Minoritam, veniamus. Is cum S. Ignatio eiusque sociis et Francisco de Victoria Lutetiae studiis operam dederat atque a B. Fabro magnis precibus flagitavit, ut domum Societatis Salmanticae conderet. Reginaldus eum dicit locutum esse de *motione instrumentali aut quasi instrumentali (l. 7. adv. haereses).* Quid inde contra doctrinam Societatis Iesu? Nonne plurimi eius theologi animam gratiae *instrumentum* dici posse gravissime dicunt (Suarez, de grat. l. VI. c. 6.)? Id tamen l. c. apud Alphonsum de Castro frustra quaesieris. Sane ibi in aliqua sententia legitur *velut instrumentum,* sed Alphonsus hoc ipsum, hominem esse *velut instrumentum,* negat: „Subiunxit [Paulus]," inquit: ‚Non autem ego, sed gratia Dei mecum.' Non dixit *per me,* ne forte inde aliquis coniiceret illum fuisse *velut instrumentum* in operando, sed dixit: *gratia Dei mecum,* ut per hoc ostenderet, se fuisse Dei cooperatorem." Idem sane in eodem articulo dicit, S. Scripturam Deum comparare cum artifice, nos cum instrumento, sed similitudo sumitur a motionis externae necessitate, non ab agendi modo: „Ecce vides," inquit, „qualiter Deus seipsum comparat artifici, nos autem securi aut serrae aut alii instrumento quo mediante artifex operatur. At securis aut serra nunquam lignum scindet nisi ab alio ad hoc moveatur: sic etiam nostrum liberum arbitrium nunquam bonum aliquod operari poterit, nisi a Deo moveatur ad illud agendum. . . Isaias ostendit infirmitatem nostram ad opus exemplo serrae pro hac re adducto" (l. 7. adv. haer. art. Gratia. Ed. Colon. 1543. fol. CXXXI b.). Necessitatem igitur gratiae, non modum actionis gratiae Divinae illa similitudine explicat; quare statim prorsus negat nos a Deo „velut instrumentum" moveri. Contrariam autem fuisse illius doctrinam „Thomismo" facile est ostendere; nam in l. VII. (art. *Gratia* et *Libertas*),

quem locum affert Reginaldus 1. gratiam praevenientem semper ut *excitantem* describit, 2. „catholicam“ esse veritatem dicit hominem gratiae resistere posse *in sensu composito.*

Utrumque in solvenda quadam difficultate enuntiat, quam ex illo loco Ioann. c. VI., quo ad gratiam efficacem probandam uti solent, derivat: „Secundo,“ inquit, „obiiciunt nobis illud Salvatoris apud Ioannem: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Per quae verba (ut Lutherani aiunt), tota arbitrii libertas tollitur, quoniam liberum arbitrium trahitur a Deo, et sine hoc tractu ire ad eum non potest. Tractus autem violentiam quandam dicit; non est ergo arbitrium hominis liberum. Respondeo, falsum esse quod assumunt, hunc videlicet tractum divinum esse violentiam aliquam, quoniam non est aliud quam vocatio quaedam interna et exhortatio et monitio, qua monet et movet voluntatem nostram ad bene operandum. Huic autem vocationi et monitioni homo saepe resistit inobediens existens, ex quo convincitur, talem vocationem non esse violentam. Nam et Dominus hanc hominum resistentiam accusat dicens: *Vocavi et renuistis; extendi manum meam et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Fatemur ergo tractum Patris per gratiam praevenientem, quo secluso nostrum arbitrium moveri non potest ad bonum operandum. Sed sic nos attrahens Deus in nostra nos dimittit libertate, ut acquiescamus illi vocanti et monenti, aut obduremus corda nostra, cum eius vocem audimus. Et in hoc est nostra libertas ad bonum, ut postquam Deus monuerit ad bonum, sit iam nobis liberum declinare ad id, quod magis placuerit, sive bonum, sive malum; ante tamen monitionem est nobis potestas ad malum, sed non ad bonum. Quae omnia multo diffusius atque apertius docuimus supra in titulo de gratia, haeresi prima“ (l. 9. adv. haer. art. Libertas fol. CLIII b.). Dixerat autem illo loco: „*Quarta catholica assertio:* Postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate haec potestas, ut Deo monenti et inspiranti consentiat aut dissentiat (l. 7. adv. haer. art. Gratia fol. CXXXI b.). Respondemus, hanc esse nostri arbitrii potestatem, ut Deo monenti consentiat et Deo operanti cooperetur. Deus autem nunquam seipsum nobis negat, immo semper paratus est, ut nos excitet et adiuvet. Paulus namque ait: *Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Inde ergo homo culpatur, non quia solus non facit, cum hoc esset illi impossibile, sed quia Deum monentem non audit, ad eius vocem

non excitatur, illi vocanti non respondet." Perspicue profecto loquitur. An evidentius potuit enuntiari, gratia *excitanti* hominem *trahi* ad consensum, et ita quidem, ut, si velit, *resistat?*

Ex Augustinianis Reginaldus solum *Seripandum* (postea Cardinalem) testem appellat, neque aliud ex illius operibus testimonium afferre potest, nisi quod Seripandus gratiam motionemque divinam nominavit *virtutem et impulsum.* Qui Molinista hoc unquam negavit? Certe qui fatetur, se id unum contra nostram doctrinam in Seripandi libris reperisse, nihil pro sua doctrina se reperisse ostendit.

Ergo ad theologos Dominicanos transeamus et primum ad celeberrimum Francisci de Victoria discipulum *Melchiorem Canum.* Etenim huius quoque theologi fatum fuit, ut a Reginaldo testis praedeterminationis physicae evocaretur, propterea quod in laudatissimo opere De locis theologicis (l. 2. c. 8. et l. 12. c. 12.) gratiam appellasset *causam efficientem, moventem, impetum.* Videantur loci. Priore igitur demonstraturus est, ad efficiendam fidem praeter causas externas: praedicationem et miracula, aliam internam *causam efficientem* requiri. „Deinde," inquit, „id quoque statuendum est, auctoritatem humanam et incitamenta omnia illa praedicta sive alia quaecunque adhibita ab eo, qui proponit fidem, non esse sufficientes causas ad credendum ut credere tenemur, sed praeterea opus esse interiori causa efficiente: id est, Dei speciali auxilio moventis ad credendum." (De loc. theol. l. 2. c. 8. Opera, ed. Colon. 1605. p. 45.) Quam hanc dicit causam interiorem? Physicamne praedeterminationem? Ipse sic respondet: „Sed necessaria est insuper causa interior, hoc est, divinum quoddam *lumen* incitans ad credendum et oculi quidam interni Dei beneficio ad videndum dati" (l. c.). Quam explicationem ad intellectus illustrationem pertinere apparet. Paullo post de eadem causa interiore efficiente haec scribit: „His vero tribus certis stabilibusque sententiis illa etiam coniuncta est, ultimam fidei nostrae resolutionem fieri in causam interiorem efficientem, hoc est, in Deum moventem ad credendum." At hic quoque uberiore disputatione interiecta ita se ipsum interpretatur: „In hunc ergo modum, proponere credenda, suadere, miracula facere determinant quidem intellectum ut credat, quasi conditiones, sine quibus vix unquam intellectus determinatur. At ratio formalis assentiendi *lumen fidei* est, quod Deus infundit credenti" (l. c. p. 49.). Ergo iterum *causam interiorem* declarat esse illustrationem intellectus. Atque hic ipse, qui eiusmodi illustrationem pro ratione

ponat, cur gratia appelletur causa efficiens, a Reginaldo defensor physicae praedeterminationis dicitur! At eodem loco Canus *instinctum* affert et *excitationem et concursum specialem.* Quid inde? Num haec a sua gratia removent Iesuitae: illustrationem intellectus, excitationem voluntatis, concursum gratiae cum voluntate? — Sed alterum locum videamus, ubi illum volunt gratiam appellare *impetum.* Is est in cap. 13. (*non* 12.) libri 12., ubi ille probare instituit, liberos actus nostros causas esse redemptionis et sanctificationis nostrae. Principio ostendit, quomodo in rerum natura operetur Deus, qui instinctum ad agendum causis secundis creando impresserit. „Res universas," inquit, „ad suum quamque finem vi quadam ingenita moveri, philosophis omnibus exploratum est." Id ubi in igne et in animalibus demonstravit, de homine ita loqui pergit: „Quae res praecipue in hominibus illustrior apparet, qui quoniam non aguntur, ut servi, sed libere potius agunt, ut domini, ratione eligunt media et se ipsi cient, ut per talia media fines propositos consequantur. Nec idcirco tamen aut primae causae virtus minor est, aut potestas infirmior, immo hoc superior et maior, quod attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Ecqua enim vis ea fortior esse potuit, quae adeo suaves et congruentes *impetus* in rerum natura posuit, ut eas nulla vi quidem illata moveat, sed vehementissime moveat tamen?" (p. 686.)

In hac una sententia vox *impetus* reperitur. Quam Canus, ut legenti evidens est, ad vires, instinctus, proprietates refert *naturales,* quibus res ad agendum suae naturae convenienter moveantur; id Reginaldus de gratia efficaci dictum vult! Dicit sane Canus paullo post vim suavitatemque Divinae motionis multo luculentius in gratia cerni; sed eam sententiam ipse explicans plurimum discrepat a Bannesio. Docet enim hominem in ordine gratiae auctorem esse suae vitae, eo quod liberis actibus ut *causa materialis* ad iustificationem et sanctificationem iuvet: „Non enim solum vitales operationes, quae supra naturam sunt, in se edit mortalis homo per gratiae formam et virtutes, sed ad vitam ipsam capiendam sua se actione parat et vivendi sibi causa est. Quemadmodum enim, si materia dispositiones, quibus ad suscipiendam formam ignis praeparatur, ipsa in se faceret, eadem sibi causa esset effectrix, ut a forma illa informaretur, sic quoniam praeparationes vivificantis gratiae homo in se efficit, ipse in sui generatione Dei adiutor existit. Qua in re, ut dixi, suavior et efficacior gratia quam natura est. Vitam namque a natura datam curare ac tueri ipse

valeas, salutem quaerere, morbos pellere adversos, tum externis quibusdam medicamentis adhibitis, tum animae viribus interius excitatis. At vitae causa tibi esse non poteris, sed aliunde eam accipis nulla interveniente operatione tua, dispositione tua nulla. Dispositio quippe omnis, qua ad animam corpus aptatur, a patre generante editur, a filio genito nullo modo. In nativitate vero spirituali is ipse, qui nascitur, non solum principium est, ut post aegritudinem sanus sit, verum etiam, ut postquam fuerit mortuus, et vitam habeat et abundantius habeat" (l. 12. c. 13. p. 686.). Vidimus supra (p. 59) Bannesium negare, libertatem veluti causam materialem iuvare ad sanctificationem, quam merito Medina, socius eius atque collega, *novam et inusitatam* doctrinam dicit; cuius reprehensionis hic Cani locus novum affert argumentum.

Alium testem Reginaldus audet appellare e familia Praedicatorum *Ambrosium Catharinum.* Cuius de praedestinatione sententiam a recentiore Thomismo esse alienissimam quis est qui nesciat? Bañez quidem illum existimat ad Pelagianos propius accedere et principem atque auctorem eius doctrinae appellat, quam ipse oppugnat! „Reliquiis," inquit, „Pelagianorum . . . infecti sunt quidam recentiores theologi, de quorum numero fuit Ambr. Catharinus, ex cuius doctrina fortassis quidam moderni theologi hauserunt quaedam dogmata satis periculosa in materia iustificationis et praedestinationis" (q. 23. art. 5. p. 291.). Atque hunc virum Reginaldus affirmat perspicue docuisse *praedeterminationem* (cap. 8. in ep. ad Rom.), idemque dicit de *Salmerone* (disp. 19. in ep. ad Rom.). Sed depravatio veritatis est. Etsi enim uterque praedeterminationem statuunt, eam tamen aeternam praedestinationem, non gratiam efficacem intelligunt. Itaque Serry Salmeronem et Lainium iam in Concilio Tridentino doctrinae Molinisticae semina sparsisse putat. Sed rem evidentem, contrarios esse Bannesianis Catharinum et Salmeronem, omittamus.

Etiam alii theologi Ordinis Praedicatorum in Tridentino Concilio, Romaeus, Magister generalis Ordinis, et Dominicus Sotus, quibus Reginaldus utitur auctoribus, a recentiore Thomismo reperiuntur alieni. E *Romaei* primum libro De libertate operum a necessitate (Lugd. 1538.) aliqua promemus.

Libertatem ille definit: voluntatem expeditam ad eligendum; „significat remotionem omnis obstaculi, ut scilicet prompte expediteque homo prodire possit in opus" (p. 28.). „Constat autem, quod, quum dicit Apostolus: *Facite* [omnia in gloriam Dei, 1. Cor. 10, 31.], non tam liberam *facultatem,* quam liberum quoque fa-

ciendi *usum in nobis esse* designat respectu omnium operum" (p. 92.). Deinde quum adversus haereticos statuisset, voluntati etiam in rebus supernaturalibus opitulante gratia suam conservari libertatem et agendi usum expeditum, ex eo ipso protenus occurrit obiicientibus, gratiae necessitatem cum libertate arbitrii non consistere; hac enim identidem utitur similitudine, necessariam esse navem ad navigandum nec tamen impedire libertatem (p. 93. et 123.); ita sine dubio significatur, etsi verbis disertis non dicitur, et navis et gratiae *usum in nobis* et nostri esse arbitrii. Consentaneum est quod Dei motionem pro naturae creatae proprietate modificari docet: „Quia unumquodque in recipiente recipitur iuxta modum recipientis, consequens est, ut actio et motio principalis agentis modificetur iuxta modum formae et actionis instrumentalis agentis, in quo recipitur" (p. 40.). Idem gratias actuales, etiam efficaces, describit inspirationes Divinas, quas homo audire possit et percipere (pp. 103. 104. 112.).

Censebat autem, *eidem* praevenienti gratiae alterum assentiri posse, alterum dissentire. Dicit enim in eodem libro (p. 107): „Quaerebatur siquidem, cum Deus sua liberalissima bonitate cunctis peccatoribus existentibus in mortali semper impendat gratuitae suae motionis auxilium, quo quandoque resipiscant et revertantur ad cor: unde est, quod quidam redeunt et convertuntur, quidam vero in luto remanent peccatorum et indurantur? neque enim est acceptio personarum apud Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, qui stat ad uniuscuiusque ostium et pulsat ut intret. Ponamus ergo, quod sint duo aequaliter peccatores, puta Nabuchodonosor et Pharao, sint *aequaliter*[1] *speciali Dei motione praeventi:*

[1] *„Aequaliter"* utroque loco „eodem modo s. gradu" significat; duo igitur ponuntur *eodem modo peccatores eademque gratia praeventi;* itaque mox substituitur: aequales peccatores. Sic „aequaliter" usus est in simili sententia Driedo (de redemptione generis humani tr. 4. cap. 2. coroll. 5.), ubi „duobus iam aequaliter iustis" opponuntur „duo adhuc impii aequaliter indigni, aequaliter divinis instinctibus pulsati"; quem probabile est imitatum esse Romaeum. Utrique sine dubio obversabatur celeberrimus Augustini locus De Civitate Dei, l. 12. c. 6., ubi eandem quaestionem eodem modo solvens ita loquitur: *duo aequaliter affecti corpore et animo.* Bañez autem quam sit ab hac Driedonis ac superioris sui doctrina, quam postea Ruartus Tapperus amplexus est, alienus, his verbis significat (In 2. II. q. 10. art. 1. p. 248.): „Cum aequali Dei auxilio, quo Deus misericorditer cor hominis excitat ac praeparat, non stat, quod quidam homo convertatur et quidam alius non convertatur, qui aequale omnino auxilium aequalemque misericordiam receperit. Hoc documentum est contra doctrinam Roardi Tapper, quondam decani Lovaniensis, viri alioquin

uterque enim illorum, sicut peccaverat, captivando populum Dei, ita *pariter* percussus *attractus*que fuit uterque a coelesti medico, ut spiritualiter sanarentur: undenam igitur est, quod convertitur Nabuchodonosor a peccato, Pharao contra in peccato durescit? Hic iam si respondeas iuxta praemissa, quia videlicet Divina motio et attractus non infert cuique homini violentiam, sed suaviter movet unumquodque per modum ejus, ut scil. liberum hominem libere moveat, proinde *in libertate attracti hominis est sequi vel non sequi Divinae motionis attractum: bene respondebis et Augustino ac ceteris Patribus conformissime.*" In potestate est igitur hominis *tracti* gratia vel consentire vel resistere, ut ex duobus *eadem* gratia tractis alter obsequatur, alter resistat. Quam sententiam Romaeus vocat communem Patrum *omnium.* Ultimam ille quidem causam, cur convertatur homo, non ab ipsius arbitrio, sed a Divina repetit praedestinatione, quae illum, qui convertatur, efficaciter praeveniens, ut convertatur, efficiat. Nec vero aliud quidquam dicunt Molinistae. Cum quibus ille usque adeo consentit, ut his verbis concordiam libertatis cum praedestinatione explicet (p. 125.): „*Unde* de partialibus Divinae praedestinationis effectibus disputantes, non repugnat, si dicamus: Deum praedestinasse hominem propter praevisa opera, siquidem illud *propter* causam refert finalem," hoc est: vult Deus opus bonum elici ex libera hominis voluntate; *praevidet* autem id cum certa quadam gratia effectum iri; ergo *propter* eum, quem praevidit, libertatis usum gratiam illam largitur. Et *ideo („unde")* Romaeus hanc amplectitur sententiam, ut explicet, quomodo „omne, quod assequitur praedestinatus, a Divina pendeat misericordia, opera tamen ipsa a nostra procedant *libera* voluntate." Atqui haec Molinistarum de gratia doctrina est. Non diffitemur vix satis conscium sibi illum fuisse de tantae quaestionis solutione; sed ad huiusmodi rei explicationem aetas illa propendebat.

De Divina autem praescientia idem sic habet (l. c. p. 49.): „Si ad antiquos Doctores te convertas, reperies, fere omnes in

---

catholici atque eruditi. Is in libro articulorum circa dogmata ecclesiastica art. 7. prop. 10. ait, ita contingere, quod cum aequali Dei auxilio unus homo convertitur, et alius homo non convertitur: ita omnino quod si quaeratur, quare hic convertitur, et ille non convertitur, non est in causa, quod ille, qui convertitur, maius Dei auxilium receperit, quo efficaciter converteretur, sed ea est assignanda ratio ex parte liberi arbitrii, videlicet quia aequali auxilio adiutus unus voluit converti, et alius non voluit converti. Hanc ego doctrinam gratiae Dei contrariam esse iudico . . . ex parte cum Pelagianis convenit."

hanc unam convenisse sententiam: videlicet non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus novit, qui est praescius futurorum.“ Deinde ut ea, quae de immutabilitate praescientiae ac praedestinationis contra libertatis rationem obiecta erant a Protestantibus, refutet, explicatione utitur minime Thomistica, sed quam quidam theologi Franciscani amplexi erant[1]: eo semper subiici Divinae praescientiae ac praedestinationi actiones hominum, quod Deus attendens, quid libera deliberatione decernamus, *nunc* efficiat, ut id ab omni aeternitate et praeviderit et voluerit. Ipsius haec sunt verba: „Cum actus Divinae praescientiae mensuretur aeternitate, cui tam praeterita quam futura praesentia semper sunt, talis Divinae praescientiae actus nunquam transit in praeteritum, sed semper consideratur ut praesentialiter egrediens secundum libertatem Divinae voluntatis. . . Cum actus praescientiae Dei sit semper praesens suae libertati, potest utique Deus non praescire quae praescit et non praescivisse quae praescivit, absolute loquendo: nec propterea mutatur in se Divinae praescientiae actus, sed unus atque idem manens, *rerum mutationem attendit,* sicut absque variatione suae scientiae est et voluntatis, quod unam eandemque rem scit et vult Deus quandoque esse, quandoque non esse (p. 48.) . . . Quo fit, ut Divini actus debeant potius considerari quasi praesentialiter semper egredientes, quam ut egressi vel egressuri, propter ipsum *nunc* aeternitatis, cui tam praeteritum quam futurum multo magis praesentia sunt quam sit praesens homini, puta figulo, opus suum, quod hic et nunc operatur. Consequenter, *quemadmodum potest figulus opus quod nunc facit non facere, sic suo modo potest Deus nunc non praescire quod praescivit et non velle quod voluit;* . . . ita et res quae praescitae et volitae sunt, possunt non esse; proinde ex aeterna Dei praescientia ac voluntate non sequuntur omnia inevitabiliter“ (p. 144. et 145.).

Denique Divinum libertatis donum his verbis praedicat: „Ad hominem transeo, quem libero arbitrio insignivit Altissimus. . . Cur? nisi ut Divina gratia evidentius commendetur, quae . . . dignatur adesse homini, non tam ut filius Dei constituatur, quam etiam ut coadiutor cooperatorque Dei summi per bona opera aeternae beatitudinis compos efficiatur.“ Superlatione veritatis utitur oratoria, quam etiam Melchior Canus usurpaverat, ut summae

---

[1] Quam opinionem Nominalium bene explicat et refutat Molina In q. 14. a. 13. disp. 51.

virtutis gloriaeque gratiae esse dicat, hominem non modo filium Dei efficere, verum etiam adiutorem atque socium. Sunt enim Deus et homo eiusdem effectus auctores sive causae partiales; quod quidem augens atque amplificans dicit hominem ad societatem conditionemque Divinam quodammodo extolli.

Romaeus quum a Pontifice consilii causa Romae detineretur, in eius locum succedens Dominicus *Sotus* aliquamdiu Tridenti commoratus est. De eo paullo erit prolixius disserendum; fuit enim utriusque quodammodo scholae, et Bannesianorum et Molinistarum, magister. Docebat Salmanticae discipulosque habebat et Dominicanos Hispaniae et *eum* Iesuitam, qui haud scio an plurimum primos Societatis theologos erudiverit atque excoluerit, *Toletum.* Accedit quod ille sub ipsam VI. Concilii sessionem suum De natura et gratia librum confecit et Patribus Tridentinis inscripsit. Quo libro quam sententiam defensurus sit, ab initio satis indicat (l. 1. c. 15.), Driedonis De gratia et libero arbitrio *copiosissimum et doctissimum opus* collaudans. Ille enim cum vetere schola Lovaniensi consentiens, tam longe aberat, quemadmodum supra diximus, ab opinionibus Bannesianis, ut eum collegasque eius Serry de Semipelagianismo accuset.

Libertatem Sotus ita definit, ut „voluntas sit in neutram partem *determinata*, sed in utramque libera;“ deinde ita pergit: „Validissimum argumentum [pro libero arbitrio] est et quod ratio ex Scriptura sacra elicit: si Deus ita nos iustificaret per gratiam suam, ut nihil assensione nostra et arbitrio opus esset, cum ipse ad ostium sit semper et pulset, ut est in Apocalypsi: quid causae restaret, cur non omnes converteret? . . . In adultis proxima ratio reddenda est, cur, cum duos *aeque* sit Deus paratissimus convertere praesentissimaque utrumque misericordia aspiret, hunc *trahat,* illum *non trahat.* Quae revera *reddi non potest, nisi quod alter praebet assensum, alter vero minime*. . . Cum Deus Ecclesiam suam tam ex animo percupiat eo esse decore et sanctitate, qua decebat esse dilectissimam sponsam Christi . . . tamque sit praesto qui nobis opituletur, nimirum qui irradiare principum corda sol ipse iustitiae nunquam cessat, quid in causa esse potest, cur non instauratur, nisi quia *assensum nostrum exspectat* et operam? Ut in propatulo eodem loco est Apocalypsis: Ecce enim sto ad ostium etc.“ (l. 1. c. 15.).

Ob quam opinionem vituperatus a socio religionis cognomine, eam tamen tenuit, ut ex supremo eius libro intelligi licet: „Cum Deus paratissimus sit quemcumque convertere, praesentissimaque

misericordia ex duobus utrumque aspiret: cur iste convertatur et non ille, reddi non potest causa, nisi quia unus praebet assensum, alter vero minime. Quidam vero hoc taxare voluerunt dicentes, quod nimium tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa. Et tamen, salva semper catholicae Ecclesiae censura, arbitror necessario sic dicendum.“ [1] Similia paullo post scribit: „Non nisi nobis consentientibus aperit. Et ideo postquam dixit Christus Ioan. XVI: *Nemo potest venire ad me nisi Pater . . . traxerit eum,* subiunxit: *Qui audit et discit, venit ad me.* Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire aut dissentire. Unde S. Augustinus, postquam dixit: *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli dubitare,* subiunxit: *Si non es tractus, ora ut traharis,* insinuans, quod, etsi assensus noster non sit causa praedestinationis, sit tamen aliquo modo *materialis* causa iustificationis. *Et haec est doctrina S. Thomae.*“ Eadem ratione illud caput obiectionum („Achillem“) Protestantium confutat: non esse *efficacem* et omnipotentem Dei motionem, si in nostra sit potestate non moveri, quando a Deo moveamur. Sic enim scribit: „Quidquid Deus vult *voluntate absoluta* et quae dicitur beneplaciti, fit, iuxta illud Rom. 9, 19: Voluntati eius quis resistet? Quando *autem* cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, *nisi salva* humana natura et *libera voluntate,* quae idcirco resistere Deo potest, ut de Pharaone legitur. Exod. 10. Et II. Tim. 3, 8: Ita et hi resistunt veritati. Et Act. 7, 51: Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri. . .“ Item: „At quamvis ille concursus sit praerequisitus, nihilosecius, *illo posito,* tunc etiam est in facultate voluntatis agere et cessare. Alias nullus dabitur requisitorum numerus, quibus positis voluntas possit agere et non agere, atque adeo neque erit libera. Nam ante divinum concursum non potest agere; et quando ille adest, ut isti aiunt, non potest non agere. Solutio ergo dubitationis est, quod illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, ut tunc agere renuam. Etenim dum libere moveor, possum in sensu diviso non agere, et tunc *cessabit concursus Dei.* Tametsi in sensu composito contra se invicem pugnent: Deum agere erga me actione illa et me non agere. Neque aliud sibi vult Aristoteles ubi ait, illud quod est, quando est, necesse est esse, quam quod sit iam tunc determinate verum“ (l. c.). Item: „Omnes [auctoritates] attestantur, Deum esse causam conversionis salutisque nostrae praemovendo

---

[1] In 4. sententiar. extremo, p. 962.

nos, ut tamen, *nisi nos annuerimus, nihil fiat*. . . Et secundum hanc intelligentiam verum etiam est, quod *nisi* nos velimus, *frustra* nos custodit Deus et trahere conatur. . . Ita enim *efficit* ipse nostrum assensum, *si* nos tamen libere concurramus. Quare per eundem assensum et nos illi aperimus, et ipse nobis aperit. Unde *nostrum concurrere est permittere nos ab ipso moveri,* coagendo illi, qui iugiter ad ostium pulsat" (l. 1. c. 16.).

In his omnibus locis Sotus apertissime enuntiat, etiam praesente concursu Divino (vel gratia adiuvante in rebus supernaturalibus) posse *non agere* voluntatem; tum autem *nihil fieri* et *concursum Dei cessaturum;* non igitur concurrere Deum cum voluntate virtute absolutae voluntatis, *cui resistere nihil possit,* sed servata libera illius electione, ut et possit resistere et, quemadmodum locis Scripturae allatis demonstrat, saepe *resistat.* Gratia igitur ita „*efficit* nostrum consensum, *si* nos tamen libere concurramus". Quae omnia Molinismum sonant. At idem quî potest eodem in capite sententiam vere Bannesianam, ut videtur, adiungere: concursum Dei ad agendum natura esse *prae*requisitum, quoniam Deus causam movet ad agendum; ipsum autem nos actu non movere, quin una moveamur? Idem respondere licet, quod ad interpretandos quosdam Francisci de Victoria locos supra diximus; a magistro enim ille summam eorum, quae de nostra quaestione disputavit, mutuatus est. Et revera loco ex comment. in IV. sententiarum allato, ubi Sotus quae antea dixerat defendit, ut prioritatem primae causae in concursu explicaret, eandem causarum efficientis et materialis distinctionem, immo etiam eandem similitudinem ab apertione fenestrae ductam, ac Franciscus de Victoria (v. p. 120.), adhibuit. Quantum vero ab hac doctrina, quae statuit, in concursu creaturam se habere *veluti* causam *materialem,* Bañez abhorreat, iam ostendimus et postea magis ostendemus. Nihilominus ex Bellarmino alteram addere iuvat eiusdem difficultatis explicationem. Quam ordimur ab iis, quae ultimo loco ex Soto attulimus: *nostrum concurrere esse permittere nos ab ipso moveri coagendo Deo ad ostium pulsanti.* Permittere enim non est *agere,* sed *non resistere*[1], quum possis, idque scienter ac deliberate. Sed hoc est vere uti libertate, nec, ut in re supernaturali,

---

[1] Quod quidem non est inane quiddam ac nihil, ut quum homo dormiens non resistit. Id enim naturale esset nec ad gratiae operationem ullo pacto disponeret, quemadmodum alio loco ipse Sotus explicat: in libr. IV. sentent., p. 435.

fieri nisi virtute gratiae potest, quam illud consequitur; praecedit autem *actum consensus* ad eumque disponit; quae dispositio si non accessit, quia voluntas restitit, nihil fit, quantumvis gratia impulerit voluntatem. Etenim una est eademque animi potentia, quae excitante gratia indeliberate, adiuvante libere movetur; inchoat autem quodammodo actus ille indeliberatus deliberatum, ut, ubi primum animus se moveri intellexerit, concursum Divinum sive gratiam adiuvantem sciat sibi offerri atque adesse; qui si se *permittit moveri coagendo Deo ad ostium pulsanti,* Deus gratia adiuvante actum liberum perficit atque absolvit, quem priore motione inchoaverat. Ita intelligitur, qua ratione Deus, quum consensum liberi arbitrii exspectet, tamen id ita ad actum liberum moveat, ut gratia adiuvans causa sit effectrix actus eumque natura antecedat. Tenendum est, proprium libertatis usum ab iis, qui hanc sententiam amplexi sunt, non in actu poni, sed in permittenda motione gratiae [1]; sic intelliges, omnem Soti sententiam, quam non modo Medina Dominicanus, eius auditor [2], sed Bellar-

[1] Valentia, studiosissimus Molinae defensor, qui Salmanticae studiis dederat operam, rem paullo aliter ac nos explicat. Disp. 8. q. 5. punct. 4. § 4. Venetiis 1600. p. 1026. Idem fere, quod Bellarminus, Aegidius Romanus, S. Thomae discipulus, docuerat.

[2] Hac in re Medina Sotum magistrum secutus ad ipsius explanationes remittit. Dicit autem planissime: „Deus exspectat nostrum consensum, ut nos ad se convertat . . . nam si non exspectat nostrum consensum, quorsum stat ad ostium et pulsat?“ In 1. II. q. 109. art. 6., ed. Coloniensis 1619. p. 1538. Deinde: „Exspectat nostram voluntatem, ut sequatur et obediat divinae motioni,“ l. c. p. 1542. Rursum: „Deus nemini denegat auxilium gratiae necessarium et sufficiens ad salutem . . . Deus geminum donum suae gratiae conferre solet peccatoribus: alterum quo possint resipiscere et salvari, et hoc donum universis hominibus confert, de quo dicitur: Ecce, ego sto ad ostium et pulso etc.; alterum est auxilium efficax, quo homo efficaciter convertitur et salvatur; . . . efficaci Dei motioni nemo resistere potest. . . Auxilium efficax Deus non proprie negat. Deus enim paratus est conferre auxilium efficax, si homines *non contradicant et resistant*“ (art. 10. p. 1575.). Prorsus idem saepius repetit pp. 1576. 1577. Porro: „Qui amplectitur sufficiens auxilium, excitatus a divina gratia, et eo recte usus fuerit, habebit auxilium efficax fidei et caritatis, quo efficaciter convertatur ad Deum; et hunc sensum praetendit Divus Thomas, quando dicit supra art. 6, quod facienti quod in se est ex divino auxilio Deus non denegat gratiam, id est, *recte utenti auxilio sufficienti* et divina inspiratione absque dubio dabitur auxilium gratiae efficax; simile quid docet Concilium Trident. sess. VI. cap. 9.“ (p. 1578. et 1579.) Denique: „Hoc auxilium sufficiens est motio et inspiratio divina, qua quisque homo excitatur, ut recte vitam instituat . . Hoc auxilium est sufficiens ad salutem, si homo *utatur eo et non contradicat.* . . Iste usus, quamvis sit do-

minus quoque[1] aliique viri a recentiore Thomismo alienissimi secuti sunt, revera Bannesii doctrinae contrariam esse; quae etiam causa fuit, cur a Bannesianis impugnaretur. Non enim ille inter gratiam usum libertatis praevenientem et hunc ipsum usum ullam

---

num Dei, est in libero arbitrio divinitus adiuto" (p. 1580.). In his omnibus locis, quorum numerum facile est augere, sufficienti gratia uti prius est quam efficacem accipere; quum autem dicit *uti*, intelligere videtur: deliberate non resistere. Itaque infallibilitatem motionis Divinae comparat cum imperio efficaci intellectus, quod libere tollere possumus quodque ita fit efficax, si voluntas id non tollit (q. 10. art. 4. p. 313.). Nec hic tamen nec Sotus satis semper perspicue locuti sunt. Necdum enim difficillima quaestio, quae paene superat vim intelligentiae humanae, satis erat explicata. Mirari igitur non debemus, quod Medina nonnunquam ita praedicet gratiae virtutem, ut secum ipse pugnare videatur. Immerito autem a Suaresio accusatur, quod cum Bannesio praedeterminationes *invenerit*. Primarius ille locus (Medin., 1. II. q. 109. art. 10. extr.), unde Suarez argumentatur (De auxiliis divinae gratiae lib. III. c. 7., ed. Vivés, XI. 183), is est, unde contraria argumenta supra deprompsimus, quum nunquam determinationem statuat, nedum physicam praedeterminationem, nec Bannesio satisfaciat (V. in 1. partem q. 23. art. 3. extr.). Quamobrem in interpretando illo Valentiam sequi maluimus. Medinam discrepare a recentioribus Thomistis, quum gratiam efficacem dicat esse indeliberatum animi actum *(motionem divinae inspirationis)* supra vidimus. Ipsum autem Bannesii sententiam *novam et inauditam* nominare, postea ostendemus.

[1] Planius quam Valentia eam sententiam Bellarminus explicavit eamque amplectens a quibusdam scholae S. Thomae principibus defendi dicit. Quod testimonium eo est gravius, quod ante editam Molinae Concordiam scriptum est. Ipsum audiamus. „Quomodo," inquit, „Deus moveat voluntatem eam applicando, et tamen non determinet, sed relinquat determinationem in potestate voluntatis, explicat idem S. Thomas 1. II. q. 10. a. 4., ubi dicit divinam motionem recipi in causis secundis secundum earum dispositionem. Et fusius hoc explicat in q. 3. de malo a. 2.: Attendendum, inquit, est quod motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum etc. Et hoc est quod Capreolus, Cajetanus et Ferrariensis dicunt, influxum Dei modificari et determinari a secunda causa; quia unumquodque recipitur secundum modum et dispositionem recipientis. Porro hic modus et dispositio prior est aliquo modo tum actione voluntatis, tum motione et influxu Dei, ut patet, cum praesupponatur; et nihil est aliud nisi negativa quaedam determinatio, qua voluntas sinit se moveri ab obiecto per intellectum proposito vel resistit, non aliquid agendo, sed non agendo. Ita enim negativa determinatio sine omni actu esse potest, et ideo non eget influxu Dei, et est prima radix libertatis. . . [Electio] est libera, quamvis necessario sequatur, posita motione Dei; quia videlicet ipsa motio Dei est aliquo modo in potestate voluntatis, cum dependeat ab illa negativa determinatione voluntatis, quae (ut diximus) non eget influxu Dei." Liv. de Meyer, p. 782. Similiter Bellarminus disserit in controversiis, De gratia et libero arbitrio, l. 4. c. 16

statuit esse intimam connexionis necessitatem, nec, qui cum eo sentiunt, ullo pacto carere possunt scientia media, quemadmodum recte et Molina illum impugnans [1], et Bellarminus eundem defendens [2] dixerunt, et Alvarez, recentiorum Thomistarum dux, fatetur [3].

Cum nostra interpretatione egregie congruit, quod de praescientia ac praedestinatione Divina Sotus scripsit. In praedestinatione gloriam aeternam dicit intentione prius esse, executione posterius. Praedestinamur enim ad gloriam et ideo ad gratiam, qua usi, adiuvante Deo, bene operando illam consequamur [4]. Ut praedestinatio, ita vocatio praedestinatorum *certissima* est (in cap. VIII. v. 30. p. 241). Efficacem ille quidem omnem vocationem appellat, *quae sortiatur effectum;* sed efficacis vocationis duo sunt genera, alterum ad tempus, ut Iudae, alterum vi decreti praedestinationis, quae, ut dixi, certissima est, ut ipsum decretum. Nulla est autem efficax vocatio nisi nobis libere consentientibus, et „quia nostro opus est spontaneo assensu, postquam dixit Christus, neminem posse venire ad Patrem, nisi quem ipse traxerit, subiunxit: omnis, qui audivit a Patre et didicit, hoc est, auscultavit et assensit, venit ad me“ (l. c.). Deinde Sotus, quod dixerat Deum non ob bona opera praevisa praedestinare, sibi ipse obiicit illos Patrum locos, quibus contra docere videntur, imprimis illud S. Ambrosii: eius Deum misereri, quem sincere ad se rediturum praeviderit; eum vocare, quem auditurum, non vocare, quem recusaturum esse praenoverit. Difficultatem dirimit cum S. Thoma: huiusmodi opera aut esse dispositionem ad gratiam aut causam finalem, cur Deus gratiam largiatur (in c. IX. v. 22. 23. p. 274.). Praescientia, cuius hoc loco mentio fit, media sit necesse est; dicitur enim Deus, *antequam vocare* aliquem decernat, praevidere, utrum gratiae consensurus sit *necne,* atque ita gratiam ad illud opus praevisum efficiendum concedere. Existimat igitur Sotus, quamquam id non nominatim concludit, quum gratiae vocatio et potiri effectu et carere possit, ut praedestinati *certissime* vocentur, eos hoc modo vocari a Deo, quo efficacem fore vocationem praeviderit. Simile est aliud, quod idem ille

---

[1] In q. 14. art. 13. disp. 53. membr. 2. p. 255.

[2] De gratia et libero arbitr. l. c.

[3] Disp. 105. n. 6. p. 830. V. supra p. 12. not. 3.

[4] Comment. in ep. ad Rom. in cap. I. v. 4. p. 20. 21; in cap. IX. v. 22. p. 273.

pronuntiat, Deum ea subsidia, quibus nos ad finem praedestinationis ducturus sit, *in nostro reliquisse arbitrio ad hunc sensum, quod possimus ea renuere* (l. c. p. 281). Absolvenda est igitur Soti doctrina scientia media, atque illud notatu dignum est, eum non modo cum Patribus et medii aevi theologis statuisse praevisionem actionum aliqua conditione futurarum, sed eam Dei propriam esse docuisse. „Multae sunt [enuntiationes] conditionales promissivae, quas solus Deus scit, veraene sint an falsae; nam ipse solus scit, an si tu implesses conditionem, ego implessem promissum.“ [1] Dixerat ante, in huiusmodi enuntiationibus non *illationem* affirmari, sed ut verae essent, satis esse, non posse prius evenire, nisi posterius consequeretur. Non igitur decreto praedeterminationis, ut Thomistae volunt, quod actus necessaria *illatione* consequitur, inniti Dei praescientiam censebat. Nec vero omnia perspicue disserit ac modo praedestinationem ante praevisa merita defendit, modo diversa et pugnantia dicit. Posteriores demum tot tantaeque disputationes clarius his omnibus rebus lumen attulerunt.

Andreas de *Vega* Franciscanus, cuius idem Reginaldus testimonio utitur, in amplissimo de iustificatione libro libertatis gratiaeque rationem explicans Sotum omnino secutus est; quamobrem, quae ex eo recentiores Thomistae usurpare solent de gratia adiuvante disputata, ad illius sententiam interpretemur oportet. Quam non Bannesiana praeter cetera haec sunt [2]: „Tam potentem fecit,“ inquit, „propter suam summam sapientiam et misericordiam, nostram voluntatem, et tam admirabiliter suum omnem concursum et omnem suam scientiam et praedestinationem et voluntatem illius arbitrio subiecit, ut possit ipsa de se quicquid voluerit statuere, et per se censeri posse, quae per unum ipsum specialiter adiuvantem potest. Et ille ita scit et voluit omnia futura contingentia, quae nostro arbitrio subiecit, ut illius scientia et voluntas nihil nostrae praeiudicent libertati. Neque nos aliter nostrae saluti debemus per observantiam mandatorum intendere et ipsius opem assiduis et importunis gemitibus flagitare, quam si nihil ipse prorsus de nobis neque scivisset, neque statuisset, sed nostram prorsus exspectaret ad omnia voluntatem. Potest namque, quod ut maxime mirabile, ita et verissimum et certissimum

[1] Summularum lib. 3. cap. 8. lect. 3. § 1. et 2.; cfr. Ruiz, De scientia Dei, p. 671.

[2] De iustific. lib. 12. c. 22. (rectius 23., ed. Colon. p. 477.)

est, potest (inquam) absque ulla prorsus sui mutatione et scire et velle, immo et scivisse et voluisse ab aeterno opposita omnium eorum, quae de nobis praescivit et praevoluit.“ His ultimis verbis illam tueri videtur de praescientia Dei opinionem, quam in Romaeo vidimus. Longius etiam, quam oportet, progressus voluntatis libertatem propugnans *Omnem*, inquit, *suam scientiam et praedestinationem et voluntatem nostro arbitrio subiecit*. Neque cum dicit: quisquis recte utatur donis naturalibus, ei demum gratiam sufficientem a Deo datum iri (l. 13. c. 12. p. 522.), mediocritatem satis tenere videtur, ut aliqua in eo interpretando indulgentia uti necesse sit. Sed iam satis dictum est, quo appareat, quam immerito Vega ut testis pro Bannesii doctrina sit appellatus.

Atque hi soli sunt theologi, quos sessioni VI. Tridentini interfuisse Reginaldus commemorat. Si vis ac sententia eorum, quae Tridentinum de gratia et libero arbitrio docet, ex illis viris dimetienda est, certissime Concilium doctrinae nostrae Societatis maxime favet. Alii vero theologi a Reginaldo laudati non sextae, sed ultimis Synodi sessionibus affuerunt. Atque ex iis quidam sunt tam obscuri, ut eorum opera ne in maximis quidem bibliothecis reperire potuerim; nonnullorum vero testimonia Reginaldus mutilavit et in alienum sensum detorsit; aliorum verba nihil aut pro Bannesianis aut contra eos demonstrant; quis enim inde, quod gratia *impulsus* nominatur, *praedeterminationem physicam* concludere poterit? Duos tantummodo ex 40 theologis a Reginaldo laudatis doctrinae Bannesianae indubie faventes reperi: Petrum Sotum et Sotomaiorem, utrumque O. Pr. Illum cum Bannesio concordare, ultro fassi sumus (p. 134), huius vero opus: *Cantici canticorum interpretatio*, controversiis iam diu agitatis, editum est ideoque nihil hic probat; multos enim Dominicanos Bannesium secutos esse, nemo est qui neget. Sed Reginaldus testes pro Bannesii causa appellare audet

Michaelem Minoritam, qui ipso loco laudato (Christianae Paraenesis sive de recta in Deum fide libri septem, l. 3. c. 1. p. 87 B.) affirmat, se praedestinationem ante praevisa merita *ex animo odisse;*

Ariam Montanum, qui loco laudato (Comm. in Isaiam c. 26.) de operibus divinae providentiae, non de nostris liberis actibus agit;

Episcopum Ioannem Antonium Pantusa, qui quantum a Bannesii doctrina dissideat, his verbis patefacit: „Animadverte, Thomista, qui sub tanto duce militas, quod prima causa movet non

praemovendo causam secundam.“ (Opusculorum tom. 2. tract. 1. de lib. arbit. apud Henao l. c. n. 507.)

Sed haec sufficiant. Infinitum enim est omnes locos, quos Reginaldus pro sua sententia laudat, explanare vel corrigere. Neque est necessarium, quum abunde sententiam theologorum Tridentinorum ostenderimus.

Ergo communis fuit tempore Tridentini Concilii doctrina doctorum Catholicorum, Deum, quemadmodum Sotus dicebat, gratia sua nostrum efficere consensum, *si tamen* libere cooperaremur. Quam communem theologorum opinionem Molina cum Lessio complexus in invidiam incurrit recentiorum Thomistarum eam repudiantium.

Quae comparatio esset efficacium gratiarum ad liberum hominis arbitrium, non aeque perspicue erat explicatum; ita ambigi potuit de huiusmodi sententiis in Salmanticensi schola pervulgatis: si eo modo, quo moveat Deus, homo moveatur, illudque causa praevia sit, quam hoc consequatur, id ipsum verum esse oportere et de excitante gratia et de adiuvante, quae actum consensus efficiat. Dominicus Sotus, cuius erat nomen celebratissimum Salmanticae, et Medina, qui eum sequebatur, tum illam communem theologorum sententiam tum has conclusiones docuerunt, atque ceteros Salmanticenses cum illis fratribus suis consensisse, existimare licet. Quibusdam, ut Petro Soto, illa pugnantia visa sunt. Quomodo autem inter se concilianda essent, etsi via aliqua patebat, ii, qui illa defendebant, potius significaverant quam demonstraverant. Ita fieri potuit, ut et Bellarminus et Valentia illam Dom. Soti sententiam a Societatis doctrina non alienam existimarent atque amplecterentur, eandem ipse Molina et Suarez impugnarent. Intelligitur etiam, ut ex eadem schola Salmanticensi duo viri prodire potuerint, qui de gratia et libertate diversissime opinarentur, Toletus et Bañez. Denique intelligitur, ut hic alter, excitatis altercationum diuturnitate animis, praetermissis omnibus sententiis contrariis, illas posteriores tantummodo consectatus, suam de physicis praedeterminationibus doctrinam formare et discipulis probare potuerit.

7. Quam Societas Iesu ab ipsa origine de gratia sententiam secuta sit.

Condita Societas est ea aetate, qua fatentur adversarii (p. 134 s.), *omnes* ac nominatim Academiae Parisiensis theologos in ea opinione fuisse, *accepta* gratia, hominis esse, velletne libera deliberatione illa uti, an eam repudiare. Quid mirum igitur, quod in illa universitate orta Societas communem tum doctrinam, quam magistri sui probarunt, inde mutuata est? Quod ita esse et Habertus ille Doctor Sorbonicus testatur et ipsi Iesuitae profitentur. De gratia quidem ille haec habet [1]: „PP. Iesuitae a Doctoribus Scholae Parisiensis didicerunt, cuius foecundissimo gremio ortum doctrinae suae, incunabula ac incrementa debere se non inviti agnoscunt et gloriantur.“ Cui consentiens P. Poussines [2] in huius controversiae historia manuscripta (bibliothèque de Bourgogne, Bruxellis, F. 523.) sic scribit:

„Ex quo nostra S. [I.], non dicam condita et confirmata, sed designata et inchoata est, omnes qui literas hasce theologicas verbo, scripto aut quoquomodo tractaverunt, mirabili unanimitate consensus in eam circa concordiam libertatis humanae cum gratia sententiam, ubicumque gentium viverent, conspirasse reperiuntur, ut consone semper universi profiterentur, auxilium divinum humanae voluntati applicitum nullam ei antecedentem necessitatem inferre, neque eam per illud physice et ineluctabiliter ad opus determinari. Haec fuit semper totius nostrae familiae quasi traditio domestica, a primis decem Patribus, praesertim Lainio, Salmerone, Fabro, Iaio, Bobadilla, qui partim in Concilio Tridentino, partim in congressibus et concertationibus cum haereticis, occasionem de his agendi crebriorem habuerint, ad alios deinceps inoffenso fluxu propagata. Ribadeneira, Canisius, Augerius, alii

[1] Theol. Graecorum Patrum, l. II. c. 6. n. 1. ed. Wirceburg. 1863. p. 204.
[2] Historia controversiarum, l. III. c. 4. n. 7—10. p. 244 ss.

multi proximi a primis et cum iis familiarissime versati sententiam eandem sine ulla dubitatione tenuerunt; quam deinde in concionibus, in praelectionibus, in sermonibus quotidianis quotquot per Italiam, Germaniam, Galliam, Angliam, Hispaniam vel catholicis instituendis, vel haereticis revincendis qualemcumque operam dederunt, constantissime professi sunt. Cuius etiam in scriptis omnis generis varie per ipsos editis, quoties incidit occasio, vestigia luculenta reliquerunt (p. 246). Scientiam conditionalium Alphonsus Salmeron, ut antiquissimum nominem, tanto ante disertissime agnoverat (Tom. 4. part. 3. tract. 14. p. 499. edit. Colon.)." Nec vero ipsa tantum per se Academia Parisiensis ad formandam Societatis doctrinam vim non mediocrem contulit, sed quum Franciscus de Victoria, illius scholae alumnus, Salmanticam omnem eius studiorum doctrinaeque rationem transtulisset ac huic universitati summam theologiae laudem conciliasset, inde primi clarissimique Societati Iesu theologi accesserunt: Ledesma, Toletus, Maldonatus, Valentia, e quibus Toletus quidem Romae professores universae Societati formavit, et, quemadmodum recte Werner dicit, renovatam in Hispania doctrinae Catholicae rationem in illius scholas induxit [1]. Ut Romae Toletus, ita Maldonatus Lutetiae et Valentia in Germania et fecit et docuit; erant autem omnes a recentiore Thomismo alienissimi.

Ipsa autem omnium Societatis theologorum in summa re consensio nihil a Molina novi inventum, sed notionem libertatis pervulgatissimam explicatam esse demonstrat. Laboratum est admodum studiose, ut Iesuita reperiretur, qui de gratia aliter sentiret; quam frustra, satis desperata illa contentio ostendit, quum tentatum est [2], ut ipsos Marianam, Vasquesium, Bellarminum opiniones Thomisticas probasse ostenderetur. An quisquam est, cui secundum Deum rectius Societas, quam illi Cardinali, referat acceptum, quod suae doctrinae sinceritas conservata sit, qui quidem moribundus coram testibus professus est, se suam de gratia sententiam non mutasse? [3] Quis autem Vasquesio studiosius inter primordia disceptationis in Hispania Bannesianos aggressus est? Cuius mens fuit a recentiore Thomismo alienior quam Marianae? [4]

---

[1] Franc. Suarez, p. 32.

[2] Serry l. I. c. 16. 17. ed. 2. Antv., p. 86. 89 ss.

[3] De qua re vide Liv. de Meyer, Hist. II. 19. 20. p. 145 ss. et Hist. vindic. l. II. 11. 12. p. 144 ss.

[4] Liv. de Meyer (Hist. II. 21. Hist. vind. II. 15.) fabulam praeclare di-

Ne Henriquez quidem recte affertur a Bannesianis, quemadmodum et Possinus et Livinus de Meyer uberrime probant.

Nec tamen illi quieverunt; probare aggressi sunt, in concentu opinionum Societatis illud desiderari, in quod omnes consonare oporteret: nam *Thomistam* fuisse Ignatium, a cuius vestigiis Societas aberrasset. De qua re fabulam confinxere Massoulié et Serry, atque illud nobis malum attulerunt, ut recentiores scriptores Germaniae nonnulla eorum commenta probaverint. Serry ipsos primos S. Ignatii socios, Lainium et Salmeronem, novarum opinionum studiosos fuisse dicit; prospectum ab illo periculum hosque admonitos esse, quum ut theologi Pontificii ad Concilium discederent. Persuadere autem studet, auditam non esse admonitionem; ea enim in Concilio proposuisse Lainium, unde quodammodo proseminata sit, quae paullo post excreverit, doctrina Molinistarum. Item fecisse Salmeronem. Ignatio mortuo nihil habuisse antiquius primam Congregationem generalem, quae Lainium praepositum elegerit, quam ut illius legem, S. Thomam sequendum esse, clausula adiecta tolleret et modificatam temporique accommodatam doctrinam substitueret. Haec initia explicata atque absoluta esse Aquavivae Ratione studiorum. Ea ubi edita sit, illico prodiisse, qui ante nihil novare ausi essent; Lessium et Hesselium disputationes Lovanienses excitasse.

Depravat atque tollit veritatem huiusmodi opinio de tantae controversiae origine. Monuit omnino suos Ignatius, ne in Concilio novis opinionibus facile assentirent; num id demonstrat, visos illos novarum opinionum studiosos? Commune hoc quidem periculum est ingeniosissimi, navissimi, doctissimi cuiusque. Prudentiae igitur fuit Ignatii, quod ita fecit, etsi nullum vitium in illis animadverterat. Proposuit etiam Lainez in Concilio hanc sententiam minime Bannesianam: Deum posse vocatione extraordinaria necessitatem inferre voluntati. At Patres eius sententiae ratione habita quarti canonis de iustificatione formulam priorem mutarunt [1]; et Dominicus Sotus Ord. Praed. hanc eandem opinionem probavit in eo, quem post VI. sessionem edidit, libro De natura et gratia [2]. Id igitur factum, e quo argumentum Serry sumit,

---

luit. Ipse Baylius in lexico, ut genuinum atque integrum esse libellum de Societatis Iesu regimine, qui Marianae tribuatur, neget, illud affert, quod in eo illa sententia contineatur, quam *Thomistae* usurpant.

[1] Pallavicini, Hist. Conc., l. 8. c. 13. Theiner, Acta authentica, I. 228. 229.

[2] L. 1. c. 16. ed. Paris. 1549. p. 59.: „Necessitari tamen voluntatem a

hoc unum demonstrat, et Patres Concilii et ipsorum Praedicatorum in eo oratorem non idem, quod Bannesianos, sensisse. Sed minuta haec quidem sunt et exilia.

Maius est, quod de D. Thomae doctrina sequenda Ignatius suis praescripsit [1]. De qua re Constitutiones (P. IV. c. 14.) sic habent: „Legetur doctrina scholastica divi Thomae. Declarat. B. Sed si videretur temporis decursu alius auctor studentibus utilior futurus, ut si aliqua summa vel liber theologiae scholasticae conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior videretur, gravi cum consilio et rebus diligenter expensis per viros, qui in universa Societate aptissimi existimentur, cumque Praepositi Generalis approbatione praelegi poterit." Cuiusmodi librum ut conscriberet, Lainio ipse mandavit; qui quum ad Concilium vocatus esset, res intercidit. Patres autem illi tres, quibus Ignatius Constitutiones revisendas commiserat, ita tamen ut verba, non rem mutarent, pro „alio auctore" substituerunt „aliam theologiam huic [S. Thomae doctrinae] non contrariam". Ignatii verba reponenda esse prima Congregatio statuit. Sic se res illa habet. Videamus nunc, quomodo eam Serry exponat. Gravissimae accusationis rationem praecipuam in priore editione reddit illam ipsius S. Ignatii declarationem modo a nobis allatam, quam a prima Ordinis Congregatione profectam esse opinabatur. Quo errore a Livino Meyer refutato, in altera editione obiecit, quod prima Congregatio Ignatii legem ita mutasset, ut illa verba: „huic [S. Thomae] non contraria" deleret. Iterum erravit. Congregatio enim ipsam Ignatii scripturam, quam revisores illi mutaverant, restituit. Declarationem autem illam non est, cur defendendam putemus, quum in mentem venire nemini possit, ut Ignatii Constitutiones sollemni Ecclesiae iudicio confirmatas impugnet.

Nec *Ratio studiorum*, quam Serry reprehendit, digna est vituperatione. Ea ut conficeretur, Sixtus V. postulaverat, quod eam *Constitutiones exigerent, ne Societas aut internis periculis aut calumniis externis obnoxia esset.* Cui obtemperans Aquaviva eam a magistris expertis atque peritis conficiendam curavit. Cuius adumbratio quaedam a. 1586. in provincias missa est, ut experi-

---

Deo . . . nihil vetat; sed tunc auferret illi libertatem in tali actione. . . Quod tamen nunquam facit lege communi." Hoc postremum ipsum illud est, quod Lainius proposuerat.

[1] De qua re v. prima Livini Meyeri capita Historiae vindicatae, ubi, quae Serry dicit, egregie refelluntur.

mento probaretur. Ex ea aliqua Serry affert, sed mutilata (quemadmodum ante eum idem iam fecerat P. Massoulié), ut ostendat theologos Societatis totius Ordinis nomine tum pronuntiasse doctrinam Bannesianam, quam postea tam studiose impugnaverint, veram esse S. Thomae doctrinam [1].

Adumbrata illa *ratio studiorum* haec continebat verba: „In theologia doctrinam S. Thomae, ut cavetur 4. Parte Constitutionum cap. 14., nostri sequantur, exceptis paucis, quae licet sint *aut videri possint esse* S. Thomae etc.“ Eo refertur illud: „secundas causas esse proprie et univoce instrumenta Dei et, cum operantur, Deum in illas primum influere.“ Iam vero Serry secutus Massoulié [2] haec verba omittit: „quae licet sint aut videri possint esse S. Thomae,“ tum quasi exultans exclamat, illam sententiam ab universo Ordine S. Thomae attributam esse. Atque hoc quoque falsum est, eos, qui illam studiorum rationem confecerunt, Societatis nomine locutos esse; adumbratio quaedam erat, ut dixi, ob eam ipsam causam in provincias mittebatur, ut de ea Societas iudicaret; quae illa verba tollenda esse censuit.

Ratio studiorum illa adumbrata et quae corrigenda videbantur quum ex provinciis Romam remissa essent, illa in novam formam redacta, deinde a. 1591. iterum missa est in provincias; quinta autem Congregatio generalis a. 1593. varia de ea decrevit, ut hoc (decr. 56.): „Nostri omnino S. Thomam ut proprium Doctorem habeant eumque in scholastica theologia sequi teneantur... quia nullius hoc tempore doctrina potest occurrere [de qua re *una* erat omnium sententia, ut est in decr. 41.], quae sit ea solidior aut securior, ut non immerito S. Thomas theologorum princeps ab omnibus habeatur. Non sic tamen S. Thomae astricti esse debere intelligantur, ut nulla prorsus in re ab eo recedere liceat, cum illi ipsi, qui se Thomistas maxime profitentur, aliquando ab eo recedant, nec arctius nostros S. Thomae alligari par sit, quam Thomistas ipsos.“ Deinde praescribitur, ut „nullus ad docendum theologiam assumatur, qui non sit vere S. Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino remo-

---

[1] Hist. l. 1. c. 2. ed. 2. Antverp. p. 7: „Ex quibus perspicue colligitur .. ultro fassos esse Societatis theologos, universi Ordinis nomine, etc.“

[2] S. Thomas sui interpres, diss. 1. q. 1. p. 2. et 3., ubi Massoulié locum allatum de opinionum delectu exscribens illa verba omittit, quamquam habebat ad manum rationem studiorum. Abest plurimum, ut Massoulié ea fide sit dignus, qua ad nostra ipsa tempora habetur. V. supra p. 52. n. 1. et p. 66.

veantur."[1] Atque in eiusdem Congregationis canone 9. sic est statutum: „Sequantur nostri doctores in scholastica theologia doctrinam S. Thomae[2] iuxta praxim in libro *De Ratione studiorum*

[1] In decreto 41. haec verba addita sunt: „De Conceptione B. Mariae ac de sollemnitate votorum, sequantur sententiam, quae magis hoc tempore communis magisque recepta apud theologos est." De utraque enim re S. Thomas aliter docuisse ferebatur.

[2] Quantum Praepositi generales hanc S. Thomae sequendi legem inculcaverint, patet ex binis P. Aquavivae litteris, ex quibus hic quaedam adiiciemus:

Ex litteris *de soliditate et uniformitate doctrinae.*

„Aliud est in una vel altera conclusione, solido nixa fundamento et auctoritate gravium antiquorumque scriptorum, recedere a S. Thoma, quod videtur permitti in decr. 75. Congr. V.; aliud in aliis *praecipuis, et quae tamquam fundamentum* sunt aliarum plurium, ipsum non sequi: adeo ut in decursu disputationum et rerum, doctrina neque thomistica, neque uniformis appareat, sed ita variis contexta quasi coloribus, ut qui doctrinae S. Doctoris intelligens sit, iudicet non unam esse faciem corporis uniformis. Neque vero satis est binis vel ternis locis niti sparsim collectis et per consequentias aut inconvenientia vel cum violentia adductis; quasi credendum sit eam esse opinionem Sancti Viri, quia illam quomodocumque innuit aliud agens in illis locis. Verum necesse est videre, quid sentiat, ubi ex professo id agit, et attente expendere, quid, quam cohaerenter vel dissonanter afferat cum reliquo corpore doctrinae. Profecto durum et difficile videtur, doctrinam tanquam S. Thomae evulgare, quae a versatis in hoc doctore viris nova et aliena ab illo iudicetur, et ubi sit opus ingenti subtilitate atque industria, ut perpensis nonnullis nescio unde petitis verbis propria et germana illius appareat."

Ex litteris *de observanda ratione studiorum, deque doctrina S. Thomae.*

„Quod ad doctrinae soliditatem attinet si unum Divum Thomam, uti perscribitur Canone 9. Congregationis V. Generalis, sequemur auctorem, securos nos ab hac parte reddemus, neque item longe ab uniformitate aberrabimus. Hanc namque doctrinae rationem, soliditatem scilicet et uniformitatem, spectavit Congr. Generalis in Decretis 41. et 56., unde Canon ille desumptus est. Nec sane quidquam efficiet qui dicat, non semper esse perspectam mentem S. Thomae, cum revera decreto illo dubium omne tollatur. Nam si constet aliquam opinionem adversari D. Thomae, nihil iam necesse est examinare, sit necne doctrina illa solida; quandoquidem eam sequi neutiquam debemus; quod si certum erit, eam esse consentaneam S. Doctori, certa pariter erit utraque illa doctrinae ratio, quae petitur."

Et inferius: „Ceterum putavere nonnulli, officere posse uniformitati doctrinae illam opinionum varietatem, quae in pluribus Societatis nostrae scriptoribus deprehenditur, siquidem liberum sibi esse credat quemlibet sequi de nostris, quando iam eorum libri cum facultate et approbatione Superiorum editi sunt in lucem. At hoc manifeste a nobis declaratum est, non ideo subsequentibus magistris aut scriptoribus licitum fore deinceps a Divo Thoma recedere. Si qua enim opinio in libris impressis hactenus est permissa, quia probabilis admodum et a doctis auctoribus propugnata, nam de dubiis hacte-

ponendam et a P. Generali explicandam." Huiusmodi praxim *Ratio studiorum* 1599. absoluta atque edita statuit ipsis superioris decreti 56. verbis, simul praecipiens, ut professores „ponant in eo omnem operam, ut auditores erga illum [S. Thomam] quam optime afficiantur"; excipiuntur autem eaedem illae opiniones, quae, ut est in decreto 41., S. Thomae tribuebantur, de Conceptione B. Mariae et de votis sollemnibus (reg. prof. theol. 2. et 3.).

Atque hae quidem leges, quae suam hodie quoque vim retinent, semper pro documento habitae sunt, quanti faceret Societas S. Thomae doctrinam; recteque Natalis Alexander „Societatis Iesu," inquit, „adversus S. Thomam veneratio et pietas constat ex ipsius constitutionibus et congregationum generalium decretis." Nec vero illa praecepta litteris consignata iacebant, immo vero usu servata doctrinam ipsam recrearunt ac renovarunt. De qua re audiantur intelligentium iudicia. „Iesuitarum," inquit Car. Werner, „hoc meritum est, quod post Concilium Tridentinum illi primi theologos Germaniae ad Aquinatem remiserunt omninoque vetera magnarum medii aevi scholarum vestigia repetierunt, — minus id quidem rationibus Thomisticis aut ipsius studio doctrinae adducti, quam ut in emolumentum Ecclesiae suos labores conferrent et ut disciplinam theologiae in certum ordinem redactam renovarent." [1] Natalis autem Alexander „Certe", inquit, „Societatis Iesu in S. Thomam veneratio theologos, quos habuit eruditissimos, criticosque sagacissimos et gravissimos impulit, ut in

nus dictum est, ea quidem a novitate, a temeritate, ab errore vindicabitur; at non inde conficitur, ut eam sequi debeant alii, si D. Thomae adversari cognoscetur."

Et inferius: „Quicumque docuerint opiniones Divo Thomae contrarias, vel in rebus philosophicis novas suo marte adinvenerint, aut ex obscuris auctoribus introduxerint, eas illi quamprimum retractare iubeantur, neque anni aut curriculi finis exspectetur. Nam praeterquam quod malum temporis diuturnitate inveterascit, vel etiam augetur, ipsi quoque scholastici, quibus toto anno contrarium nihil declaratum fuerit, in ea novitate confirmantur."

Et inferius: „In materiis a D. Thoma non pertractatis, in quibus propterea quae sit ipsius opinio sciri non potest, observare primum oportebit quaenam ex eiusdem principiis et a reliqua sua doctrina minime abhorrens eligi queat, quamvis enim de ea ipse non disseruerit, si tamen ipsius principiis adversatur, neque cum eiusdem doctrina cohaeret, ea doceri nusquam debebit.

„Quodsi ne quidem hoc liceret animadvertere, non tamen ideo liberum cuivis erit novam excogitare suo arbitratu aut proferre doctrinam, nisi graves et probati exstent auctores, quibus ea firmetur."

[1] Geschichte der kath. Theologie, München 1866. p. 45.

opera S. Thomae inquirerent, cuius doctrinae studium lege lata ipsis iniunxerat.“ [1]

Gravatur autem Serry in illis legibus atque hoc demum concludit, Aquavivam *Ratione studiorum* a. 1599. edita praeceptum illud de sequenda S. Thomae doctrina tantum non sustulisse. Nec vero ille quidquam fecerat, nisi quintae Congregationis decreta repetierat; quae quidem Ignatii legem, in lectionibus Summa S. Thomae utendum esse, non elevarunt, sed *severius circumscripserunt*. Nam ille permittebat, ut, si videretur viris in Societate gravissimis ac generali praeposito, ab ea discederetur, atque adeo ipse discessurus fuit, quum Lainio summam theologiae conscribendam mandavit. Id ita se habere, ex Salmeronis quoque [2] litteris intelligitur, qui illud addit, non scriptum ab Ignatio, *sequendum*, sed *praelegendum* esse S. Thomam.

Cur S. Ignatius, quum summopere coleret S. Thomam, tamen non ita severe praeceperit, ut illum sequerentur, intelligi facile potest. Duae potissimum opiniones erant, quae tum S. Thomae esse putabantur, a quibus illius mens animusque abhorrebat. Prior erat immaculatae conceptionis B. Virginis negatio, ad quod quidem mysterium mirum in modum afficiebatur, cuius amorem suae Societati instillavit. Altera illa erat sententia, votorum sollemnitatem necessariam esse statui religioso; Ignatius enim omnem Societatis constitutionem in eo reponebat, quod vota simplicia approbante Ecclesia vere religiosos efficere existimaret. In utraque re eius sententiam Ecclesia approbavit, et Pius quidem IX., qui dogma definivit de immaculato Virginis conceptu, idem Ignatii legem de praemittendis votis simplicibus professioni omnibus ordinibus praescripsit.

Massoulié [3] aliud argumentum ponit, cur Ignatius *Thomistice* sensisse censendus sit. Dicit in libro exercitiorum primum ab illo eligendi tempus significari, quum voluntas Divina virtute ita impellatur, ut nec dubitet animus nec ullo modo possit dubitare, num Dei motio sequenda. Recte id quidem, sed ea verba nullum prorsus argumentum afferunt, gratiam per sese voluntatem *ad liberum actum* ita compellere, ut declinari non possit. De actu

[1] Natalis Alex., Saec. XIII. et XIV. diss. 6. § 12., ed Ferrariens. 1762. tom. VIII. p. 348.

[2] Quarum litterarum interpretatio Gallica edita est primum a Patribus Galliae S. I. in Études, V. 577. 1864.

[3] S. Thomas sui interpres, diss. 2. q. 9. a. 1. I. 406.

enim libero voluntatis non maxime quaeritur, sed de *certa cognitione,* quam homo ex motu extraordinario, sed *indeliberato* voluntatis nanciscatur. *Cognoscendae* enim voluntatis Divinae, quid eligi potissimum velit, modi ac tempora ponuntur, et primum quidem singulare illud, quod S. Paulo contigit. Itaque *dubitandi* facit mentionem, quod intelligentiae est, non voluntatis. Quam certissimam persuasionem actum voluntatis *consequi* oportebat. Quodsi non de cognitione, sed de voluntate ageretur, qui probabit Massoulié eiusmodi actum elici libere? Socius enim et successor Ignatii, Lainez, in Concilio Tridentino pronuntiavit, posse Deum singulari vocatione voluntatem *necessario* movere, quod quidem ita non negligendum putarunt Patres Tridentini, ut can. 4. sess. VI. mutarent. In huiusmodi miraculis S. Pauli numerabatur vocatio. Sed de libertate quid sentiret, Ignatius regulis illis significavit, quas exercitiis subiunxit: „Ut cum orthodoxa Ecclesia sentiamus," quibus severe monet concionatores, ut ab eiusmodi gratiae laudibus caveant, „unde serpere possit auditorum animis *lethalis error,* negata liberi arbitrii nostri facultate." Concludit etiam Suarez ex admonitione repetita ac severa, ne in concionando vires et efficacia voluntatis excludantur, idem omnino Ignatium, quod filios eius, de gratia sensisse.

De illius mente etiam ex primorum sociorum carissimorumque alumnorum agendi modo existimare licet. Sub ipsis Lainii oculis (quem Ignatius praeceptorem esse voluit universae Societatis, quum eum summam theologiae scribere iussit) Toletus eam de gratia doctrinam docebat, quam postea Molina ac Lessius defenderunt; discipuli autem Ignatii praecipui, Manaraeus, quem rectorem constituit novi collegii Romani, et Costerus, qui fuit in primis eiusdem collegii sociis ab ipsoque magister novitiorum Coloniam missus est, summo studio summaque constantia, ut mox videre licebit, P. Lessii de gratia sententiam defenderunt. Quae cum ita sint, Societas Iesu nec in decretis de S. Thomae doctrina sequenda nec in controversia de efficacia gratiae a Conditoris sui sententia aberravit. Quid vero dici potuit absurdius, quam Serrii illud, neglecta Ignatii admonitione occasionem diuturnae contentionis allatam esse? An quidquam ille praeter fabulas atque commenta attulit demonstrationis?

Breviter ad illud quoque respondendum est, quod obiicitur, Molinam et *Molinistas* omninoque Iesuitas, quod *Nominalium* opinionibus faverent, incurrisse in reprehensiones *Thomistarum.* Quoniam vero nominalismum fere solutiorem quandam doctrinam ab

Ecclesiae mente alienam intelligunt, vituperatur Societas, quod ad eiusmodi errores accesserit. Consecuta quidem magnam illam de realismo scholae S. Thomae et nominalismo plurimorum Scotistarum controversiam haec est, quam Neo-Thomistae et Societatis Iesu theologi agitarunt; atque ita hi quodammodo in Scotistarum successisse locum dici possunt. Sed memoria tenendum est disputationem de gratia non esse inter S. Thomae scholam eiusque adversarios, sed inter duas illius scholae partes et esse aliquo modo *domesticam*. Falsum est autem vel Molinam vel omnino theologos Societatis opiniones defendisse nominalisticas. De *universalibus* quidem ne unus quidem reperietur Iesuita, qui nominalismum, paucissimi, qui conceptualismum professi sint. Liberiores vero Nominalistarum opiniones de Ecclesia, primatu, matrimonio a nullo acrius impugnatae sunt, quam a Societatis Iesu theologis. Semipelagianas denique quorundam Nominalium sententias Molinam severe atque etiam severius, quam quosdam veteres Thomistas, repudiasse infra videbimus. Quod autem de Immaculata Conceptione Societas aliter sensit ac Thomistae, id quidem nemo reprehendet. In minoribus quaestionibus et quidam Iesuitae et aliquot Praedicatores interdum ad Nominales accedunt; e qua re iniuriam feceris utrisque si ideo universam scholam notare volueris. Orta Societas est Lutetiae, ubi tum acris pugna contra Nominales ab Academia suscipiebatur, quae Salmanticam derivata est. Idem studium secutus est Ignatius. Nam et ipse apud Dominicanos studiis dederat operam et suos idem facere voluit. Accedebat, quod doctissimus quisque primorum sociorum in theologia institutor, Toletus, Maldonatus, Bellarminus alumni erant Dominicanorum. Ita tamquam per manus tradita veteris scholae S. Thomae doctrina in novam religionem translata strenue nec tamen arcte, sed ut Catholicae doctrinae rationem postulare diximus, quae ab omni tarditate et singularitate aliena sit, explicata atque amplificata est.

Quod Possinum dicere supra vidimus (p. 161) id non sic intelligi debet, ut omnes Iesuitas ab initio eadem de gratiae libertatisque ratione, quae Molinam, Suaresium, Bellarminum, plane docuisse existimemus, sed eas ab initio de gratia et de libertate notiones tenuit Societas, in quibus illae doctrinae innituntur, eamque rationem a primo tempore, quo condita est, repetere licet. Atque id ipsum iam demonstrare instituentes ex illa aetate, qua omnes idem de gratia sensisse constat, ad ipsius Ordinis primordia retro respiciemus.

1594. — „Concordia“ Molinae a. 1588. typis mandata et a. 1589. edita quum a. 1594. apud S. Sedem incusata esset, Aquaviva, generalis Societatis praepositus, diversissimarum provinciarum theologiae doctores, quid faciendum videretur, consuluit. Unum ab omnibus responsum est, Societati veterem doctrinam, usque a sua origine derivatam et communiter receptam probatamque [1]: *non per se suaque natura gratiam praevenientem infallibiliter determinare voluntatem*, tuendam, non vero Molinae librum defendendum esse; id enim suis relinquendum procuratoribus provinciaeque superioribus [2]. Tenebat igitur tum Ordo universus non a Molina derivatam doctrinam illam, quam Bannesiani impugnarent.

1585—1588. — Lessius a. 1585., h. e. tribus annis ante editam Concordiam in praedestinatione et efficacia vocationis explicanda usus erat scientia media, et a. 1587. in Academiae Lovaniensis reprehensionem incurrerat [3]. A. vero 1588., antequam *Concordia* Molinae foris data est, uberes Commentarios de *scientia conditionata,* praedestinatione, gratia efficaci et sufficiente Romam misit, ut suae doctrinae *Apologiam* contra Lovaniensium impugnationem defenderet. P. Costerus autem provinciae praepositus id dicebat Lovanii doceri a Iesuitis, quod Romae didicissent et „*per universum orbem* non solum a nostra Societate, sed ab aliis quoque doctoribus passim teneri et tradi scirent.“ [4] Oliverius autem Manaraeus idem de gratia et Romae et in clarissimis Europae Academiis sine cuiusquam dubitatione doceri affirmabat [5]. Postremo Bellarminum missis Roma literis Lessium studiosissime defendisse, et negasse a quoquam nisi ab haereticis usque ad illud tempus doctrinam eorum, qui illi adversarentur, propositam esse, supra vidimus. Unde suam de scientia media sententiam didicisset, Lessius ad Bellarminum scribens (IV. Cal. Iun. 1587.), antequam Molinae liber editus esset, his verbis significavit: „Illa praescientia conditionata, *quam ego primo a Reverentia Vestra accepi*, me in difficillimis D. Augustini locis explicandis mire iuvat.“

1584. P. Gregorius de Valentia Ingolstadii scientiam mediam propugnabat [6].

[1] Qua de re vide litteras P. Soti supra (p. 134) allatas.

[2] Possinus, l. III. c. 5. n. 14; L. de Meyer, Hist. l. 3. c. 1.

[3] Thesibus censurae subiectis 7. et 14., ex iis, quas ipse Lessius proposuit 2., 26., 27.

[4] Liv. de Meyer, Hist. l. I. c. 8. p. 19. [5] Ib. l. I. c. 18. p 59.

[6] Serry, l. I. c. 1., ed. 2. Antverp., p. 6.

1581. P. Prudentius de Monte maiore S. I. Salmanticae contra Bannesium Ord. Praedic. eas theses tuebatur, quibus et physica praedeterminatio refutaretur et scientia media defenderetur.

1573. Bellarminus Lovanii, quum primum lector esset theologiae, docebat gratiam efficacem non esse Divinam determinationem voluntatis, sed eam vocationem, qua Deus eo modo vocaret, quo hominem obsecuturum praevidisset. Id ex ipsius dictatis intelligi Costerus testatur et Bellarminus ipse Patres Lovanienses monuit. Principio illum idem de gratia sufficienti quod Lovanienses sensisse [i. e. non dari omnibus censuisse], sed sententiam mutasse [1]. Nam quum eo tempore Societas scholis theologiae etiamtum paene careret, Bellarminus ab Universitate Patavina, ubi P. Ambrosium Dominicanum praedestinationem *post* praevisa merita docentem audierat [2], ad persequenda studia theologiae in Academiam Lovaniensem missus Baium repererat doctrinae laude florentem; cuius auctoritas movisse adolescentis ingenium videtur. Sed ab ea sententia, uti dixi, brevi recessit tenuitque usque ad vitae exitum communem Societatis de gratia doctrinam idque extremo morbo laborans coram testibus sollemniter professus est.

1565. 1566. — P. Fonseca a. 1596. scripsit se triginta annis ante scientiam mediam ad praedestinationem ac providentiam explicandam adhibuisse eaque magnum sibi lumen ad solvendas difficultates allatum esse. Quam opinionem quum et Patrum et scholasticorum doctrinae congruere intellexisset, quamquam a nullo disertis verbis proposita esset, eam se et dictasse auditoribus et in sermonem quoque induxisse [3]. Item Molina a. 1595. in Concordiae editione Antverpiana scripsit, se doctum ab aliis triginta

[1] „Respondeo P. Bellarminum solum de gratia sufficienti in initio cum Lovaniensibus sensisse. Verum paulo post mutavit sententiam et docuit, omnibus dari auxilium sufficiens, atque gratiam efficacem non esse determinationem voluntatis a Deo immissam, sed vocationem, qua Deus ita vocat, sicut novit hominem secuturum. Quod patet ex ipsius lectionibus in I. 2. q. 109. Lovanii habitis: idem constat testimonio scripti eiusdem nuperrime Roma missi.“ Liv. de Meyer, l. I. c. 8. p. 21. Ipse autem de ea re Patres Lovanienses admonuerat, ut ex autographo intelligitur, quod cum multis Lessii litteris in codice manuscripto Archivi S. I. *de controversia Lovaniensi* continetur sicque inscriptum est: De apologia P. Leonardi Lessii ad censuram Lovaniensium.

[2] Fuligatto, Vita Bellarmini, l. 2. c. 2. p. 62.

[3] In Metaph. Arist. l. VI. c. 2. q. 4. sect. 8. tom. III. p. 119 sq.

retro annis in privatis publicisque disputationibus scientiam mediam proposuisse [1].

1563. Stapleton, cui Societatis de gratia doctrina omnino probabatur, a. 1588. scripsit se omnes fere Lessii sententias 25 annis ante a Toleto doceri audivisse [2]. In quibus num illae fuerint, quibus scientia media ad explicandam gratiae ac praedestinationis rationem adhibebatur, ignoramus; illud certum est, Toletum, cuius *mirificum* ingenium magister eius Dominicus Sotus praedicat, postea Societatis de gratia doctrinam amplexum esse; Sotum autem non modo tacite admittere, ut Patres ac scholae principes, sed plane docere eam notitiam rerum aliqua conditione futurarum, quae solius Dei sit propria (v. supra p. 158.); denique plurima illa ipsa aetate fuisse rerum momenta, quibus efficeretur, ut explicatis sententiis de gratia et libertate pervulgatissimis ipse nodus difficultatis solveretur gratiaeque cum libero arbitrio convenientia qualis esset, perspiceretur.

S. Augustinus semel atque iterum dicit, „nosse Deum id ad emolumentum Ecclesiae convertere, quod ad interitum haeretici excogitaverint; strepitu illorum nostram quasi e somno excitari industriam“, et „multa, quae ad fidem Catholicam pertinerent, quum per dolum ab haereticis addubitata essent, diligentius considerari et studiosius praedicari.“ Idem in hac, de qua agimus, quaestione usu venit.

Reformatores abusi illis difficultatibus, quae ex mysterio praedestinationis derivantur, dogma de libertate arbitrii impugnabant; Calvinus quidem suam de praedestinatione sententiam tamquam pro fundamento et propugnaculo statuit, unde Ecclesiam aggrederetur. Incredibile dictu videtur, quantam vim eiusmodi impugnatio libertatis habuerit ad hominum animos perturbandos, nisi id eiusdem aetatis theologi ita testarentur, ut dubitare non possimus. Romaeus quidem in libro [3], quem supra attulimus, „Solent,“ inquit, „huiusmodi bonorum operum desertores in hunc modum plerumque argumentari: Voluntati Dei quis resistet? si decreverit salvare nos, salvi erimus; si vero salvare noluerit, actum erit de nobis. Stat, inquiunt, circa unumquemque mortalium

[1] In q. 14. a. 13. disp. 53. membr. 2. p. 252.

[2] „Olim Romae ante annos 25 ex R. P. Toleto easdem propositiones fere omnes didici, quas hodie Patres Lovanii docent.“ Epistola ad Episc. Middelburgensem d. d. 11. Maii 1588. Liv. de Meyer, l. I. c. 10. p. 32.

[3] Ver. 20. p. 142.

praefixa aeterna Dei praescientia; stat firma voluntas de finali cuiusvis hominis exitu: ut quid igitur sollicitamur? ut quid annitimur? operibus bonis ut quid insistimus? Quod futurum est, inevitabiliter erit; salva igitur fide, divinae providentiae omnia committamus. Haec sunt, quae solent hi saepius inculcare, ita sane, ut etiam sordida plebecula et ipsae quoque mulierculae sic argumentari didicerint ad excusandas excusationes in peccatis, quin potius ut, abiecto honestae conversationis fraeno, effundantur quasi aqua post concupiscentias suas." Horantius autem „*multorum* esse vocem" ait ita obiicientium [1]. Et Mussus in exponenda epistola ad Romanos id summopere admiratus exclamat: „O furor furentium!" Cui rei quantum tribueretur a Catholicis, Ignatii quoque illae regulae demonstrant, quas ex libro exercitiorum supra significavimus [2]. Quamobrem theologos omnes eo studium suum conferre oportuit, ut et illam difficultatem dirimerent et quaestionem adiunctam de gratia efficaci, qua praedestinationis decreta perficiuntur, explicarent. Quod tanto magis fuit necessarium, quod Calvinus ex *efficacia* gratiae, quam et Sacra Scriptura et S. Augustinus praedicarent, argumentum praecipuum impugnandae libertatis repetebat [3]. Et, quod paullo ante Caietanus contingentiam libertatemque actuum naturarum creatarum cum immutabilibus et aeternis Dei actibus satis conciliari humana intelligentia posse negaverat, id quoque doctorum excitaverat studia, ut in tanta levanda difficultate elaborarent [4].

Postremo exstiterant medio iam sexto decimo saeculo inter theologos Catholicos acres de praedestinatione et gratiae efficacia disceptationes. Quibus rebus omnibus innumerabiles theologi excitabantur atque instigabantur, ut huic quaestioni studerent. Quod autem in ea solvenda scientia media adhibita est, id quidem mirum videri non potest. Nihil hac ratione simplicius, nihil accommodatius, significatur etiam ab ipso Augustino, ubi de gratiae

[1] Locorum cath. pro orthodoxa et vetere fide retinenda libri septem, Paris. 1566., l. 3. c. 7. p. 214.

[2] Reg. ut cum Eccl. sentiamus, 15.

[3] Dom. a Soto, De nat. et gratia, l. 1. c. 16: „Eodem pacto diluitur argumentum, quo iidem velut *Achille* passim utuntur. Si, quando Deus vel ad bonum vel ad malum nos movet, in nostra potestate esset non moveri, motio Dei non esset *efficax* ideoque adeo neque esset omnipotens contra illud: Omnia quaecumque voluit Deus fecit in coelo et in terra."

[4] In I. q. 22. art. 4. ad 1.

efficacia loquitur [1]; eiusdem mentio fit in glossa ad Rom. 9, 15., quae a S. Ambrosio derivata ad explanandam praedestinationem saepe in disputationem inducebatur et supra (p. 81. 157.) a nobis est commemorata. Praescientia enim illa glossa significata [2], quum praedestinandi, vocandi, gratiae largiendae decretum antecedat, ad quod explicandum adhibetur, et de iis quoque sit rebus, quae nec decernantur nec unquam futurae sint („illum non vocet, quem sciat non obedire"): non est rerum aliquando futurarum notitia, sed earum, quae essent aliqua conditione futurae; ea autem est scientia media, qua ante gratiae destinationem novit Deus, sitne aliquis, si gratia vocetur, obsecuturus necne. Ut scholastici plurimi, ita posteriores theologi, quum de praedestinatione disserunt, vel de hoc ipso loco vel de re agunt, quam continet. Quorum magnum numerum affert Ruiz [3]. Alios S. Thomae, Romaei, Soti locos supra tetigimus; quibus hic adiungere placet, si qui praeterea ad dogmatis historiam aliquantum afferre momentum videntur.

Driedo a. 1533. in libro De concordia liberi arbitrii cum praedestinatione [4], eadem explicatione utitur, qua Molina in Concordia liberi arbitrii cum gratia. Praedestinationem definit decretum voluntatis Divinae „sic vocandi sicque adiuvandi, qualiter aptum novit, ut obediant". Idem saepius gratiae largitionem confert cum Dei praescientia, qua conditione quisque sit cuipiam gratiae cooperaturus. Nam ubi illius e S. Ambrosio glossae meminit, „Voluit Ambrosius," inquit, „obedientiam seu cordis conversionem praevisam a Deo esse finem vocationis, perinde atque usus gratiae finis est gratiae. . . Et quia rationabile ac decens

---

[1] „Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo *scit* ei congruere, ut vocantem non respuat." Ad Simpl. l. 1. c. 4. n. 13., ed. Migne VI. 119.

[2] „Misericordiam illi praeparabo, quem *scio* post errorem toto corde reversurum ad me: hoc est, dare illi, cui dandum, et non dare illi, cui non dandum est, ut eum vocet, quem *sciat* obedire, illum vero non, quem *sciat* non obedire."

[3] De scientia Dei, disp. 67.

[4] Ed. Lovan. 1566., p. 216: „[S. Chrysostomus] intelligit, quod tunc Deus voluit vocare illos, quando sciebat eos obedituros ex sua ipsius gratia illustratos ad cognoscendum gratiam, et ita vocationem suam penetraturam animas eorum, quos etiam sic prius vocare potuisset, si voluisset, et prius sic etiam vocati obedivissent. Proinde quod dicit Chrysostomus prius vocati non obedivissent, non intelligit de illa alta vocatione, quae est secundum aeternum Dei propositum *sic vocantis sicque adiuvantis, qualiter aptum novit, ut obediant.*"

est, Deum dare gratiam ei, quem novit bene usurum gratia: idcirco dare illi est dare cui est dandum, non quidem cui debitum est dare. . . Bonus usus liberi arbitrii . . . potest itaque aliqua esse ratio motiva a Deo ab aeterno praevisa, propter quam Deus hunc et non illum ad iustificationis gratiam vel ad alium effectum particularem elegerit.“ [1]

Driedoni ii, quos nominavi, Ordinis Praedicatorum theologi, Romaeus et Sotus (supra p. 150. 157.), consentiunt. Hunc alterum sequitur in Locis catholicis [2] *Horantius* O. S. Fr., theologus Tridentinus. Idem enim dicit, quod Sotus, adiumenta praedestinationis ut consequamur, ita Deum nostro reliquisse arbitrio, ut ea libera deliberatione repudiare possimus. Deinde quum quaestionem intulisset, quid Patres intellexissent, quum Deum ita cuique gratias impertire dicerent, ut eum iis usurum praevidisset: respondet, non *quia* bene usuri simus gratiis, eas impertiri a Deo, sed *ut* bene utamur; quodsi illi censuerint, *propter* bona opera bonumque libertatis usum nos praedestinari, non causam intelligi proprie, sed praeparationem ad gratiam, quam Deus in iis futuram praeviderit, qui gratiam ac iustificationem consequantur.

Item *Sonnius* [3], doctor Lovaniensis, et *Camerarius* [4] gratiam efficacem definiunt eam, cui Deus praenoverit hominem obsecuturum. Neque aliter *Tapperus* et *Tilletanus,* uterque Lovaniensis theologus. Petrus Sotus, ut vidimus, de libertate et gratia scripserat ad Tapperum; sed is illius sententiae minime accessit „institutus“, inquit, „a maioribus meis, et praecipue ab Augustino et B. Thoma . . . cum quibus concordant et veteres scriptores ecclesiastici.“ Statuit deinde Tapperus „eam differentiam inter filios et alios, quod illi vocantur et monentur quomodo natos et dispositos novit eos Deus, ut sequantur, ut dicit B. Augustinus q. 2. ad Simplicianum, alios vero vocat non sic quod sequantur, sequi tamen possint. Quod discrimen saepe magis est ex quali-

[1] L. c. 19 b. 12 b. In mentem redeat illius rationis: qui gratiae distributionem e cognitione libere futurorum explicet, eum de hac cognitione non ita existimare ut Thomistas. V. supra p. 31.

[2] Loc. cath. l. 3. c. 7. p. 214 a.

[3] In demonstrationibus tract. 3 de passione c. 19: *Electus sic trahitur, sicut Deus aptum novit ut veniat.* (Apud Ruiz, De scientia Dei, l. c. p. 671.)

[4] De praedestinatione c. 6. § 3 (Apud Ruiz, p. 673.): „Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo *scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*“ Quae Augustini et sententia est et verba, quibus congruit illud Ambrosii: *Deum eos secundum propositum vocare, quos obaudituros praescivit.*

tate et affectu eorum qui vocantur, quam est ex vocationis, inspirationis aut suasionis veritate aut differentia." [1]

Quarum litterarum editores, Molinistarum adversarii, hanc notam subiungunt [2], Tapperum efficaciam gratiae non (ut Thomistae faciunt) ex vi eius propria, sed ex eius congruitate derivare. Idem facit Tilletanus, qui particeps fuit illius inter Sotum et Tapperum disputationis, quamquam huic alteri non omnino consentiebat. Negat cum Tappero, quod de praedeterminatione dicunt Bannesiani, praeter excitantem gratiam alia opus esse, qua efficiatur, ut illa recte utamur; ut ille, sic hic gratiam distinguit, quae ita congruat hominis inclinationi, ut obsequatur, et alteram, quae voluntatem trahat quidem, sed non ita, ut Deus consentaneum esse voluntati praeviderit. Longius etiam progressus causam indicat, cur Deus vel cooperaturum hominem praenoscat vel secus: quod *scrutator sit cordium*" [3]; id ipsum et Molina dicit et Bellarminus.

In ampliore Explicatione articulorum Lovaniensium latius illud edisserit Tapperus, quod scribens ad Sotum breviter significat. E qua intelligitur, quamvis gratiae efficaciam ex eius congruitate repetat eamque definiat illam, cui Deus praenoverit hominem obtemperaturum, eum tamen nondum perspexisse, magnam illam quaestionem hac ratione persolvi. Laborat enim, ut explicet, quo modo gratia infallibiliter efficax cum libertate conveniat idque se satis demonstrare non posse ostendit. Quidni occurrit illi, si praevideat Deus hominem certo modo affectum certae cuidam gratiae obsecuturum esse, falli huiusmodi praenotionem non posse et gratiam ita collatam effectum certissime nacturam, tantam denique rem explicatam confectamque esse? Accidit autem, quod in illo ovo Columbi. Propositiones, unde dirimenda quaestio erat, notae erant omnibus atque adeo verbis significatae: explicatius tantummodo apprehendi oportuit veritatem. Urgebant autem tempora, uti vidimus, nec haereri diu potuit. Decem post annis certum est rem a Fonseca plane enuntiatam; cui honorem debitum tribui oportet; nihil enim de alio quoquam constat; quamquam fieri potuit ut Toletus quoque et Bellarminus idem per se ipsi invenerint. Sed utut est, consequens fuit ex illius aetatis

---

[1] Literae missae et remissae exstant in eo, quem Quesnellus edidit, Reginaldi libro De mente Tridentini. Loci illi sunt pp. VI. et XII. ed. Antverp. 1706.

[2] Praefat. p. 24. [3] Pag. CIV.

theologiae ratione; quo factum est, ut sensim per universam serperet Societatem, priusquam Molina Concordia sua doctrinam diligenter explicatam in medium protulit. Atque audisse se scribit Henao a quodam e senioribus Societatis Patribus, P. Ioanne de Montemaiore, qui multo ante editam Concordiam theologiam Cordubae docuerat: et Molinam Eborae et Valentiam in Germania et Suaresium Romae et Vasquesium Compluti et Lessium in Flandria et se Cordubae nullis collatis consiliis in eandem sententiam de gratiae efficacia venisse eamque auditoribus suis dictasse [1].

Iuvat ultra quaerere, fueritne aliqua occasio Fonsecae, qua moveretur, ut a scientia visionis mediam distingueret eamque ad gratiae doctrinam transferret. De qua re quum nihil ipse dixerit, tantum opinari licebit; est autem admodum probabile occasionem Camerarii libro de praedestinatione allatam esse. Is iurisconsultus fuit Beneventanus, vir in theologia non segniter versatus. Qui se 39 annos ait operam dedisse D. Thomae, quem ducem atque *aurigam* (p. 97. 103.) elegerit; Nominalium nugas contemnebat (123.). Illo autem libro, quem Margaritae Valesiae inscripsit, Protestantes confutat; eum Parisiis a. 1556. edidit, paullo antequam doctrinam suam explicavit Fonseca. Camerarius Divinam providentiam et praedestinationem vindicans argumenta sumit e glossa illa Ambrosiana, qua manifestum est scientiam mediam significari. (Vide p. 81.) Probare studet SS. Patres et scholasticos cum Ambrosio consentire. Docet aeterna de distribuenda gratia decreta hac Dei praescientia praeverti, utrum homo, si certam quandam gratiam acceperit, ei obsecuturus sit necne. Quam praescientiam decreta antecedentem necesse est intelligi mediam (v. p. 31); existimat autem, „contra *omnium* opinionem esse, nullam praescientiam Dei electionem vel reprobationem speciatim factam praecedere.“ (P. III. c. 1. pag. 183.) Augustini doctrinam cum illa glossa congruere sic demonstrat: 1. Ambrosii doctrinam de praedestinatione ab ipso Augustino (de bono persev. c. 19.) comprobari (p. 112.); 2. praedestinationem ab Augustino definiri *praescientiam et praeparationem beneficiorum Dei;* prius igitur poni praescientiam, deinde praeparationem (p. 114.), 3. aliis locis plurimis illam praescientiam (mediam autem intelligi necesse est) proponi: Christum in mundum venisse ea aetate, qua homines in eum credituros esse Deus praenoverit; ante creationis decretum

---

[1] Scientia med. historice propugnata. Ed. Dilling. Event. 46. n. 1248. p. 323.

praescivisse Deum, num homines peccaturi essent, et quid ipse boni ex malo derivare posset; dictum ab homine catholico, ideo apud Tyrios evangelium praedicatum non esse, quod exploratum fuisset Deo, eos in fide perseveraturos non esse. Concludit autem Camerarius: qui talia cum Augustino profiteatur, eum *omnium* rerum futurarum praescientiam in Deo esse existimare. Itaque insignem quoque illum locum appellat, quo Iesuitae postea usi sunt, e libro ad Simplicianum: „Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo *scit* ei congruere, ut vocantem non respuat.“ Idem tamen, qui, dum de gratia disserit, perpetuo utatur scientia media, eam a visione non distinguit, atque ita saepe obscure loquitur, aliquando labitur atque errat. Sed quum tantam materiam demonstrandae atque applicandae scientiae mediae attulisset, ille summo vir ingenio (erat enim Fonseca inter Conimbricenses et acumine et laude facile princeps) adductus impulsusque est, ut rem distinguendo perficeret atque absolveret. Alia etiam ratio offertur, cur ita existimemus. Tria enim illa, ad quae potissimum Camerarii liber spectare videtur, Fonseca dicit praeter cetera primis suis disputationibus de scientia media proposita fuisse: 1. eam decreta voluntatis Divinae antecedere, 2. illustrare Dei „providentiam et praedestinationem“, 3. Patrum et scholasticorum sententiis consentaneam esse. Manet igitur illud Fonsecae meritum, quod a scientia visionis mediam primus distinxit, eam argumentis confirmavit atque ad *communem* gratiae doctrinam transtulit, quam quidem, re nulla novata, hac ratione maxime collustravit.

---

8. Disputationes Lovanienses de efficacia gratiae.

Disceptatio de gratiae efficacia inchoata in Concilio Tridentino non ita multo post Lovanii suscepta est [1]. De litteris inter Tapperum et P. Sotum communicatis diximus. Acrius verbis disputabatur. Duo erant in Academia Lovaniensi adolescentes, docti illi quidem, sed qui et in studiorum et aliquanto post in docendi ratione omissa vetere scholae consuetudine [2] ad Protestantes paullo propius accederent. Qui fuerunt Michael de Bay (Baius) et Ioannes Lovaniensis (Hesselius). Hi, contempto studio magnorum medii aevi suaeque aetatis theologorum, omnem in Scripturam et Augustinum laborem contulerunt. Consequens fuit, ut ipsa illa singularitate in errores inciderent non multum ab haeresi Protestantium remotos. Quum eiusmodi novas de gratia et libertate opiniones Lovanii recipi ac probari coeptas magnopere doleret Tapperus, eas et in disputationibus publicis [3] saepe aggrediebatur, atque, ut erat S. Augustini peritissimus, ex ipso Baianas opiniones refellebat. Cui quum par non esset Baius, ubi in disputando haeserat: „Non intelligo," inquiebat, „quid explices;" cui ille: „Lege et pervolve scholasticos, Thomam potissimum; intelliges, quid dicam." At nihil benevolentiae admonitione proficiebat, ut duos illos a novitate retineret. Qui cursum suum persecuti, quum doctores veteres vel mortui essent vel ad sedes episcopales nuper constitutas evecti, atque in eorum locum Baii discipuli successissent [4], nullo negotio doctrinam suam divulgarunt.

---

[1] Qua in re explicanda epistolas aequalium reliquaque litterarum documenta sequimur, quae L. de Meyer et Serry suis libris complexi sunt. Aliquot etiam litteras manuscriptas aliaque id genus scripta in Societatis tabulis reperimus, in codice de controversiis Lovaniensium.

[2] Id Baius non diffitetur, cfr. Opp. ed. Colon. Agripp. 1696. II. 124. 125.

[3] De quibus disputationibus Tsantel, decanus Cortracensis, Tapperi discipulus, ad Praesulem Middelburgensem retulit. (Liv. de Meyer, l. 1. c. 10. p. 31.)

[4] Semel atque iterum Antistes Middelburgensis ad Archiepiscopum Mechliniensem et Episcopum Ruraemundensem scripsit, *omnes* doctores Lovanienses

Baius quidem compluries severe admonitus ac censuris affectus, primum a Granvella, deinde ab Universitate Parisiensis, denique a Pio V., qui tamen hoc dedit Baii auctoritati atque famae, ut bullam non promulgatam ad facultatem theologiae Lovaniensem miserit observandam: tamen ita non est correctus, ut fidem saepius datam fefellerit. Qua re adductus Gregorius XIII. severitate utendum esse ratus bulla, quae incipit *Provisionis Nostrae* (V. Cal. Febr. 1579.) et Pii V. censuram confirmavit, et a. 1580. P. Toletum S. I. illius exequendae causa Lovanium misit. Cessit ille, nec tamen ita de sententiis condemnatis videtur destitisse, ut vel ipse vel amici eius viam rationemque semel susceptam omnino omitterent [1].

Ita ei sententiae, quam communem fuisse theologorum tempore Concilii Tridentini capite quinto demonstravimus, nova illa opposita retenta atque propagata est. Post veterum doctorum discessum, Societas Iesu potissimum Baii et eorum, qui illum sequebantur, opinionibus se obiecit. Quae quum suum esse existimaret, ut errores Baianos a Pontifice damnatos impugnaret, tanta tamen usa est moderatione, ut et Bellarminus et ceteri Iesuitae, quum errores illius in lectionibus corrigerent, nomen tacerent [2]. Sed id quoque hominem suae opinionis tenacissimum pigebat. Misso autem Toleto, ut erat illa ipsa confutatione a theologis Societatis longe abalienatus, sine dubio penitus insedit animo dolor, quem excutere nequivit. Idque tanto minus, quod Praesul Middelburgensis, regio in urbe collegio praefectus, quum nec illi nec sociis eius confideret, alumnos ad eorum lectiones adire prohibebat, ad Iesuitas mittebat; qua re et auditorum eius numerum aliquanto minorem efficiebat et doctrinam in suspicionem vocabat. Quare et odium Iesuitarum et singulare Augustini studium quasi iure haereditario a Baio ad posteros eius pervenit; quorum qui

---

discipulos esse Baii et Hesselii. Liv. de Meyer, l. 1. c. 10. p. 28. 31. Item Bellarminus Baium dicit et *discipulos* eius accusatores esse Lessii, in Scripto ad defensionem Lessii apud Liv. de Meyer I. 783.

[1] Bellarminus plane dicit „Michaelem et discipulos eius in iisdem erroribus perseverare“, l. c.

[2] Nec enim solus ita egit Bellarminus, verum etiam Lessius, qui in epistola manuscripta ad Bellarminum missa a. d. IV. Cal. Iun. 1587. sic scribit: „Haec est sententia, quam explicuimus in nostris praelectionibus, ita tamen, ut neminem reprehenderemus, qui contrarium teneret, solumque argumentis ageremus, sine ullo indicio huius scriptoris, adversus sententiam contrariam.“

primus dux fuit ab illo, quem pro sancto colebat[1], Iansonius, illud utrumque ad discipulos suos Iansenium et Vergerium (Duverger)[2], transmisit; ab his autem animis Iansenianorum impressum et quasi ingenitum perseveravit.

Opinabatur Baius per scholasticos Pelagianos errores in Ecclesiam inductos esse, eorum autem Iesuitas, qui scholae defensionem contra ipsum suscepissent, propugnatores existimabat. Inita autem adversus suae aetatis *Pelagianismum* concertatione, principio inferior magno cum dedecore discesserat. Post aliquanto melior ei spes affulsit. Gregorius XIII., amicissimus ille Societatis patronus, vita excesserat. Sixtum V. fama allatum erat utriusque fuisse adversarium. Quare exsultantes clamitare „Fuit vester, Iesuitae, Gregorius“ coeperunt, quemadmodum in litteris suis Lessius narrat. Sixtus V. enim Societatis Iesu instituto non contentus videbatur. Audiverant etiam sine dubio in tanta Bataviae tum cum Hispania necessitudine, quam pugnam Salmanticae Fratres Praedicatores contra Iesuitarum de gratia doctrinam suscepissent. Quod Lindanus in litteris missis ad professores Lovanienses scribit[3], „Pelagianos per Hispaniam recens exortos“, ea quidem nihil nisi imago quaedam fuit vociferationis Lovaniensium. Baius autem laetus, se tantos nactum esse socios illos Hispaniae Dominicanos, redire in certamen constituit. Nam ab ipso tum excitatas esse Lovanii vexationes Societatis, praeter Bellarminum, Lessium, Costerum Episcopus Middelburgensis testatur[4].

Ad doctrinae differentiam aliae tum contentiones universitatis cum Iesuitis accesserunt. His enim quum a Summis Pontificibus graduum conferendorum facta esset potestas, ea gratis uti secundum Instituti sui rationem coeperunt. Quae res quum illius commodis obesset, ius illud ipsum et negaverunt et constanter impugnaverunt[5]. Ita tamquam materia discordiarum per annos congesta, incendium a. 1587. erupit. Rem antequam minutatim enarremus, summatim ita referemus, ut eam doctor praecipuus Sorbonicus, Habertus Episcopus, perscripsit.

„Cum plurimae propositiones Michaelis Baii, doctoris et decani universitatis Lovaniensis damnatae fuissent a Pio V. et

---

[1] Habebat domi suae Baii imaginem nimbo sanctorum circumdatam. Possin. l. II. c. 27. n. 5. p. 227.

[2] Leydecker, De Cornelii Iansenii vita, l. 1. c. 1. et 2.

[3] Meyer, l. c. p. 28. [4] L. c. p. 29., alibi.

[5] Duchesne, Histoire du Bajanisme, p. 197. 198.

Gregorio XIII. velut *haereticae, erroneae, suspectae, scandalosae et in aures pias offensionem mittentes, respective,* coepit universitas, eodem Baio instigante, cui multi eiusdem academiae doctores adhaeserant, inquirere in scriptis novorum theologiae professorum Societatis Iesu, si quid esset, quod reprehenderet. Aggressa est igitur Lessium et Hamelium, qui erant inter primos et celeberrimos theologos praedictae Societatis, erga quam non obscurum aemulationis affectum exercebat, eorumque scripta examinavit, et triginta propositiones censura notavit, inter quas una erat de gratia sufficiente. Atque hanc censuram subsecuta est altera Duacensis academiae, quae universitatis Lovaniensis filia est. Ambae vero coniunctim Parisiensem facultatem theologicam invitarunt ad idem faciendum: quod ipsa praecise facturam se negavit. Quin etiam praestantes in Belgio theologi et plures Episcopi in censuram illam Lovaniensem velut iniquam et abusivam insurrexerunt: ut inter alios Ioannes Strienus, Episcopus Middelburgensis, Thomas Stapletonus, celeberrimus scriptor Controversiarum, qui censuram importunam eam nominavit, et Octavius Calatinus Episcopus, Nuntius Summi Pontificis cum potestate Legati a latere, pluresque alii gravissimi theologi.

Interea vero P. Lessius suas illas propositiones a facultate Lovaniensi damnatas mittit ad Summum Pontificem Sixtum V. cum sua apologia; omniaque eius iudicio submittit. Pontifex autem, qui doctissimus erat, convocato coëtu Cardinalium, post longam et profundam discussionem, illas omnes propositiones approbavit tamquam articulos sanam doctrinam continentes, mandavitque suo Nuntio et Legato supranominato vices hanc suam sententiam pronuntiandi et praecipiendi sub poena excommunicationis, ne quis eosdem articulos damnaret vel censura ulla notaret; ut videre est in litteris Sixti V. typis Masii anno 1588. Iulii 10. Ab eoque tempore multi professores et doctores Lovanienses scripserunt conformiter doctrinae Lessii et communi theologorum de gratia sufficiente; sicut ante Baium multi alii fecerant.“ (Defens. fid. Gr. PP. cap. 14. § 3.)

Sed res illa quomodo gesta sit, diligentius videamus.

Sub ipsam sollemnitatem Paschatis anni 1587. Patres a Gudano theologiae Decano rescierunt, quosdam de nota aspergenda suae doctrinae cogitare, simulque audierunt, dictata sua curiosius perquiri. Tribus post hebdomadis Cuiccius et Iansonius doctores, magno allato scriptorum fasciculo, quaesierunt, ipsorumne essent illa dictata.

Patres, quod temporis angustiis prohiberentur, quominus illa perlegerent, rogaverunt, ut definiretur, quid non placeret. Attulerunt brevi post 34 propositiones atque ex Lessio quaesierunt, suasne illas esse agnosceret. Qui suas esse respondit, sed nec integras nec satis cohaerentes; quare alteras 34 breves atque concisas conscripsit. Oraverunt autem Patres, ut eas sibi apud aliquot Academiae doctores familiari sermone interpretari, explicare, defendere liceret. Idem amplius decies quum rogarent, repulsi sunt. Et quidem Hauchinus, Archiepiscopus Mechliniensis, Henricum Cuiccium professorem, suum vicarium generalem, monuerat, ut causa familiari disputatione agitaretur [1]. Sed id ille etiam Costero provinciae praeposito roganti negavit: scripto rem actum iri. Qui maluisse se dixit sermones de ea conferri, sed si scripto uti Academiae placuisset, se non gravaturum; illud se Romam ad praepositum generalem missurum, qui in *Ratione studiorum* aliquid de consensu doctrinae decernere cogitaret; qua in re scriptam Academiae auctoritatem aliquam fortasse afferre utilitatem posse. Mense Augusto ineunte Patres rescierunt, sententias suas ab Academicis censura affectas multis exemplis a quattuor scholaribus describi. Cuius rei rumore per urbem divulgato, pridie Idus Septembres denique exemplum aliquod cum ipsis communicatum est. Qui se responsuros esse negarunt, priusquam Romam missae propositiones ibi iudicatae essent. Protenus censura illa ad Archiepiscopum Mechliniensem ceterosque illarum regionum Antistites missa, atque Academia Duacensis et litteris scriptis et per Archiepiscopum Cameracensem instigata est, ut item Iesuitarum doctrinam condemnaret. Doctoribus etiam Sorbonicis evocatis, qui tum a Societate alienati erant [2], visum est commune omnium foedus contra eam initum esse.

Nec vero interea quidquam omiserunt Lovanienses, quo et vulgi opinionem et Episcoporum animos vitiarent. Hauchinus Archiepiscopus plus centum viros ecclesiasticos Mechliniae et Bruxellis Societatis doctrinam, quam nemo eorum intelligere videretur, condemnasse dicit [3]. Ut apud clerum, ita apud iuventutem litterarum studiosam et plebem de Patrum existimatione detrahebatur. Sed quum multi Lovanii scholastici a partibus starent Iesuitarum, eorum rixae atque pugnae in viis compitisque urbis

[1] Id ipsum ille ad rectorem collegii Societatis perscripsit. Meyer, l. c. p. 22.
[2] Bulaei Hist. univers. Paris., ad a. 1578. 1588.
[3] Meyer, l. l. c. 13. p. 40.

exstiterunt [1]. In vulgus autem exiit opinio, illos ab Ecclesia descivisse, ipsique milites admirabundi rogarunt Patres, num Lutherani evasissent. Episcopi etiam quantopere impetu postulatisque Lovaniensium oppressi essent, Archiepiscopus Mechliniensis atque Ruraemundensis et Yprensis Antistites postea confessi sunt [2]. Quanta vero perturbatione cupiditatis Societatis adversarii moti sint, non modo ex hoc cognoscitur, quod dictatas propositiones easque mancas, ex adolescentium decerptas codicillis, quas ipse Lessius perperam vel parum accurate perscriptas diceret, censurae subiicere, atque adeo eiusmodi sententias pro novis damnare ausi sunt, quas nemo in universa Ecclesia proponere dubitaret imprimisque Lovaniensis Academiae clarissimus quisque theologus, Driedo, Tapperus, Tilletanus, Cunerus, Sonnius docuissent. Quo illa potissimum pertinent: Deum, quia omnium hominum salutem sincere vellet, gratiam cuique conversionis salutisque operandae sufficientem impertire; gratiam efficacem eam esse, cui Deus hominem obediturum praescivisset [3]. Quas propositiones quum circa Paschatis tempus anni 1586. Lessius et doceret et in publico defendendas proponeret, nemini venerat in mentem, ut eas vituperaret; proximo anno eodem fere tempore, illa exorta tempestate, Patres, quorum nec explicatio audita est nec defensio, ob eiusmodi sententias iudicio publico reprehensi sunt; atque ita civilium turbarum bellorumque de religione maxime inopportuno tempore adiunctis theologiae contentionibus respublica penitus perturbata est.

Quam inepta quamque cupida properatione in hoc toto negotio conficiendo usus sit Baius, ipsius litterae declarant, quas XV. Cal. Febr. 1588., h. e. sexto fere post damnatas Lessii propositiones mense, ad rectorem collegii Lovaniensis misit. In quibus Calvinum, Pelagium, Massilienses (Semipelagianos), *quibus* Iesuitae sua quidem sententia *nimis in quibusdam accederent*, ab eadem illa sententia profectos esse scripsit, ut, *si Deus in sanctis operaretur, quidquid bonum et sanctum est*, concluderent, illos in bene agendo non suo uti libero arbitrio. Iam vero Iesuitas in Pelagii ratiocinationem *inclinare*, quum defenderent, liberam ho-

---

[1] Duchesne, Histoire du Bajanisme p. 199.

[2] Meyer, p. 40. 29. 17. Yprensis autem Antistes negavit se Iesuitarum sententias unquam publica reprehensione affecisse. Idem Ruraemundensis P. Costero dixit (p. 21.).

[3] Legantur theses 5—11.

minis voluntatem, quamvis *incitamentis atque exhortationibus* a Deo praeventam, tamen *a Deo ad operandum non agi nec eius directione gubernari.* Finem scribendi fecit his verbis: *Si forte existimer non deprehendisse originem et fundamentum, ex quo professores vestri adducti sunt, ut doctrinae D. Augustini adversarentur, et si aliud fundamentum habeant, non ex humana ratione, sed ex Scripturis sacris desumptum, quo eius sententiam velint redarguere, oro, ut hoc mihi indicetur* [1].

Responsum est, non S. Augustinum, sed quandam eius interpretationem impugnari; falso se perhiberi dicere, hominem, quum honeste operaretur, non agi a Deo; affirmatum esse, non ita moveri, ut resistere non posset; denique mirari se, quod explicatio propositionum, ante recusata, iudicio de iis promulgato, peteretur.

Exstiterat autem strenuus ex ipsa schola Lovaniensi Patrum patronus, Ioannes Strien, Episcopus Middelburgensis, regio collegio Lovaniensi praefectus. Is litteris missis ad Archiepiscopum Mechliniensem et Lindanum, Episcopum Ruraemundensem, amicum suum, disertissime ostendit, quanta iniquitate usi doctores Lovanienses, qui omnes discipuli Baii essent, damnata Iesuitarum doctrina, ipsas veteris Academiae doctorum sententias, Latomi, Tapperi, Tilletani, Rithovii, Cuneri pro Pelagianis reprehendissent et, ne auditis quidem Patrum responsis, censuram promulgassent. Quorum explicationes, sententiasque veterum doctorum Lovaniensium, quibus idem contineretur, perscriptas ad illos misit [2]. Quo facto moti sunt, ut opiniones praeiudicatas, quibus a Lovaniensibus imbuti erant, omitterent.

In eandem sententiam locutus est alter theologus, e schola Lovaniensi profectus, Tsantel, Decanus Cortracensis; is negavit doctrinas eorum, qui tum Lovanii docerent, 36 annis ante ibi auditas unquam esse, sed a Baio et Hesselio introductas [3]. Antverpiensis quoque Praesul et Episcopus Tornacensis electus pro Lessio testimonium dixerunt, ceteris fere, certe initio, contra sentientibus.

Neque vero Patres interea cessarant. Theses Romam miserant, ubi orthodoxae a theologis Societatis iudicatae sunt; Bellar-

---

[1] Meyer l. l. c. 9. p. 25.

[2] Ib. l. l. c. 10. p. 27 ss. Fatetur Estius Driedonem et Tapperum nonnullis in rebus a sententiis Lovanii postea pervagatis discrepare. Responsio ad obiecta apud Serrium, App. XV. p. 245 ss.

[3] L. c. p. 31.

minus earum defensionem conscripsit[1]. Tum Lessius Archiepiscopo breviter atque acute thesibus et antithesibus[2] suas et Academiae complexus sententias explicavit, atque ea exposuit, quae falsae vel accusationi vel interpretationi subiecta essent; postremo veterum theologorum Lovaniensium opiniones simillimas explanavit.

Quam commentationem Lessius quum ad P. Manaraeum, Germaniae praepositum, de rebus controversis interrogatus misisset, tres facultates theologicae, Trevirensis, Moguntina, Ingolstadiensis ab illo consultae contra Lovanienses sententias dixerunt.

Annum disceptatum erat, quum Sedes Apostolica suam interponere auctoritatem constituit. Octavius Frangipani, Coloniae Nuntius, propositiones illas in Urbem transmiserat. Erat tum Pontifex Sixtus V., vir theologiae laude clarissimus, qui in causa Grimani Patriarchae satis ostenderat, quid de austeriore praedestinationis doctrina existimaret. Qui Lessii theses a Cardinalibus examinatas *sanae doctrinae articulos* appellavit, ut e litteris brevibus ad Nuntium Coloniensem missis cognoscere licet[3]. Eundem hunc Lovanium ire iussit, ut causam componeret, iudicio sibi ipsi reservato. Ille mense Iunio 1588. Lovanium advenit, et, ut Lessius (apud Liv. de Meyer p. 41. 43.) narrat, „post paucos dies convocavit totam Facultatem et [Societatis professores] in collegium *van Dale*, ubi hospitium habebat, legitque nobis, praesente Reverendissimo Mechliniensi, suam commissionem, quae brevi Apostolico continebatur. Explicuit, quanto dolore Sanctitas Sua ob hasce turbas et contentiones afficeretur; se ab Ea huc destinatum ad eas sopiendas et ad scripta utriusque partis authentica Romam mittenda, ut Sua Sanctitas quid tenendum sit statuere posset. Itaque iubet, ut ea, quae hactenus de illa controversia utrimque scripta essent, sibi darentur. Inculcabat etiam, non recte fecisse Facultatem, quod suam Censuram evulgasset et magnae contentionis et commotionis per Belgium causa exstitisset. Debuisse eam primo ad Summum Pontificem mitti, ad quem solum pertineret huiusmodi controversiarum decisio.“[4] Paulo post disputatione

[1] Habetur apud Meyerum, p. 780 ss.

[2] Antitheses Cuiccius non agnovit. Meyer, l. 1. c. 11. p. 36.

[3] „Ex fraternitatis tuae litteris ad Nos proxime allatis, controversias inter Universitatis Lovaniensis theologos et sacerdotes Soc. I. super quibusdam sanae doctrinae articulis ortas fuisse cognovimus.“

[4] Quae Lessius narrat, vera esse, patet ex litteris, quas Nuntius Romam ad Cardinalem Nepotem Montaltum dederat, et quae nunc in secretiore Tabu-

habita inter quosdam theologos et ab Academia et a Societate ad id delectos pacem conciliare frustra conatus est. Sed audiamus hac de re iterum Lessium narrantem:

„Ubi convenissemus, [deputati] iussi sunt proferre suam commissionem, quam a Facultate habebant. Quae ubi lecta esset, deprehensa est prorsus inutilis ad praesens negotium. Nam non dabatur eis absoluta potestas conferendi nobiscum de dogmatibus istis controversis, sed tantum cum hac restrictione: *ut in nulla sententia ambigua possent quidquam statuere, nisi prius referrent ad Facultatem.* Hoc enim nihil aliud erat quam refugere collationem. Nam vicies una hora referre ad Facultatem oportuisset. Itaque Reverendissimus Mechliniensis aliam rationem commodiorem ineundam duxit, nempe ut scripto ageretur. Placuit hoc deputatis, e quibus D. Belliolanus surgens, praefata quidem venia loquendi, subiecit in haec verba: *Illustrissimi et Reverendissimi Domini, nos, lecta Apologia Patrum, deprehendimus eorum sententias iis niti fundamentis, quae si vera sint, nostra dogmata non solum non erunt probabilia, sed etiam tamquam Calviniana damnabuntur. Sic enim ab illis tractantur. Itaque rogamus, ut fiat nobis potestas respondendi ipsorum Apologiae, ut nostra tueri possimus.* Quibus ab illo dictis, surrexi ego et, venia praefata, rogavi Illustrissimum D. Nuntium, ut non pateretur hanc controversiam per novam scriptionem longius extrahi; Dominos Doctores debuisse nostra fundamenta intellexisse, antequam Censuram conscriberent; saepe me illis obtulisse, ut ea explicarem, eosque respondisse, se nimis bene, et melius forte quam vellemus, ea perspecta habere;

---

lario Vaticano asservantur (n. 45, 3153.). Iam enim Nuntius antequam Lovanium profectus est, significaverat (dd. Colon. 19 Maggio 1588., p. 213.), quam molestae sibi essent lites, quas Facultates Belgicae contra Societatem Iesu moverent: „Da questa controversia escono altri mali, secondo intendo adesso, che la facoltà artistica di Duaco molesta li Padri Gesuiti di quel luogo, cercando di sottoporre le loro scuole alla detta facoltà contro l' istituto et privilegii della Compagnia, che è grand' indicio di malignità, et come ho scritto di novo all' università di Lovanio per continerla nell' ufficio suo, finche io non sia da lei, così ho scritto al vescovo di Arras, ordinario di Duaco, et all' Arcivescovo di Cambrai, suo Metropolitano, et alla facoltà medesma, che si sopraseda in quelle pretensioni di superiorità fin' alla venuta mia.“ Litteris dd. 23. Iun. 1588. (p. 263.) refert, sibi Sixtum V. tres epistolas Apostolicas Lovanium perferendas dedisse: ad ipsum Nuntium, ad Archiepiscopum et ad Facultatem. Prima, ut Lessius supra narrat, coram omnibus lecta est; aliae sollicite celatae, unde vix dubitari possit, quin eandem reprehensionem a Lessio narratam continuerint.

itaque hanc illorum petitionem non alio pertinere, quam ut res in infinitum trahatur et nunquam definiri possit. Verum agente pro ipsis Reverendissimo Mechliniensi, concessit illis D. Nuntius, ut adhuc semel liceret illis scripto agere, ea tamen conditione, ut hoc scriptum mihi exhiberetur, ut, si vellem, possem respondere, ibique sistatur; tunc enim utriusque partis scripta Romam mittenda fore. Itaque DD. Doctores se ad suam *Iustificationem* seu *Antapologiam* consarcinandam comparant, in qua occupati fuere usque ad Septembrem [1], plerisque ex ipsis symbolas suas conferentibus, ut a quibusdam notatum fuit. Tandem 10. Septembris mihi tradit per suum notarium Illustrissimus D. Nuntius *Antapologiam* Facultatis, quam ipsi *Iustificationem* inscribunt. Ad quam statim respondi et responsum eidem Nuntio obtuli 17. Octobris [2], manu mea conscriptum, qui collectis omnibus scriptis, quae tum a Facultate, tum a nobis acceperat, statim ea Romam ad SS. Pontificem direxit.“ Iam antea autem VI. Idus Iulias anni 1588., quum omnem disceptationis rationem scripto complexus illud etiam Sixti V. usurpasset, „inter Universitatis Lovaniensis theologos et sacerdotes S. I. super quibusdam *sanae doctrinae* articulis controversias ortas fuisse“, poena excommunicationis proposita edixit, ne alteri alteros ulla censura notarent, donec Sedis Apostolicae auctoritate res diremta esset. Tum quievit paullisper disceptationis aestus; iudicatum non obscure erat de Societatis doctrina, quum et illae sententiae, de quibus disputari coeptum esset, *sanae doctrinae articuli* vocarentur et qualibet censura severe vetita ipsi Lovanienses satis aperte reprehenderentur.

Verbis illis *sanae doctrinae articuli* quum a principio vehementer offenderentur adversarii, professores Duacenses, ad quos idem decretum missum erat, conquesti sunt apud Nuntium, quod Iesuitae illis verbis suam doctrinam comprobari putarent [3], eam-

---

[1] De hac tarditate Nuntius litteris dd. 16. Aug. Lovanio ad Card. Montaltum (l. c. p. 293.) conquestus est.

[2] Antequam hoc responsum Nuntio datum est, alterum eius exemplar conficiendum fuit, quod in Societatis Tabulario asservatur. Uberem igitur illum commentarium Lessius vix uno mense perfecit.

[3] Serry, Append. III. p. 25: „Theologus in dictato quodam extraordinario illis edicti verbis *super quibusdam sanae doctrinae articulis* contendit suam et suorum doctrinam eo loco ab Illustrissima P. V. sanam appellari, videlicet contra totius edicti sententiam et scopum, qui est neutram partem probare vel improbare, sed totum iudicium S. Sedi Apostolicae integrum re-

que *temeritatem* castigandam esse affirmarunt. Respondens ille decretum suum iussit observari. Quodsi iusta causa Duacensibus fuisset expostulandi et Iesuitae temere interpretando poenam meriti essent, falso verba intellecta esse responderi oportuerat. Sunt, qui scripturae vel typi mendum subesse rati *sacrae* pro *sanae* doctrinae legendum esse dixerint. Sed quoniam ipsius Serrii testimonio *sanae doctrinae* scriptum esse constat, illi manifestant, quantis angustiis premantur. Alii verba in doctrinam quoque Lovaniensium convenire volunt. Sed eae sententiae „de quibus *ortae* sunt controversiae“ certe Iesuitarum sunt. Nonnulli *sanam* doctrinam intelligi *sacram theologiam* censuerunt; qui verba perspicua detorquent; sunt enim articuli sanae doctrinae ii, quos sine fidei periculo doceri liceat; huiusmodi illos esse Sixtus V. dixit ob eamque rem censura ulla affici excommunicationis poena proposita vetuit [1].

Lovaniensis Academia ad Parisiensem, uti diximus, litteras miserat; a qua Serry fatetur nihil responsum esse. Quid ita? Propter turbas civiles, inquit, quibus tum Gallia exagitabatur. Habertus, Doctor Sorbonicus, ut vidimus, negat omnino, illam eiusmodi sententias reprehensione dignas iudicasse. Lessius idem in commentariis suis notavit, litteras significans rectoris collegii Parisiensis ad P. Eleutherium; dixisse illi Academiae Decanum, approbari a doctoribus, quod Iesuitae de gratia docerent. Consentaneum est, quod aliquanto post de physica praedeterminatione iudicarunt, quam clarissimus quisque apud illos: Gamachaeus, Hallier, Duvalle, Isambert, Habert impugnarunt. Sed vera causa fuit, cur Sorbonici tacerent, quod Frangipani Coloniae Nuntius, ubi Lovanienses Lutetiam scripsisse cognovit, a Nuntio Parisiensi petiit, ne quid a Sorbona rescribi pateretur. Id enim ipse ad Montaltum Cardinalem nepotem renuntiat [2].

Officiosius academiam matricem nova secuta est Duacensis. Nam excitata a Baio et ab Archiepiscopo Cameracensi permota est, ut propositiones Iesuitarum publice reprehenderet. Qua de

---

linquere. Quae illorum professorum temeritas merito severiorem aliquam coercitionem, quae in posterum ab huiusmodi peccandi periculo longius eos removeret, postulare visa fuit et adhuc postulat, tametsi, ut diximus, et ut ex ipsis pacti verbis clare intelligitur, non imperio, sed sola rationabili persuasione erga eos usi fuerint Episcopi.“

[1] De qua re vide Meyerum, lib. I. c. 15. p. 47 ss. et Hist. vindic. l. I c. 14. p. 47 ss.

[2] L. c. p. 203.

re variis ortis contentionibus, quum Oliverius Manaraeus provinciae praepositus suos strenue tueretur, Nuntius Coloniensis decretum iussu Sixti V. Lovanii promulgatum et a Gregorio XIV. nuperrime confirmatum ad Duacenses misit atque ita tempestatem illam sedavit.

Sed quum Innocentius XI., qui minime faveret Iesuitis, ad Summum Pontificatum esset evectus, Lovanienses legatis missis, Lupo et Viane, illi supplicarunt, ut suum iudicium comprobaret. Frustra omnino. Demonstrat Livinus de Meyer litteris allatis quum theologorum Romanorum tum Nuntii, qui tum in Belgio commorabatur, nequaquam tum Romae probatam esse illam thesium iudicationem; sub Innocentio autem XII. non esse confirmatam satis ex ipsius litteris brevibus, quas supra commemoravimus, intelligitur [1]. Immo vero, quum ab eo id unum peteretur, ut ipsius permissu ea docere liceret, quae censuris Lovaniensibus et Duacensibus continerentur, usque dum ab Apostolica Sede aliter esset iudicatum, id ne concederet, recusavit. Haec autem ipsa et supplicantium modestia et Pontificis recusatio satis demonstrant, ab Innocentio XI. nihil fuisse impetratum.

Atque hae disceptationes Lovanienses maximarum controversiarum quasi praelusio fuerunt. Illud dubium esse nemini potest, quin a Societate Iesu scholae veteris defensio suscepta sit adversus eos, qui eodem errore, quo Protestantes, inducti continuationem a theologis scholasticis explicatae doctrinae retexentes superiora se tempora repetere et Augustini doctrinam restaurare temere arroganterque profiterentur.

---

[1] Vide supra p. 42. Litterae typis descriptae sunt apud Meyerum, l. 1. c. 24. p. 75.

9. De Bannesio eiusque doctrinae ratione.

Baii et eorum, qui cum illo stabant, vexatio levis aliqua concertatio dicenda est, si cum illo bello comparetur, quod eodem fere tempore in Hispania de gratiae efficacia exarsit. Rixae quaedam et contentiones non paucae illud et praepararunt et inchoarunt, et secutae sunt. De quibus, quamquam molestum est dicere, postulat tamen ipsa causa, ut illa edisseramus. Humana necesse est accidere inter homines, et sanctissimorum virorum quasdam contentiones sacra narrat historia. Martyres fuerunt egregia virtute Polycarpus et Anicetus, Cyprianus et Stephanus: de maximis rebus dissenserunt; item postea Damasus et magni illi Cappadociae doctores, item Augustinus et Hieronymus, Prosper et Faustus, Leo et Hilarius (Arelatensis), Chrysostomus et Cyrillus (Alex.). Possunt errare sancti; qui si quid rectum, iustum, pium esse iudicarunt, ut sunt omnis honestatis amantissimi, ad id perficiendum studia summa conferre solent. Quod in hominibus singulis, idem in scholis usu venire cernimus. Possunt in philosophiae ac theologiae quaestionibus errare multi, ut decipiuntur singuli, atque etiam in magnis societatibus unius paucorumve praecipuae auctoritatis hominum in ceteros solent errores vel controversiae derivari. Mira est clari cuiuspiam doctoris apud auditores auctoritas, et hac ipsa rursum magistri incenditur industria. Propellimus ac propellimur sensim sine sensu minime inviti. Propagatur autem primae illius doctrinae efficacia, ut plures per annos discipuli successere, qui, quod a praeceptore traditum est, ad alios ipsi transfundant. Itaque et veritatis custos schola est et erroris seminatrix; quum enim doctor erravit, decipitur corona et novis in dies auctum incrementis malum invalescit.

Bañez, qui inter clarissimos fuit Fratrum Praedicatorum sexto decimo saeculo theologos, recentioris scholae Thomisticae princeps, ea de gratia docebat, quae falsa existimarent Iesuitae; hos vero ille dicebat S. Thomae impugnare doctrinam et ad Semipelagianorum errores inclinari. Consequens fuit, ut de gratia contro-

versiae orirentur. Cuius rei inique feceris si Ordini S. Dominici culpam ascripseris. Neque enim Praedicatores omnes Bannesii doctrinam amplexi sunt [1] neque Bannesii sociorumque accusationum participes fuerunt; nec vero patronos aut prolixiores aut potentiores, quam apud illos, Societas Iesu nacta videtur; S. Pii V., Ludovici Granatensis, Petri Soti, Bartholomaei a SS. Martyribus, Bragae Archiepiscopi, Francisci Romaei et Thomae Turci, Magistrorum generalium, P. Foscararii, Mag. S. Palatii, aliorum multorum illustria sunt nomina, quae semper animo grato recolet Societas Iesu. Haec autem ipsa his annis amplius trecentis nulla unquam aetate, quam Aquavivae, vel gloriam maiorem adepta vel acrius vexata atque exagitata est. Quae dum et in Anglia reliquisque hostium terris filios suos occidi, et e Gallia ac Venetiis expelli, et ab Academiis Parisiensi, Lovaniensi, Duacensi impugnari, et ab haereticis omnibus exanimari videt: in Hispania tum domestica seditione periclitata est, tum in Bannesii de gratia contentiones incurrit. Sed haec omnia „Deo disponente evenerunt", quemadmodum recte dicit Werner [2], „ut Societas gloriae Divinae propagandae causa condita per omnia vexationum genera, quo esset et vitae et actionis vigore, qua ingeniorum et morum virtute, egregie probaret." Deus enim, qui cor cuiusque hominis quasi gemmam esse voluit suae coronae, ita et singulis utitur et societatibus, ut gemmis limator. Facile est ea, quae extrinsecus adhaeserunt, detergere, sed laboriosum gemmas gemmis limare et poliendo nitorem splendoremque nativum elicere. Ita Providentia Divina quodammodo atteri ac limari inter se *proximos* sinit, domesticos familiares, parentes liberos, fratres, amicos, religiones inter se ac religiosos, ut probati ac perpoliti lumina quaedam efficiantur Divinae coronae. Exempla eius generis omnium Ordinum affert historia; quae contentiones etsi parum aliquando scientiae gignunt incrementi, cavere tamen monent ac vigilare, ne quid periculosae doctrinae seminetur.

Temporum necessitati ut provideret, Ignatius, inclinatis iam

[1] Molinae librum censores quidam Dominicani approbarunt; alius Herbipoli pro Lessio et Molina sententiam scripsit; Livinus de Meyer (Hist. l. 2. c. 22. et Hist. vind. l. 2. c. 16—19., ubi ad Serrii responsa invicem respondet) alios Neo-Thomismi adversarios ex Ordine Praedicatorum nominat; nuper Albertini O. S. Dom. (Orat. II. ad theologos Bañez et Lemos n. 40. 41.; Dissertat. ad Dominicum Pelegrini, n. 49.) iis verbis impugnavit Neo-Thomismum, quibus uti Card. Franzelinus dubitet. (Tract. de Deo uno, thes. 43. p. 422.)

[2] Suarez I. 378.

ad nova omnia et publicis rebus et privatis, diversa quaedam a ceteris religionibus in Societate instituit. Sed rei novitas offensioni fuit et apud externos et inter ipsos domesticos. Illi autem Socii turbidi atque ambitiosi, qui sub finem XVI. saeculi in Hispania in matrem Societatem conspirantes eam apud Inquisitores et regem et Romanam Curiam accusarunt, quum culpa magna vacare nequaquam potuerint, non eadem in causa fuerunt externi; atque ipsi S. Pius V. et Sixtus V. et Clemens VIII. aliqua in novae Societatis constitutione mutare vel cogitaverunt vel iusserunt.

Magnae igitur de Instituto Societatis exortae sunt contentiones, has vero, ut fieri assolet, aliae et aliae secutae controversiae, v. g. de sollicitantium confessariorum denuntiatione, quarum memoriam hic refricare minime iuvat; necesse tamen est paucis ostendere, quantopere animi his diuturnis contentionibus commoti sint et exacerbati, quum vera controversiae de gratia historia vix intelligi possit, nisi incredibilis huius commotionis magnitudo cognoscatur. Nec quae huius rei apud nostrates argumenta reperi, hic narrare volo, liceat autem illud referre, quod ipse Serry O. P. in medio posuit, libellum dico, quo Hieronymus de la Nuza, praepositus provincialis Praedicatorum, XI. Cal. Sept. 1597. regi Hispaniarum supplicavit [1]. Pontifex utrosque de controversia silere iusserat. Ad cuius mandati significationem „obstupuisse se" dicit „licet statim ac illud per universam provinciam denuntiandum curaverit, . . . tamen ad Maiestatis Regiae clementiam confugere sese, ut damno eo mandato illato pro sua benignitate modum adhiberi provideat." Serry P. de la Nuza in odore sanctitatis mortuum esse dicit. Id si verum est (neque ullo modo dubitamus), argumentum maximum affert, quantopere magna illa disceptatio etiam sanctissimorum virorum mentes occaecaverit, ut moenium suorum ac litterarum angustiis circumscripti, plane, quid ab adversariis responsum disputatumque esset, quibus rationibus suam causam tuerentur, ignorarent. Nam ipse de la Nuza, quamquam Gregorius XIII. Institutum Societatis impugnari vetuerat, tamen ex ipsis eius Constitutionibus probare aggreditur, „patres Societatis Ecclesiae Catholicae illiusque Capitis Romani Pontificis iudicium tamquam ultimam rerum credendarum regulam *non* excipere, sed Societatis ipsius eiusdemque Doctorum definitionem." „Theologos Societatis novitates in omnibus paene tentasse." „Ex

[1] Quem libellum perscripsit Serry, Append. V. p. 37 ss.

quo Molina eiusque gregales fanaticos propriae vertiginis partus Patrum sententiae praetulerint, scholas depravatas mutuisque discidiis Hispaniam iactatam esse.“ Haec prospexisse Melchiorem Canum, quum scriberet: „Utinam et mihi, quod olim Cassandrae, non accidat, cui non est data fides, donec Troia incendio periisset.“ Profiteri Iesuitas se sequi D. Thomam, sed „satis superque demonstrasse, quam ardenti studio ad eius doctrinam potius delendam intenderent.“ „Id in Molinae huiusce comoediae actore videre esse, qui arrepto D. Thomae interpretis nomine, in eius doctrinam adeo petulanter insurgat, dubitari ut merito possit, an in Augustinum Pelagius impudentius declamarit.“ „Nulla ratione capere se, quo pacto illa in Sanctissimum Praeceptorem seu verius in universae Ecclesiae Catholicae Doctores convitia sustineri possint.“ „Propterea de Patribus Societatis dicendum venire, quod de Florentinis, sibi re vera quidem adversariis, verbis vero blandientibus, dicere solitus esset Ioannes XXII., illos Christi satellitibus iure esse conferendos, qui illum dato regis titulo colere visi essent, sed impactis alapis illusissent.“ Praedicatorum doctrinam illam esse S. Thomae; quam suscipi etiam non probatam oportere; „manifestum esse huiusce doctrinae publicam professionem interdici aut silentium imperari non posse; eos autem qui hac in parte novitates inducerent, in iudicium iusto vocari debere, eorum libros interdici, ora obstrui.“ Quantos labores Societas ad convertendos haereticos suscepisset, B. Canisii libros defendendae religionis causa scriptos, item Possevini, Augeri, Maldonati, Campiani, Gregorii de Valentia, Bellarmini, ille prorsus ignorasse videtur; „dicant,“ inquit, „huius [nostri] Ordinis obtrectatores, quas haereticorum sectas confutaverint, quae obsequia Ecclesiae insignia praestiterint.“ Postremo enumeratis Ordinis Praedicatorum meritis exclamat: „Quo igitur iure iis ora praecludentur, qui ea tanto Ecclesiae et Regni bono aperuere? Quo demum titulo tot obsequiis nota probataque Ecclesiae famula cum altera recens admissa aequali sorte conferetur“ [nimirum silentio iniuncto *utrisque*]?

Haec ipsa sunt verba ab optimo provinciae praesule de Summi Pontificis praecepto et altero Ordine ad regem perscripta; demonstrant autem, quam vehementer tum multorum religiosorum in Hispania animi commoti irritatique fuerint. Qui dubitari prorsus non posse sumebant, quin sua esset S. Thomae doctrina, quam Iesuitae novis opinionibus delere conarentur. Qua persuasione pellecti mandatum Summi Pontificis reprehendebant, conviciis autem exagitabant adversarios, idque litteris ad regem missis,

quum et ille ipse et Summus Pontifex et ipsorum superior id fieri severe vetuisset. Quod quî fieri potuit, nisi tenebrae rebus clarissimis obductae dispiciendi locum nullum reliquissent? Sed in hac obscuritate sua studia persecutus est Bañez.

Erat Bañez theologus cumprimis doctus, id amplissimi eius commentarii in Summam S. Thomae demonstrant. In quibus admirabili prorsus constantia ac vi argumentandi utitur, unde coniectura de ingenio eius fieri potest. Atque tanto eum fuisse maiore auctoritate necesse est, quanto maiorem cum tanta doctrina morum severitatem coniunxerat. Quétif[1] refert, in universitate Salmanticensi ea in existimatione fuisse illius sententiam, ut nemo ei obsequi dubitaret. Sancta vero Theresia[2], cuius antea confessiones audire solitus erat, sic ad eum scripsit: „Quantum valeat dilectio Dei, iam nemo miretur, quum tantum apud me possit caritas P. Dominici, ut, quidquid illi visum est, idem mihi probetur, quidquid voluit, ego velim, nec satis sciam, quorsum ista fascinatio sit evasura." Ipso iam anno 1572.[3] Bañez ad docendam theologiam Salmanticam venerat; octo annis post e multis competitoribus professor Academiae primarius publice renuntiatus in eo munere usque ad exitum vitae (1604.) permansit. Vix ad eam dignitatem promotus erat, quum controversia de scientia media in aliqua disputatione exarsit. Sed aliarum quoque contra Iesuitas controversiarum, ut fuerat studiosissimus Cani auditor, partem aliquam gessit.

Promulgata bulla *Ascendente Domino* sperare non destitit, effici posse ut et sententia Thomistarum de votorum sollemnitate Romae comprobaretur et illa bulla revocaretur; et quum non ignoraret, quanta ibi universitatum auctoritas esset, eas sibi conciliandas esse statuit. Defensa iam erat in universitate Vallisoletana eiusmodi propositio Iesuitis non prohibentibus. Idem tentandum Salmanticae[4] ratus in a. III. Id. Oct. 1589. indicta disputatione hanc thesim proposuit: „In his (paupertatis, castitatis et obedientiae votis) substantia religionis consistit, dummodo sollemni voto firmentur, quod fit per solam professionem in religione approbata."

---

[1] Quétif, Script. O. Praedic. II. 352.

[2] Hurter, Theol. cat. p. 269. n. 2.

[3] Sic enim in praef. commentariorum in Summam S. Thomae ipse dicit.

[4] Rem narrat Poussines (l. 2. c. 18. 19. p. 191—198.) et allatis litterarum monumentis probat.

Paucis ante disputationem diebus rem resciere Iesuitae; cursorem Madritum statim mittunt ad Hannibalem de Grassis, Nuntium Apostolicum; is propositionem defendi vetat, quod bullae Pontificis *Ascendente Domino* contraria esset nec propterea vel directe vel indirecte defendi posset, quin excommunicationis poena incurreretur. Pridie eius diei, quo disputatio futura erat, cursor sero redit. Iesuitae postero mane cancellarium Academiae adeunt. Protenus notarius in aulam mittitur. Coepta iam disputatione ingressus, in sollemni conventu silentibus omnibus Nuntii decretum legit. Bañez S. Thomae se illam doctrinam existimasse dicit nec de Societatis Instituto impugnando cogitasse; rogare se, ut viri docti consulantur a Nuntio, nonne S. Thomae sit doctrina. Sic expostulans disputationem diremit; defendi enim eam propositionem non licebat, quam et Nuntius et cancellarius severissime defendi vetuissent. Nec vero conquievit, sed apud collegas de inaudita illa interpellatione conquestus eos adduxit, ut misso Madritum nuntio apud *senatum* regium adversus Nuntium expostularent. Expostulationem rex recusavit, nec efficere Bañez potuit, ut Academia obiectiones suas quinque thesibus comprehensas Romam mitteret.

Atque sic constanter ille S. Thomae causabatur doctrinam. Quo scuto se adversus ipsam bullam Pontificiam defendi arbitrabatur.

Alterum afferre factum placet, unde Bannesii ingenium quale fuerit, iudicetur. Clementi VIII.[1] supplicavit, ut silentii iniuncti obligatione liberarentur Praedicatores. Principio queritur, quod antiquae doctrinae *possessione,* illius quidem, quae apud universae Ecclesiae theologos a Thomae, immo vero Augustini aetate obtinuerit, mandato Pontificio cum legum iniuria privari viderentur. Isto autem modo novitatis auctores atque patronos illis *aequari,* qui antiquam D. Thomae doctrinam communemque Patrum interpretationem tuerentur, novamque cum vetere doctrina eodem probabilitatis loco paullatim constitutum iri. Quod vero scandalis occurri illa prohibitione existimaretur, eam parum firmam videri rationem; in iure enim contineri, melius esse scandala permitti, quam destitui veritatem. Qua de causa Paulum Apostolum S. Petro, Christi vicario, illico in faciem restitisse. „Huius instar,“ inquit, „et nos semper novitatum impatientes fuimus, et nunc humiliter et pie apud Sedem Apostolicam in terram proni flemus et con-

[1] Qui libellus cum Bellarmini responsione adiunctus est Meyeri Historiae, I. 798.

querimur, quia propter manifestam circa mysteria gratiae novae doctrinae curiosam introductionem nos antiquae doctrinae circa incomprehensibilia mysteria intelligentiam et sermonem communem silentio tegere debemus. Deinde si quod parvulorum scandalum . . . natum est, . . . causam illi dederunt, qui curiosis subtilitatibus . . . circa incomprehensibilia mysteria per novam et inauditam doctrinam ea mysteria omnibus pervia facere attentaverunt. . . Taceant ergo curiosi et in Ecclesia Dei supervacanea loqui desistant. . . Non itaque silentium *utrique* parti imponendum videtur, sed illis, qui huius tempestatis causa exstiterunt. . . Quantum enim Ecclesiae Dei D. Thomae doctrina a summis Pontificibus approbata piae utilitatis attulerit, nemo ignorat. At vero nostris temporibus derident eam *iuniores* tempore; neque se quisquam adversariorum perfectum theologum existimat, nisi . . . plurima singularia dogmata supra et contra illam adinveniat et sollicite doceat.“ Deinde quaedam *novae* Iesuitarum doctrinae reprehenduntur, ut illud: Bellarminum negare imagines ita, ut S. Thomas docuerit, adorandas esse. Si silentii mandatum futurum sit diuturnum, periculum esse, ne Hispania quoque, ut Germania et Anglia, a fide deficiat. Quare manifestam et antiquam SS. Augustini et Thomae doctrinam imposito silentio contegendam non videri. Allatis autem aliquot etiam in docendo difficultatibus inde derivatis, extremo libello in hunc modum conqueritur: „Gloriantur,“ inquit, „et exsultant theologi Societatis, qui per praedictum mandatum *pares* efficiuntur *nobis,* qui portavimus pondus diei et aestus.“

Clemens VIII. libellum Bellarmino iudicandum tradidit, qui eum prorsus refutavit. Dicebat iniuriam fieri Pontifici, cuius mandatum iniustum ac perniciosum appellaretur, quod antiquae doctrinae possessione sublata veteres cum novis opinionibus aequaret; utri veteres defenderent, in controversia esse; nec quaeri, doctrina SS. Augustini et Thomae tenenda esset an relinquenda, sed utra rectior illius interpretatio esset; nec de dogmate, sed de subtili explicatione theologorum silentium impositum. Deinde iniuria culpae dari Iesuitis docet, quod plurimas opinionum novitates induxissent; quod vero ipse reprehenderetur, respondet: ideo se non, ut S. Thomam, loqui de imaginibus, quod aliter Pontifices et Concilia locuti essent. Quorum decreta illum non vidisse, quod eo mortuo vel scripta vel edita essent; aliter enim profecto docturum fuisse, nec si Bonifacii P. VIII. decretum *De voto et voti redemtione* et sollemnem Conceptionis B. Virginis in Ecclesia cele-

brationem vidisset, sententias contrarias defensurum fuisse. Se autem de imaginum cultu cum omnibus, qui contra haereticos scripserint, eam sequi sententiam, quam Thomistarum princeps Capreolus exposuerit. Probari sibi, si loquendi libertas concedatur, sed male atque inique postulari (a Bannesio), ut silere Iesuitae, qui minores aetate sint, iubeantur, Praedicatores libere loqui sinantur.

Nihil est, quod huic responso addendum videatur. Quodsi ille enumerare damna, quae prohibitionis diuturnitate scientiae theologicae afferri existimaret, satis habuisset, non fuisset, cur reprehenderetur; sed fixum ei constitutumque erat, veterem sibi S. Thomae doctrinam adversus Ordinem recentem, quem illius inimicissimum falso habuit, quoquo modo tutandam esse. Caret autem omni pietate, quod conquerens de constitutione Pontificia apud Clementem VIII. hoc utitur argumento: se suosque impatientes esse novitatum, S. Pauli secutos exemplum, qui Christi vicario in faciem restiterit. Quantopere autem in littera inhaeserit D. Thomae, ostendit, quum Bellarminum reprehendit, qui cum oecumenico Concilio Nicaeno altero negaverat, imagines Christi cultu latriae afficiendas esse, et secundum illius Synodi canonem cum magno Capreolo S. Doctoris sententiam interpretatus erat [1].

Etiam maiore iudicii iniquitate usus est in controversia de caritatis gratiaeque augmento [2]. Qua in causa fratres suos aggreditur, a quibus *doctrinam S. Thomae . . . circa solutionem huius difficultatis vel non legi vel negligi* dicit. Itaque sibi hoc proposuerat, ut in hac re *tam gravi* D. Thomae doctrinam, quae non solum ab Antithomistis, sed etiam a quibusdam Thomistis neglecta iaceret, erigeret, eamque sperabat, exclusis variis *mirabilibus, inintelligibilibus, inextricabilibus* novitatibus, in scholis, Thomistarum potissimum, in suum locum restitutum iri. Recentiores illos Thomistas non alios intelligit, nisi clarissimum illum Franciscum de Victoria cum celeberrimis suis discipulis, Cano et Mantio, h. e. eum virum, quem ipse scholasticae theologiae quasi reparatorem iure vocaverat [3]. Affirmat autem *falsa* et *nova arbitramenta* ab iis

---

[1] Nec vero ipse S. Thomas verbum illud ita intellexit, ut nos solemus; quare Bellarmino dicere licuit, non tam sententiam, quam verba S. Thomae a se improbari.

[2] In 2. II. q. 24. art. 6. p. 352—387.

[3] In 2. II. q. 1. art. 7. p. 36; eodem loco ceteros quoque Theologos Salmanticenses pro merito collaudat Illum autem et, qui eum sequebantur,

in scholam theologorum esse introducta, qui inter nominales plurimum sunt versati, quasi horum contagione Parisiis infecti genuinam S. Thomae doctrinam corruperint (II, II. q. 24. a. 6. *Sexta conclusio*); exprobrat iisdem magnis theologis, quod *coepissent communem modernorum viam tenere et prosequi*[1] (l. c. § *Documenta S. Thomae . . . desumpta ex theologica Summa*). Et revera magnum inter illorum et Bannesii rationem docendi existit discrimen. Illi enim acerrimi doctrinae S. Thomae propugnatores viam tenuerunt vere catholicam, antiquitus usque ad illa tempora traditam et servatam, quam aliquis eorum, Melchior Canus, admirabili de locis theologicis libro illustravit, ut ipsum S. Thomam imitantes praeter huius libros nullam rationem negligerent, qua universalis Ecclesiae doctrinam cognoscerent et illustrarent. Iidem non abhorrebant quasdam sententias S. Doctoris in benigniorem sensum interpretari, ut potius eius „sapientiam" quam litteram sequerentur; hanc rationem tenebat Franciscus de Victoria, ut Melchior Canus (loc. theolog. l. 12. ab initio) de eo retulit, hanc ipse Canus (l. c.), hanc Mantius, ut Bañez (l. c.) testatur. Hic vero, qui *in omnibus et per omnia* S. Doctorum sequi et *etiam in levioribus quaestionibus nec latum quidem unguem* ab eius doctrina discedere vult, ita S. Thomae litterae inhaeret, ut *communem modernorum viam* negligere nec multum universam recentiorem doctrinae catholicae explicationem, etiam per Concilia factam, visus sit curare. Exemplum huius angustae interpretandi rationis sit haec ipsa disputatio de caritatis gratiaeque augmento. De qua re doctrina Concilii Tridentini perspicua est et clara; anathematizat enim (can. 26. et 32.) eos, qui dixerint: *iustos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo . . ., si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint,* vel *ipsum iustificatum bonis operi-*

---

doctissimos viros O. Praed. in ipsa praefatione commentariorum suorum laudibus effert. Item l. c. p. 35. sic ait: „Gloriosae memoriae F. Franc. de Victoria scholasticam doctrinam viva voce velut alter Socrates suis lectionibus in methodum perspicuam et eruditione plenam ad intelligentiam S. Thomae reduxit et illustravit."

[1] Scribit enim de Mantio: „Oblata sunt ei nostra scholastica commentaria super eundem articulum et usque adeo placuerunt, ut in sua lectura nostram sententiam dictasset, nisi iam . . . coepisset communem modernorum viam tenere et prosequi, ne videretur vir gravis tam cito palinodiam recantare." Hanc acerbam fratris reprehensionem melius intelligemus, si animadverterimus, Mantium Bannesii doctrinae de physica praedeterminatione statim restitisse.

bus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum . . . fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum. Nihilominus Bañez negat, iustos, etsi *bene agendo usque in finem perseveraverint* et *in gratia decesserint,* tamen eam quam bonis operibus *vere meruerunt* retributionem *(augmentum gratiae et gloriae)* unquam esse a Deo accepturos, nisi intentiores caritatis actus posuerint. Quae Bannesii doctrina ita a canonibus illis Tridentinis dissidet, ut vel fidelissimus eius discipulus Alvarez cum aliis recentioribus Thomistis eam deseruerit (disp. 60. de auxiliis n. 3. 24. 29). Sed ex universa hac controversia aliisque supra (p. 83. not. 1. p. 197. 198.) allatis exemplis intelligitur, contrariam magnis Thomistis, Francisco de Victoria, Cano, Soto, Mantio, rationem explicandi S. Thomae illum usurpasse, ut neglectis theologiae incrementis et recentiore doctrinae ecclesiasticae explicatione S. Thomae verbis ac litteris inhaeresceret. Haec eadem singularitas est interpretandi, qua et Bañez in Aquinate, et Protestantes in Scriptura, et Baius in Augustino exponendo usus est. Expeditum hoc quidem videtur genus argumentandi; nimirum molesta non erunt catholicae traditionis documenta, vel theologorum studia vel Pontificum vel Conciliorum decreta, quibus nihil sit contra Thomam, aut Augustinum, aut sacras litteras definitum! Sed viam obstruit, qua ad intelligentiam vel Scripturae vel Augustini vel Thomae accedi oporteat. Veterem rationem eandemque vere catholicam Societas Iesu retinuit, quum eam in ipsa Praedicatorum disciplina Salmanticae didicisset; nam eandem Canus quoque in praeclaro opere De locis theologicis exposuit. Quam quum in *Ratione studiorum* illa praeciperet, significavit, quanti rationem quoque docendi in scholis Catholicis, S. Thomae potissimum, ex antiquitate traditam aestimaret. Eam et Lovanii contra Baium et Salmanticae contra Bannesium propugnavit.

Rationem singularem Bannesii S. Thomae interpretandi sententiae consecutae sunt maxime singulares. Modo significavimus, quid de incremento gratiae sanctificantis docuerit. Sed alteram considerare placet, quae cum nostra de gratia controversia coniuncta connexaque est. Medina, qui cum Soto duas esse statuit causas iustificationis, alteram efficientem sive Deum per habitus infusionem, alteram *materialem* vel animi dispositionem, haec narrat[1]: „Vidi hominem doctissimum, qui ut se ab argumenti

---

[1] In 1. II. q. 113. art. 8. p. 1686.

difficultate liberaret, in scholam introducebat **novam et inauditam** sententiam, videlicet quod motus liberi arbitrii per poenitentiam et caritatem non est praeparatio ad gratiam, quemadmodum calor est dispositio ad ignem et frigiditas ad aquam, sed dicitur *dispositio ad gratiam in genere moris;* quia requiritur consensus voluntatis, ut gratia infundatur, sed *non* est necesse quod praecedat *in genere causae materialis* et praeparatoriae, quemadmodum praecedunt *dispositiones in genere naturae.*" Quem putamus fuisse hominem illum doctissimum, qui *novam et inauditam* sententiam introducebat? Sine dubio Bañez. Non edidit ille quidem commentarios in 1. II., ubi necesse fuit de illa re disseri; sed eam opinionem, quam Medina reprehendit, ille ne ibi quidem tacet, ubi defendenti, augeri habitus gratiae et caritatis, ad contrariam opinionem quodammodo sua sponte deveniendum fuit. „Neque tamen," inquit [1], „asserunt [Concilia, liberum arbitrium] effective ad infusionem gratiae concurrere, sed ad disponendum se ad gratiam. *Neque* hanc efficientiam definiunt esse ut est *causis physicis* attributa, sufficit enim *moralis efficientia* ad verificandam Conciliorum definitionem. Qui enim libere se disponit, cooperatur ut *causa moralis.*" Idem in eodem tractatu actionem humanam appellat *causam meritoriam et in genere moris,* habitum a Deo inditum non dubitat *causam materialem* dicere. „Fieri potest," inquit [2], „ut ipse habitus intensior quam antea erat, sit effectus intensioris actus et simul sit causa illius: causa quidem in ratione principii effectivi et elicitivi ipsius actus intensioris; effectus vero in quantum *actus est causa meritoria et in genere moris causans* habitum tam intensum. Et similiter in quantum ipse *habitus in genere causae materialis,* hoc est, dispositivae, prior natura est, quam maior intensio habitus." Quum enim certissimam gratiae efficaciam ex *sola* invicta Omnipotentis virtute derivet, non requiritur animi ipsius, qui movetur, ulla praeparatio aut etiam cooperatio tamquam causae materialis; et inepte liberae hominis actioni Dei motio, ut causa efficiens causae materiali, opponitur, sic ut duae sint *partiales* iustificationis causae; immo vero Deus dicendus est *sola causa adaequata* et iustificationis et praeparationis, qui quasi gradibus nos iustificare statuit, dispositionibus nostrorum actuum liberorum, ut ille dicit (l. c. p. 366.), adhibitis. Quas tamen non ita hoc loco spectari vult, quatenus e

[1] Bañez, In 2. II. q. XXIV. art. 6. concl. 1. p. 353.
[2] L. c. p. 368.

libero arbitrio procedant, quemadmodum censuit Medina, sed „quatenus Dei opus sint“ (p. 354.).

Cum quo aliud quiddam connexum est, quod ille a schola S. Thomae prorsus discrepans docet. Cuius quum haec esset communis sententia, motum a primo motore impressum voluntatibus dispositione et lubitu cuiusque modificari ac determinari [1], id quidem abhorrere oportuit eum, cuius tota doctrina in invicta Dei virtute describenda versaretur. Itaque hoc ita esse negat. Sed ipsum iam audivimus haec contra Caietanum aliosque disputantem (supra p. 58. et 59.), ubi dicit, divinam motionem a creatura non posse modificari, quia prima causa secus a dispositionibus creaturae, tamquam *causae materialis,* penderet. Deinde ibidem significat, quam arcte haec doctrina cum iis, quae de gratia et libero arbitrio asserit, connectatur: „Et haec doctrina valde notanda est pro materia de gratia et de praedestinatione, in qua multi paralogizantur, putantes, quod liberum arbitrium hominis modificat aequalem concursum et auxilium Dei.“ Quum igitur negaret, creaturam omnem, etiam voluntatem, ut causam materialem seu dispositivam, Deo efficienti cooperari posse, secum omnino consentit proferenda illa, quam Medina dicit *novam et inauditam,* opinione: liberos actus non ut causam materialem praeparare et disponere, sed duntaxat *ut causam in genere morum* agere ad iustificationem.

Itaque Bannesii singularis doctrina id ipsum sustulit, quo, ut Bellarminus (supra p. 156. not. 1.) dixit, libertatem in Divina motione schola S. Thomae servare studebat, et quam haec motionem Dei docuerat, ille praedeterminationem physicam efficiebat, illico repugnante, ut mox dicemus, scholae illius Salmanticae doctore praecipuo atque principe Mantio.

Sed ad describendam illius doctrinae proprietatem redeamus. Quid est, in quo tota vertitur? Inflexibilem esse statuit *Divinae voluntatis efficaciam*, quae omnia *in quantum ad fieri, esse et modum* ante omnem praevisionem determinet. Quam quomodo describat, ipsum audiamus:

In commentariorum I. p. q. XXIII. art. III. concl. 9. p. 272. sic ait: „Deus cum sit causa totius entis nihil praesupponit ab alio factum, cuius ipse non sit causa, et ita omnia determinat et a nullo determinatur. . . Cum divina voluntas sit causa efficacissima omnium bonorum, sicut efficaciter vult finem, efficaciter

[1] V. supra p. 56 ss. 102. 111. 112. 121. et p. 156 n. 1.

etiam vult et determinat omnia media ad finem, ita sane ut concursus Dei activus a nullo extrinseco determinari possit.“ In I. p. q. XIV. art. XIII. p. 216. „Si concursus primae causae non esset efficax ad determinandum omnes causas secundas, nulla secunda causa operaretur suum effectum: quia nulla secunda causa potest operari, nisi sit efficaciter a prima determinata.“ Q. XIX. a. VIII. p. 244. „Displicet quod [Caietanus] ait, virtutem primae causa modificari per causam secundam, non tamen impediri. Quod quidem ego falsum reputo, si de prima causa universalissima, qualis est divina voluntas, intelligatur. Immo vero divina voluntas omnia modificat, dum causa est universalissima et efficacissima cuiuslibet rei in quantum ad fieri et quantum ad esse et quantum ad modum. . . Omnis causa modificabilis ab altera non determinat seipsam ad effectum specialem, sed divina voluntas seipsam determinat ad quemcunque effectum specialissimum et singularem producendum, ergo non est modificabilis a causa inferiori concursus activus divinae voluntatis. Et confirmatur. Quia esset ponere maximam imperfectionem in Deo, asserere, quod quemadmodum idem omnino concursus solis producit distinctos effectus, quia modificatur per distinctas causas inferiores, ita concursus divinae voluntatis, quantum est ex parte sua, manet indifferens, sed modificatur et determinatur ad distinctos effectus per distinctas causas inferiores.“ Q. XIV. art. XIII.: [Deus] „est prima causa dans esse et virtutem et determinationem omnibus causis.“

Ex hac autem ipsa infinita potentia et efficacia voluntatis Divinae et *vis determinationis* repetitur et *actus* determinati *necessitas* (quae est necessitas consequentiae, i. e., consequens determinationem s. voluntatem Divinam). „Oportet,“ inquit p. 215. q. XIII. art. XIII., „explicemus necessitatem, quam habet [consequens: Antichristus erit] in ordine ad eandem [Dei] scientiam, ut causa est. Et ista necessitas sumitur ex efficacissima primae causae virtute, quae ita determinat omnes causas secundas ad suos effectus producendos, quod nulla causa secunda potest exire ab eius determinatione.“ Et p. 245. q. XIX. art. VIII.: „Quarto modo dicitur necessarium ex suppositione. Quae necessitas potius est consequentiae, quatenus aliquid necessario sequitur ex alio praesupposito per bonam consequentiam. . . Advertendum etiam est hic, quod huiusmodi suppositiones variae sunt. *Aliquando* enim *praesupponitur* scientia Dei vel *voluntas infallibilis* et providentia illius respectu alicuius effectus. Aliquando praesupponitur causa contingens, posita tamen in actu et non impedita, et

tunc necessario sequitur effectus necessitate consequentiae, qui nihilominus est contingens simpliciter.“ Pag. 246: „Secunda conclusio. Effectus contingentes aut liberi, si comparentur ad scientiam vel providentiam vel voluntatem Dei, sunt necessarii secundum quid, s. ex suppositione... Quia hae consequentiae sunt bonae et *necessariae: Deus vult aliquid fieri, ergo fit* eo modo et quando vult fieri.“

Dei autem determinatio etiam ad *malos* actus pertinet; ipsa enim actio, ut actio est, efficitur a Deo, culpa adiuncta permittitur. „Peccatum,“ inquit p. 270. q. XXIII. art. III., „eatenus est cognoscibile, quatenus est ens: ergo Deus cognoscit cognitione intuitiva peccatum, quatenus Dei voluntas est causa entitatis actus peccati, et simul permittens, quod ad eundem actum concurrat liberum arbitrium deficiendo a regula, et ita divinae providentiae infallibilitas non mensuratur aliquo extrinseco, sed ex providentia et voluntate permittendi peccatum praescit Deus notitia intuitiva futurum peccatum. Confirmatur. Quia notitia intuitiva Dei respectu peccati respicit coexistentiam peccati aeternitati Dei, quae convenit malo culpae, quatenus est in bono et in ente, cuius Deus est causa; ergo notitia intuitiva Dei respicit illud per se, cuius Deus est causa, et sic cognoscit peccatum.“ Pag. 271: „Nihilominus actus liberi arbitrii reducitur in Deum sicut in causam, unde necesse est, ut divinae providentiae subiiciatur, ergo sub divina providentia cadit omnis operatio liberi arbitrii, etiam peccati, directe quidem, quatenus operatio est, permissive vero, quatenus deficiens est a regula rationis. Et ita verificatur illud Prov. 16: Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem malum, sc. eatenus creavit hominem aliquem, quem voluit permittere impium esse, ut in die iudicii ostenderet iustitiam suam in eius condemnatione iusta.“

Quod autem eandem *entitatem actus peccati* et Deus efficere dicitur et homo, ille quidem sanctissime, hic scelerate, id quomodo fieri possit, in morte cuiuspiam hominis explicat. Mortem enim Deus sancte vult, quam flagitium esset si filius vel optasset vel voluisset. „Ex hac doctrina,“ inquit (p. 270.), „potest intelligi, quod non solum respectu eiusdem obiecti materialis et extrinseci ab ipsa voluntate, sed etiam eiusdem interioris actus voluntatis, quantum ad entitatem ipsius possit esse voluntas hominis mala, et voluntas Dei bona, ut causa efficiens illius; v. g. Deus est volens et efficiens causa actus odii Dei, et voluntas humana est causa eiusdem actus voluntaria et efficiens. At vero voluntas hominis

mala est, quia talem actum exercet sine regula rationis, immo contra regulam et legem Dei, Deus autem bona voluntate vult fieri illum actum permittens defectum causae secundae in ipso, ut inde aliquod maius bonum faciat, sc. ut ostendat bonitatem suam iuste puniendo et magis miserendo respectu aliorum, vel etiam respectu eiusdem, si praedestinatus fuerit."

Similiter quum *non convertitur* homo, huius rei, quatenus negatio est, Deus *causa* est, neganda gratia efficaci, sine qua scit fieri non posse, ut peccator actu resipiscat. Sic enim habet (p. 280. l. c. q. XXIII. art. III.): „Si [ut pura negatio] accipiatur negatio conversionis, nihil verendum est concedere, quod sicut divinum auxilium est causa efficax gratiae et conversionis in Deum, ita negatio auxilii efficacis causa est non conversionis in Deum, quatenus est pura negatio entis, immo hoc modo dicitur Deus excaecare, indurare, negando illud auxilium efficax, ex qua negatione statim sequitur necessitate consequentiae, quod aliquis non convertatur." Et p. 208. q. XIV. art. XIII.: „Voluntas creata infallibiliter deficiet circa quamcumque materiam virtutis, nisi efficaciter determinetur a divina voluntate ad bene operandum. Quocirca ex eo, quod Deus cognoscit, suam voluntatem non determinasse voluntatem creatam ad bene operandum in materia v. g. temperantiae, cognoscit evidenter, quod voluntas creata peccabit et deficiet in materia illius virtutis. Itaque alia futura contingentia cognoscit Deus in suis causis, prout sunt determinatae a prima causa: malum vero culpae futurum cognoscit in sua causa, quatenus non est determinata a prima causa ad bene operandum."

Quomodo vero cum hac doctrina consistat hominis *libertas,* quomodo agere *possit,* negata gratia efficaci, sine qua fieri *actum* repugnet, quomodo actum omittere, ad quem sit a Deo immutabiliter determinatus, ex ipso Bannesio diligenter nobis discendum est, etiamsi aliqua iam dicta repeti necesse erit. Nam ipsius responsionis ratio parum satisfaciens difficultati et quae de determinatione actus peccati et de reprobatione disserit, haec et acerrime ab eius adversariis impugnata sunt et materiem magnae controversiae attulerunt.

Principio distingui iubet *potentiam* ab *actu.* Illam vel a natura suppetere vel a gratia sufficienti conferri, nec eo tolli, quod negata determinatione efficaci fieri non possit *actus;* ita in culpa esse hominem, si, quod *possit,* non faciat. „Concedo," inquit, „in sensu composito, quod non potest agere poenitentiam

sine auxilio speciali; sed tunc nego consequentiam, dum infertur, ergo si Deus statuit sua providentia non conferre illud auxilium speciale, non imputabitur homini, si non agat poenitentiam. Nihil valet ista consequentia. Ratio est, quia sufficit, quod ille homo acceperit auxilium supernaturale et notitiam Divinae misericordiae invitantis ad poenitentiam, ut homo obligetur pro tunc et dicatur simpliciter posse agere poenitentiam; quia aliud donum est posse agere poenitentiam, et aliud est agere illam, et ideo ad hoc, quod homo nolit agere poenitentiam, non opus habet maiori auxilio, quam illo, quo posse agere poenitentiam dicitur" (p. 280. q. XXIII. art. III.). Quod posteriores Thomistae sui expediendi causa afferunt, homini ob culpam commissam gratiam efficacem negari atque ita eum praetermittendo actu poenam mereri, ea quidem excusatione non utitur Bañez; nec universae eius doctrinae congruere videtur, quum Deus ante omnem actus humani culpaeve praevisionem decernat, quem et quando determinare velit, quem non determinare omnino.

Deinde Deum non actum solum ipsum efficaci determinatione velle dicit, verum etiam, ut *libere* fiat; ita actum effici non laesa libertate. Deum suaviter omnia disponere, nec naturam a se creatam violare nec libertatem minuere. Radicem et fontem esse liberi arbitrii illud indifferens rationis iudicium: rem propositam esse *medium* non necessarium ad finem necessario appetendum; ea radix ubi sit, ibi voluntatem liberam efflorescere. Iam vero Deum nequaquam ita determinare hominem, ut *indifferentiam* tollat iudicii; ergo non tollere libertatem. Ipse loquitur in hunc modum (p. 255. q. XIX. art. X.): „Tertium documentum et potissime observandum est, quod libertas actus voluntatis, quae in ipsa formaliter existit, consurgit ex radice actus intellectus, videlicet ex tali actu et iudicio intellectus. Proponit enim intellectus voluntati obiectum, quod de seipso indifferens est ad assecutionem obiecti voluntatis, neque cum illo necessariam connexionem habet, et nihilominus iudicat ordinabile esse ad finem voluntatis, vel ad assecutionem illius, vel ad participandum aliquam bonitatem ex fine, et tunc iudicat, ut ordinetur ad finem, et tunc voluntas eligit, et in tali electione formaliter est libera. Quae libertas oritur tanquam ex radice ex praedicto intellectus iudicio... Quod quidem iudicium practicum est et cum electione voluntatis necessario coniunctum tanquam radix efficax, unde originatur actualis libertas operantis per voluntatem... Quotiescunque actus voluntatis oritur ex praedicta radice iudicii, semper erit liber. Unde rursus

colligo: Quicquid antecesserit, vel comitabitur, vel supervenerit ad actum voluntatis, si non tollat iudicium illud circa medium respectu finis, non destruet libertatem operationis. Haec consequentia evidens est; quia, stante definitione actus liberi, necesse est actum esse liberum. Nunc ergo ad difficiliora paulatim accede. Antecedit quidem operationem nostram liberam divinae voluntatis aeternum et immutabile consilium sive divinae providentiae infallibilis praedefinitio, quae omnem bonam operationem liberam praedefinivit, immo et omnem operationem, in quantum bona est et circa bonum exercetur. At vero quia ipse Deus sua providentia et immutabili consilio non ligat neque destruit iudicium nostrum, quo iudicamus indifferentiam medii et ordinabilitatem eius, et ordinandum esse ad finem, non etiam nostrae operationis libertatem destruit, sed potius illam efficaciter efficit, fovet atque conservat.“ Quae quam captiosa sit argumentatio, evidens est. *Stante definitione,* inquit, *actus liberi, necesse est actum esse liberum.* Ita omnino. Sed definitio est rei, non radicis, unde progignitur res. Radix esse potest et tamen res non inde progigni. *Uni et eidem rei,* inquit in eandem sententiam p. 215. q. XIV. art. XIII., *potest simul competere uterque iste modus, scilicet necessitatis et contingentiae. Sed alter, nempe modus contingentiae, convenit ei simpliciter, id est ab intrinseco et ex propria natura. Alter vero, scilicet modus necessitatis, convenit secundum quid, id est per respectum ad extrinsecum.* Iterum captiosa adhibetur argumentatio. Divina determinatio enim cum necessitate, quae eam consequitur, non extra voluntatem manet, sed ab hac suscipitur et quasi imbibitur neque minus ad voluntatis actum producendum necessaria est quam rationis iudicium, ita tamen, ut hunc rationis actum sequatur et ideo necessitate sua eius indifferentiam auferat.

Praescientiam libere factorum facillime explicat: omnia Deus, ipsa etiam peccata, e suis decretis vel determinandi vel non determinandi cognoscit. Est autem praevisio adiuncta decretis causa rerum, quas omnes efficit; connectitur vero infallibiliter cum peccatis permissis, quae, ea posita, fiunt necessitate consequentiae sive conditionata (v. supra p. 205. 206.).

Reprobatio vero consilium est Dei permittentis, ut quispiam libera deliberatione fine ultimo excidat. Cuius similis ratio esse dicitur ac praedestinationis. Consilia Dei sunt, nec alterum ab altero seiungendum. Nam praedestinatio electio est, quae in Deo, qui nihil ignoret eorum, quae decretum aliquod consecutura sint, cogitari non potest, quin et alteros ad vitam aeternam efficaciter

adipiscendam eligat et *alteros contemnat*, h. e., decernat permittere, ut aeterna destinatione non potiantur. Cuius rei ratio in ipso Deo est, nec aut a bonis aut a malis hominum actibus praevisis repetenda [1]; ut in praedestinatis misericordiam, ita in reprobis iustitiam manifestare decrevit. „Praedestinatio," inquit p. 269. q. XXIII. art. III., „est ratio praeexistens in Deo ordinis in finem; ergo reprobatio est ratio ordinis reprobatorum in finem intentum a Deo, scilicet, ut ostendat iustitiam vindicativam, ad quem finem necessaria est permissio peccati et ordinata a Deo et posita ad talem finem." Idcirco reprobatio a Bannesio *praeparatio, aptatio, praeordinatio ad interitum* [2] dicitur. In hac autem praeordinatione primum omnium est finis, ut manifestetur iustitia. „Simpliciter loquendo," inquit p. 305. q. XXIII. art. V., „prius est in genere causae finalis nostro modo intelligendi ille supernaturalis finis, quam permissio peccati", et p. 269. q. XXIII. art. III.: „Est prius voluntas finis quam ratio mediorum ad finem." Haec autem media sunt, ut Deus sinat reprobos 1. peccare, 2. peccatores permanere ac mori, 3. eos perpetuis afficiat suppliciis. Quum sinere dicitur, intellige: velle, eligere, decernere, seu id agere, quo certissima ac necessaria consequentia *priventur* reprobi fine aeterno. Explicat ipse p. 270. q. XXIII. art. III. in hunc modum: „Secunda conclusio. Actus divinae voluntatis circa permissionem peccati reproborum et circa subtractionem auxilii efficacis, quo posito non peccarent, vel si peccarent, poenitentiam agerent, *affirmative* explicari debet et non solum negative. Itaque Deus habuit hunc actum ab aeterno: volo permittere haec peccata, volo quibusdam non dare auxilia, quae si reciperent, non peccarent. Probatur haec conclusio primo, quia permissio peccati bona est et ad bonum finem ordinatur, ergo divina voluntas vult permittere peccatum. Confirmatur quia Deus ex proposito vult conferre auxilia quibusdam, quibus efficaciter perve-

---

[1] Pag. 270. q. XXIII. art. III.; p. 208. q. XIV. art. XIII.; p. 271. Non negatur a Bannesio, ut ob orationes praevisas conferri possint a Deo subsidia efficacia ad exequendum decretum praedestinationis, ita in exequenda reprobatione negari posse ob peccatum commissum. Haec tamen ei causa minime necessaria videtur, cur in culpa sit homo peccans subsidiis efficacibus deficientibus, nec ratio est totius ordinis, sed singularis effectus.

[2] Quod ait p. 309. q. XXIII. art. VII.: „Illa aptatio in interitum sive praeparatio nihil est aliud quam *praeordinatio ad interitum*, quae est reprobatio ad condemnationem," loco scripturae eum abuti manifestum est; sensit ipse, quum alio loco, *aptationem ad interitum* non Dei, sed hominum esse actionem dixit, qua digni efficerentur aeterna damnatione.

nient, ergo si quibusdam negat, huiusmodi auxilia *ex proposito vult non dare.*" Pag. 271: „Insuper probatur secunda conclusio. Quia sub divina providentia cadit, quod iste homo abstineat a peccato, ergo sub eadem cadit, quod alius permittatur cadere et peccare. Probatur consequentia. Quia alias ille, qui detinetur a peccato, non discerneretur ex divina providentia ab altero, sed potius talis discretio esset a casu respectu divinae providentiae, ergo sub eadem providentia cadit, quod alius permittatur peccare. . . *Permissio*, de qua fit sermo in praesentia, *nihil est aliud quam privatio efficacis auxilii*, quo posito omne malum culpae impediretur, sed eiusmodi privationis auxilii efficacis causa est divina providentia, ergo et permissionis peccati. Minor probatur. Deus ab aeterno decrevit quibusdam non dare istud auxilium, alioquin quomodo praesciret, illud non esse conferendum, nisi sua voluntate voluisset non dare. Et confirmatur primo. *Deus quosdam prae aliis elegit, quibus conferret haec auxilia efficacia, ergo voluntate et providentia discrevit eos, quibus confert haec auxilia, ab illis, quibus non confert,* ergo divina providentia causa est huius discretionis effectus, quia effectus nihil est aliud, quam ex proposito relinquere quosdam destitutos efficaci auxilio, quosdam vero efficaciter ad consecutionem vitae aeternae adiuvare. Confirmatur secundo. Praedestinatio in scriptura saepenumero appellatur electio iuxta illud ad Eph. 1: Sicut elegit nos in Christo ante mundi constitutionem; sed electio, si proprie loquamur, est operatio quaedam voluntatis collativa, per quam quibusdam mediis contemptis alia media acceptantur ad finem; ergo in divina praedestinatione hoc totum reperitur, quod *Deus sua voluntate quosdam homines ad efficacem aeternae vitae consecutionem elegit, quosdam vero contempsit et sprevit.* Hic autem contemtus nihil est aliud quam voluntas permittendi eos deficere ab ultimo fine." Pag. 272: „Permissio non est pura negatio, sed est potius privatio." Ergo si aliqua possunt in reprobis accidere ob culpam peccati commissi, ut suprema illa a felicitate exclusio, quae poena peccati est, tamen *totius* effectus reprobationis prima ac necessaria causa est ordinatio divina. „Simpliciter loquendo," inquit p. 302. q. XXIII. art. V., „id est, non comparative, sed absolute considerando ipsos reprobos, non datur causa aut ratio ex parte ipsorum suae reprobationis, id est, totius effectus reprobationis. . . Habemus itaque, quod isti effectus reprobationis non sunt ad invicem ordinati in ratione causae et effectus, sed omnes simul ordinantur ad unum finem, scilicet omnes simul et collective ordinantur ad

hunc finem intentum a Deo ad ostensionem iustitiae suae et ad ostensionem maioris misericordiae erga praedestinatos. . . Intelligit D. Thomas nomine reprobationis Divinam providentiam permittendi aliquos incidere in culpam et derelinquendi illos in illa et puniendi in aeternum propter illam, atque ita necesse est, ut totius effectus reprobationis collective non possit assignari tanquam causa et ratio ipsum peccatum, in quo quis derelinquitur, quia illud non potest esse causa permissionis incidendi in ipsum peccatum." Denique contra eos, qui peccatum causam esse statuant reprobationis, sic ille argumentatur (p. 305.): „Unde simpliciter loquendo prius est in genere causae finalis nostro modo intelligendi ille supernaturalis finis, quam permissio peccati. Sed haec prioritas non obstat, quominus ipsa permissio in genere causae quasi materialis et termini a quo, sit prius nostro modo intelligendi, quam ille finis supernaturalis, et ita idem respectu eiusdem potest habere rationem causae et effectus in diverso genere causae. Cum igitur ipsa permissio non sit causa ex parte reprobati, propter quam mereatur reprobari, consequentia facta nihil valet." Quamobrem illi dicere licuit: *primum* esse effectum reprobationis *permissionem cadendi in peccatum usque ad mortem.*

Dura videtur doctrina, si, quid Bañez *permissionem* intelligat, recte consideres! Quam, quicunque scientia media utimur, *negativam* intelligimus; permittere enim eum dicimus, qui, quod ab altero male actum iri praenovit, non prohibeat. Cognoscit enim Deus scientia media, hominem in tali rerum conditione, oblata etiam sua gratiae mensura, peccaturum; quod si gratiis maioribus ipse impedire non vult, permittere dicitur peccatum. Eandem Salmanticae vetus S. Thomae schola permissionem intellexerat. Velut Dominicus Sotus illi sententiae: *indurationem esse negationem misericordiae,* haec subiungit: „Quo fit ut, cum Deus paratissimus sit subvenire cuicumque ad ostium pulsans, *prius natura sit, quod homo nolit assentire, quam quod Deus* eum durato suo *permittat* arbitrio; nam qui *audivit et didicit, venit ad me.*" [1] At Bañez, negata scientia media, contra statuit: prius esse natura permissionem Dei mala voluntate hominis; necesse enim fuit, quum scientiam mediam negasset, docere, decretum praedeterminandi vel praedeterminationis negandae praecedere *omnem* praevisionem (e suis enim decretis liberis Deus liberos actus volunta-

---

[1] In epist. ad Rom. c. 9. v. 22. 23.

tum cognoscit, ut paullo ante ex ipso identidem didicimus), et permissionem mali *ex proposito* fieri, quum ante *omnem* praescientiam ea negetur praedeterminatio, sine qua servari mandata nullo modo possint. Ita *permittere malum* rectius dicendum videbatur impedire bonum, quam non prohibere malum, et ipse Deum *contemnere* docet et *spernere* reprobos, ne aeternam vitam consequantur, eosque iis subsidiis efficacibus, quibus ad mandata *actu* servanda necessario indigent, *privare,* et utrumque quidem ante omnem culpae praevisionem, immo vero Deum „*eatenus* creasse hominem aliquem, quem voluit permittere impium esse, *ut* in die iudicii ostenderet iustitiam suam in eius condemnatione iusta“ (p. 271.). Ex quo intelligitur, cur admodum probabile visum sit Bannesio [1], Deum non sincere velle salutem omnium. Negat sane aliis locis compluribus [2], Deum ab aeterna beatitudine quemquam excludere nisi praevisis peccatis. Sed auditor eius Alvarez, vir summo ingenio, hoc cum illo ita conciliare studet, ut distinguat: ante omnem praevisionem Deum velle reprobos a felicitate ut a bono *non debito* excludere, post praevisionem peccati *ob culpam* admissam [3].

Atque haec illa sunt, quibus Bannesii doctrina imprimis distinguitur. Quam schola Neo-Thomistarum a principe atque auctore acceptam universam quidem probavit, quaedam autem consectaria, quae duriora videbantur, recusavit. Haec recusatio condemnatio est doctrinae. Male enim defenditur, quod ut tueare, necesse sit a te ipso deficere. Audiamus igitur Billuartum [4], ceteroquin fidelem Bannesii discipulum.

Dixerat Bañez, a Deo sperni reprobos ratione vitae aeternae consequendae ante omnem operum praevisionem, et Alvarez, eos a felicitatis consecutione ante omnem praevisionem excludi. Quam *duriorem* conclusionem aspernatus Billuart nullum se eius vestigium apud S. Thomam reperisse dicit.

Illorum uterque docuerat, Deum ipsum efficere, ut homo non converteretur, quatenus hoc esset aliquid negativi. Quam sen-

---

[1] Q. XIX. art. 6. p. 241.

[2] „Secundus sensus Matth. 18, 14. est, quod intelligitur de voluntate, quae respicit immediate punitionem et damnationem reproborum et exclusionem eorum a vita aeterna, nulla praesupposita culpa, et haec voluntas non reperitur in Deo“ (q. XXIII. art. 3. p. 272.).

[3] Alvarez, De auxiliis, disp. 110. n. 15 ss.

[4] Dissert. IX. art. 9. De motivo reprobationis; diss. VI. art. 6.; diss. VII. art. 6.; diss. VIII. art. 5. et alibi.

tentiam e Bannesii doctrina necessario conclusam Billuart recte recusat.

Bañez quum ante omnem libere factorum praevisionem Deum decernere dixisset, gratiam efficacem vel physicam praedeterminationem ad servanda mandata aliis concedere, aliis negare: quamquam sine illa mandata servari nullo modo possent, tamen, si non servarentur, id culpae verti reprobis docebat, quod, ut servare *possent*, gratia sufficiens efficeret. Posteriores vero *Thomistae* cum Billuarto eius doctrinae asperitatem ita temperare studuerunt, ut negationem gratiae efficacis a culpa hominis repeterent gratiae obsistentis. Quod quidem omnino docuit S. Thomas, cuius verbis allatis Billuart rectissime *Nihil simplicius*, inquit, *nihil clarius*. Quamquam ea explicatio doctrinae Bannesianae minime congruit, ut supra demonstravimus [1], nec eam Bañez adhibuit.

Priores Bannesiani praedeterminationem physicam ad constituendum *actum primum* rerum creatarum pertinere existimaverant; posteriores, quam periculosa illa sententia esset, intelligentes, eam Alvaresio auctore repudiarunt. Ac tamen illa Bannesii doctrinae coniunctior videtur ac multo magis consentanea [2]. Simile omnino est, quod superiores illi resisti posse gratiae efficaci negarunt, hi affirmarunt [3]. Praedeterminationem autem ad actum peccati Billuart *postdeterminationem* appellare mavult.

Bañez probabilius esse censet, Deum non velle salutem omnium, nec, si universae doctrinae suae consentire volebat, dicere poterat, vere ac sincere Deum omnium salutem velle. Id tamen ut demonstret, Billuart communem et scholarum omnium et fidelium consensum appellat. „Omnes enim scholae principes," inquit, „omnes illustriores theologi, omnes fideles in ea sunt sententia ac fide, quod Deus velit omnes salvos fieri, et quod ideo Filium suum miserit in mundum iuxta illud Ioannis 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; non dicit aliquos ex mundo, sed mundum ipsum, id est, omnes homines mundi." Et perspicuos affert locos e S. Thoma. Denique id ipsum damnata quinta Iansenii propositione confirmatum est, quod, ut recte monet Billuart, colligata sunt inter se haec duo: Christum pro omnibus mortuum esse, et illud, quod a Bannesio negari vidimus. Ergo illa quoque doctrina, cui consentaneum sit, immo vero ne-

---

[1] V. supra cap. 2. p. 25.

[2] P. Limbourg in „Zeitschrift für kath. Theologie", I. 191.

[3] Vide supra p. 13. not. 3.

cessario consequens, ut Deus non omnes salvos fieri velit, pariter cum *communi sensu scholarum et fidelium* pugnare dicenda est.

Quam doctrinam, cum veteribus Thomistis, ut auctor ipse fatetur[1], nequaquam semper consentientem, statim in universa S. Thomae schola receptam esse, existimari non debet. Auditores enim illius, qui multi erant, quum eam amplecterentur, tamen ab aliis quaedam partes, maxime praedeterminatio ad actum peccati, acriter impugnabantur. Tum, quum primum inventa est, physicae praedeterminationi se opposuit ipsum caput ac princeps scholae illius Salmanticensis, professor primarius, P. Mantius; quem alius Bannesii collega, P. Vincentius, imitatus et Salmanticae et Romae, quum eo vocatus esset, illam doctrinam confutare non destitit[2]; Medinam quoque, qui mortuo Mantio primam illam cathedram occupavit, supra ostendimus fratris sui quandam opinionem intime cum tota eiusdem doctrina connexam *novam et inauditam* appellasse.

Sed ea, quae diximus, aliis testimoniis confirmabimus duorum hominum, qui post Bannesium professores primarii Salmanticae fuerunt ipsumque et Vincentium adolescentes noverant. Franciscus Aravius O. Praed., qui 13 annis post Bannesii mortem per duo decennia professor primarius, postea episcopus Segoviensis fuit, ita scribit (tom. 2. in I. q. III. art. 5. dub. 6. n. 41. vers. *Sed accedat*): „Mirum plane est, quod quidam novitii theologi, quorum

[1] Supra p. 138. et 139.

[2] Cuius rei confirmandae causa Molina a. d. IX. Cal. Iun. Mantii et Vincentii dictata ad Inquisitores Hispaniae detulit. (Henao, Scient. med hist. propugnata. Event. 7. p. 53. n. 173.) Idem de PP. Mantio et Vincentio in responsione oblata Summo Pontifici testatur Arrubal, insignis Societatis theologus, qui tum Salmanticae docebat. (Liv. de Meyer, Hist. l. 3. c. 1. p. 198.) Et Coronel, Ord. S. Aug., alumnus Praedicatorum, tum Vallisoleti professor primarius, ad socium religionis Plumbinum, de Auxiliis consultorem, haec scripsit de Praedicatoribus Salmanticensibus: „Contrariam praedeterminationi opinionem ex Patribus Dominicanis legit nostra tempestate Magister Frater Ioannes Vincentius et aliquibus annis ante hunc Frater Mantius, ambo insignes viri in academia Salmanticensi“ De P. Vincentio idem refert auditor eius Basilius Leon; itemque FF. Praedicatores Ledesma et Aravius, professor primarius Salmanticensis. (Quae scripta v. apud Meyerum in Hist. l. 2. c. 12. 22. p. 125. 160. 161. et apud Henao l. c.) Unde intelligas licet, quae causa fuerit, cur Bañez, parum quidem urbane, Mantium, quem ipse et demissi animi et magnae doctrinae theologum praedicasset, nihilominus, ut ante vidimus, argueret veritum esse „communem modernorum viam“ Bannesii edoctum commentariis relinquere et ad veterem S. Thomae doctrinam, h. e., ad Bannesianam eius interpretationem se convertere.

multi absque ullo examine suorum magistrorum sectantur placita, tantam sibi fidem velint haberi, ut indubitanter posteri theologi credere teneamur hunc Dei physicum humanae voluntatis praedeterminativum concursum, cuius nec sacra Concilia nec SS. Patres aliquando meminerunt, sed ab eis fuit quodam fallaci discursu confictus."

Basilius autem Leon, ad quem Iansenius divertit, quum per Galliam et Hispaniam iter faciens academias foedere quodam contra Societatem Iesu coniungere conaretur, sic scribit (Var. disp. p. 1. q. 9. expositiva cap. 3. p. 399.): „Licet nonnulli [ex Dominicana familia] obstinate praedeterminationem illam voluntatis ex physica Dei motione aut qualitate provenientem, quae ita ad unam partem determinaret ante consensum voluntatem, ut deinceps non esset electionis humanae, illi positae motioni Dei aut obtemperare aut refragari, docuerint, excitavit tamen Deus olim doctissimum et religione excultissimum virum Ioannem Vincentium ex eadem familia, qui eam docendi rationem validissime impugnans, morales tantum praefinitiones per excitationes, quae actus sint intellectus et voluntatis, induxit, legit, dictavit in Salmantino theologorum gymnasio, me et spectante et audiente, et postea alii ex eadem familia ab illa propositione cum laude et fructu discesserunt."

Sed multo ante Aravium et Basilium Leonem frater atque collega Bannesii, qui brevi post illius obitum Romae in Minerva docuit, Ioannes Gonzalez Albelda, sectatores eius *iuniores Thomistas* vocaverat eosque oppugnans veterem scholam: Capreolum, Conradum, Sotum, Canum, Medinam appellaverat (Comment. in I. p. Summae theol. S. Thomae disp. 58. sect. 2. nn. 7. 8.; sect. 3. n. 11. Ed. Compl. 1621. pp. 690. 704. V. supra p. 93.).

Cuius dissensionis vestigium exstitit in familia Dominicana a. 1606. in capitulo provinciali Avenione habito. Ubi Theophilus Raynaudus narrat (in Hoplotheca contra ictum calumniae s. 2. cap. 9. p. 277.) se praesente defensam esse hanc propositionem: „Efficacis gratiae natura talis nobis videtur esse, ut neque physice, neque moraliter voluntatem humanam praedeterminet ad volendum et eligendum bonum, quod sibi ope gratiae inspiratur; hac enim ratione sublatus creditur omnis omnino liberi arbitrii usus tam quoad exercitium, quam quoad specificationem. Nam fieri non potest, quod Deus per gratiam voluntatem determinet, quin ipsa determinetur et sine indifferentia velit id, ad quod determinatur. Gratiae enim efficacis effectus infallibilis est, non necessarius."

Quamquam ea aetate illi, quos Aravius *novitios* theologos, Albelda *iuniores Thomistas* dicit, iam dominari coeperant. Valuit enim ingenium auctoritasque Bannesii, cui se obiicere nemo nisi aegre auderet, quum praesertim professor primarius Medina mortuo renuntiatus esset; valuit etiam commotio animorum, diuturnitate controversiarum contra nostros theologos excitata, ut oppugnatio illa Bannesii paullatim languesceret. Coeperunt non inviti eum sequi, qui certamen iniisset adversus novam et heterodoxam, ut dicebatur, de scientia media doctrinam, nec dissensionis, quae inter ipsos ducemque suum intercedebat, memoriam retinebant. Discipuli autem illius, Lemos et Alvarez, Romae quoque amicos doctrinae eius conciliarunt. Nam id perpetuae Hispanorum querelae contra Molinam Sociosque effecerant, ut ibi quoque controversia et excitaretur et ageretur; disputabat autem Lemos summa omnium approbatione; Alvarez vero per decem annos primariam Praedicatorum scholam theologicam (sopra Minerva) regere perrexit. Atque illis contentionibus Romanis doctrina Bannesiana explicata, polita, absoluta est ita, ut eam Alvaresii liber de Auxiliis exhibet.

Alia fuerunt initia Neo-Thomismi in Hispania. Ipsi enim eius defensores argumentatione multum inter se discrepabant [1]; quidam etiam veterem illam Thomistarum Salmanticensium sententiam [2] a Bannesio repudiatam revocabant, posse hominem non resistendo gratiae sufficienti ad efficacem se praeparare. Id tanta libertate tuebatur Cabrera, ut ad Pelagianismum videretur accedere. Qui plane affirmabat: „Auxilium efficax supponit dispositionem negativam voluntatis, quam dispositionem ex se inchoat voluntas. Neque est inconveniens concedere, ex naturali usu libertatis negativae pendere, quod homini detur physica praedeterminatio et efficax auxilium.“ [3] Idem „Auxilium efficax,“ inquit, „incipit a nobis dispositive, quia determinatio pendet ex libera dispositione nostrae voluntatis negativa, licet effective sit a Deo.“ Item Avila cum Medina consentiens „Qui lethali culpae subiacet,“ inquit, „bene utatur auxilio sufficiente, et praesto aderit auxilium efficax et cum eo gratia iustificans“ [4]; quod quum dicunt, gratiam efficacem intelligere eam videntur, qua homo proxime ad iustificationem praeparatur. Quae omnia contraria esse Bannesii doc-

---

[1] Suarez, De vera intelligentia auxilii efficacis cap. 20. Opp. ed. Vivès X. 398.

[2] Idem l. c. cap. 18. 387. [3] Idem l. c. [4] Idem l. c.

trinae, dum eos pugna communis contra Molinam praeoccupat, non animadvertebant. Sed tamen explicatior disciplina, ut dixi, dissensionem sustulit. Itaque repudiata scientia media retenta est illa Bannesii doctrina: physicam praedeterminationem ad quemlibet actum necessariam esse eaque praesente ipsius vi ac proprietate naturae effici, ut non fieri actum determinatum repugnet; Deum vero omnes actus atque adeo peccata voluntatum creatarum e suis decretis vel determinandi vel non determinandi cognoscere ac praevidere. Haec summa doctrinae, hoc robur est; ita recepta est ac probata; quamquam posteriores a quibusdam consectariis, quae suo iure Bañez intulerat, abhorrere visi sunt.

Unde initium duxerit *Thomistarum ac Molinistarum* controversia, hic videmur significasse. S. Thomae schola inclinato iam ad finem saeculo sexto decimo in duas divisa est partes. Bañez non modo omni illius explicandi ratione, verum etiam sententiis singularibus a *communi via*, ut ipsius verbis utar, illius aetatis theologorum deflexit, atque vix orta eius doctrina pro *nova et inaudita* et apud suos et apud externos impugnata est. Societatis autem Iesu theologi communem ac traditam quasi per manus veterem doctrinam, quam in ipsis Praedicatorum scholis didicerant, retinentes constanterque explicantes illud efficere studuerunt, ut certissima gratiae efficacia cum libertatis ratione, si fieri posset, scientiae interpretatione conciliaretur. Sed necesse fuit, inter tam diversas eiusdem scholae partes litterarum certamen oriri. Exarsit autem contentio primum a. 1581. Salmanticae, in illius scholae tamquam arce ac propugnaculo, multo quidem ante Molinae Concordiam editam.

10. De doctrina Molinae.

Georgius Albertini, O. P., qui theologiam et Romae et Patavii insigni cum laude docuit, dum haec studia prosequitur, in eandem, quam nos supra explicavimus, sententiam adductus est, ut ante hanc controversiam exeunte sexto decimo saeculo excitatam non minus utramque scholam et Thomistarum et Scotistarum quam Augustinum atque Thomam „abhorruisse *a decretis antecedentibus et praedeterminantibus*“ [1] existimaret; idem deinceps et acriter defendit nec ullis conviciis deterritus unquam omisit. Illud quomodo evenerit, epistola tertia ad Dominicum Pellegrinum, suum in religione socium, in hunc modum ipse narrat (p. 1. §. 2):

„At scire te volo (etsi hoc minimum sit), quando, cur, quomodo a Commendatoribus tuis meisque defecerim. Romae cum essem anno 1787., dialogum elaboravi iuxta doctrinam per manus nobis traditam, cui titulus: *Il Molinismo.* Ea fabula mirifice placuit pluribus, nec quisquam fuit, qui excessisse me aut vera in omnibus non dixisse putaret: ex quo evidentissime patet, eadem sensa de Molinismo a Bannesio per manus tradita etiam apud sapientissimos illos nulla varietate obtinere. Forte fortuna accidit, sic Deo potius disponente (ne in Propaganda et hic [Patavii] falsa docerem), ut Molinae Concordiam Edit. Ulyssip. a. 1588., quae omnium prior fuit, invenirem. Gaudio magno repletus sum, quia editiones caeteras pluribus in locis nonnihil a Iesuitis immutatas audieram, quo Auctoris sui errores aut minuerent aut cautius celarent. Itaque avidissime legere eam coepi. Quid vero tum? Mirari ac identidem clamare: *Malum! Quas nugas de homine isto dixerunt mihi? Peream, si quid est in verbis eius, quod cum doctrina per manus mihi tradita cohaereat!* Ut assolet cum quis deceptum se ab uno putat, ut eidem minime fidat, dubitare coepi, an vere Sanctorum Augustini et Thomae etiam doctrina illa sit, quae mihi ab iis per manus tradita fuerat, eaque dubi-

[1] In Acroases theol. dogmatico-morales scholia II. 119. n. 37.

tatio in eam me sententiam coniecit, de qua in superiori Epistola locuti sumus."

Atque ita ille diversa et de Molina et de hac tota controversia existimare coepit. Nec vero dubitamus, quin idem contingere necesse sit, si quis praeiudicatis adversus Molinam opinionibus omissis aequo iudicio tanti theologi verba ipse examinaverit. Quod quidem negligi certe non oportet, quum magna controversia de eius doctrina acta sit; quare quid ipse docuerit, praeter cetera videndum est.

Bañez ab efficientia voluntatis Divinae initium disputandi duxerat, contra omnino Molina. Hic libertatem primum humani arbitrii consideravit. Recte quidem. Quanto enim obscurior quaestio est, tanto magis est rationi consentaneum, ab iis, quae notiora sunt, proficisci. Notior autem nobis sine dubio humanae est natura libertatis quam ratio efficientiae Divinae. Atque etiam certum est gratia perfici libertatem; iam vero prius de eo, quod perficiendum est, tractari convenit, quam de ipsa perfectione, praesertim quum gratiae motiones ad libertatem arbitrii prorsus se applicent atque accommodent. Itaque recte Molina, quod quidem ante illum Caietanus proposuerat [1], opus illud laudatissimum [2] ab hominis libertate orditur. Et prima quidem disputatione errores enumerat de Dei praescientia et de libertate humana, altera deinceps hanc ipsam definit atque explicat. Cuius sententiam ita adumbrabimus, ut nihil afferamus, quod non ad universam eius doctrinam intelligendam necessarium esse videatur.

Definitionem *libertatis* tradit tum pervulgatam, quam et Dominicus Sotus, clarissimus ille doctor Ordinis Praedicatorum, et Tapperus, cancellarius Lovaniensis, ut veram atque certam posuerant. Si libertas intelligatur ea, quae sit necessitati opposita, eum docet libere agere, qui „positis omnibus requisitis ad agendum possit agere et non agere, aut ita agere unum, ut contrarium etiam agere possit." Quae libertas „formaliter est in voluntate praevio iudicio rationis. Agens liberum distinguitur contra

---

[1] In I. q. 22. art. 4. ad finem: „Optimum atque salubre consilium est, in hac re inchoare ab his, quae certo scimus et experimur in nobis, sc. quod omnia, quae sub libero arbitrio nostro continentur, evitabilia a nobis sunt et propterea digni sumus poena vel praemio."

[2] „Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione concordia." Editionem sequimur Antwerpiensem anni 1595., cui aliqua ab ipso auctore addita sunt, quaeque a prima illa aliqua identidem verborum differentia, non rebus et sententiis discrepat.

agens naturale, in cuius potestate non est agere et non agere, sed positis omnibus requisitis ad agendum necessario agit, et ita agit unum, ut non possit contrarium efficere.“ [1]

Ratione autem libertatis quatuor possunt quasi status naturae humanae distingui: primus naturalis, qui nunquam fuit, sine peccato et sine gratia, alter innocentiae, in quo primus parens a Deo constitutus est, tertius hominis per Adamum lapsi ante gratiam recuperatam, quartus reparati per Christum ordinis. Est autem homo nunc quoque et in naturalibus atque malis et in supernaturalibus actionibus ita liber, ut etiam praesente gratiae praevenientis motu in ipsius sit potestate „cooperari aut non cooperari cum auxilio divino vel etiam elicere actum repugnantem.“ [2]

Deinde [3] quaerit, quid homo possit aut non possit viribus naturae, et quomodo naturae actio ad ordinem supernaturalem referatur. Id ut recte perspiciatur, tenendum est, supernaturale ab eo intelligi severe, ut et 1. naturae tum humanae tum omnino creatae, etiam angelicae, vires superet, et 2. a Deo non ut „a communi omnium bonorum auctore, sed tamquam a particulari causa per se ipsum immediate vel per supernaturalem habitum ab ipso infusum“ efficiatur [4], et 3. non sola origine sit supernaturale, sed suapte essentia [5]. Itaque negat, quod a magnis theologis catholicis [6] sine dubitatione admittitur, affectiones actusque voluntatis e supernaturali illustratione vel cognitione intellectus nulla nova accedente gratia profectos esse supernaturales [7], duplicemque dicit ad actum fidei producendum operari habitum, et intellectus et voluntatis. Porro negat id, quod Victoria et Sotus, O. Praed., docuerant, eam contritionem, quae habitus fidei et spei consequens et ad sacramentum poenitentiae ordinata, particulari, sed non supernaturali auxilio divino excitetur, ad sacramentum recipiendum rite praeparare. Immo vero negat „in actibus fidei, spei et caritatis dari aliquid, quod sit naturale, et aliquid, quod sit supernaturale, sed totum actum esse supernaturalem quoad genus et differentiam.“ Essentia igitur differunt a similibus actibus ordinis naturalis, fidei, caritatis, contritionis. Nulla in iis realitas aut formalitas est, quin sit supernaturalis, nec in solis actuum terminis, sed ne in ipso quidem voluntatis influxu [8]. Neque vero a causis naturalibus divelluntur; sunt enim actus

---

[1] Disp. 2. in q. 14. art. 13. [2] Disp. 3. [3] Disp. 4 ss.
[4] Disp. 33. p. 138. [5] Disp. 38. p. 159. [6] Velut a Tappero et Petavio.
[7] Disp. 14. p. 57. [8] Disp. 38. p. 155.

animi vitales, ex ipsius natura ac facultatibus naturalibus eliciti, ad eosque efficiendos aliae quoque causae naturales accesserunt; atque hoc plurimum valet ad intelligendum supernaturale, quo non tollitur, sed perficitur natura. Ita Molina rectissime docet, quamquam non semper optime loquitur, ut quum quasdam causas dicit „naturaliter influere" vel arbitrium „cooperari gratiae per vim naturalem." [1] Nihilominus iniuria accusatur de doctrina semipelagiana; declarat enim omnis eius loquendi ratio, necessitatem indicari connexionis vitalium actuum supernaturalium cum facultatibus naturalibus, unde proficiscuntur, non vero vel realitatem vel modum naturalem tribui actibus supernaturalibus. Horum enim et terminus et ipsa origo ac tamquam processus e facultate prorsus supernaturalis est, sed totus a Deo et totus ab homine efficitur [2]. Distinguit autem Molina, Tapperum secutus, quid de huiusmodi actu praedicandum sit, quatenus a Deo efficiatur, et

---

[1] Quaest. 23. art. 4. et 5. disp. 1. membr. 6. p. 329.

[2] Q. 14. a. 13. disp. 12. et 38. et q. 23. art. 4. et 5. disp. 1. membr. 6. p. 40 , 328. et 329. Declarat autem planissime q. 14. a. 13. disp. 40. p. 168., voluntatem actus supernaturales non naturaliter, sed supernaturaliter efficere. Atque ipso illo loco, quo illud posuerat, *arbitrium per vim naturalem cooperari* (p. 329), idem repetit atque affirmat, nihil esse in motu voluntatis, quod non sit supernaturale, et a Deo dari gratiam, qua excitata et adiuta voluntas consentiat. Quod etiamsi non omnino perspicue dixisset, dixerat tamen in libri principio (p. 42.) atque protestatus erat, quotiescunque de efficientia voluntatis loqueretur eamque per se solam consideraret, intelligendum tamen esse, vim illam totam ac primarie a Deo derivari. In illis autem verbis, de quibus quaerimus, *praecisione* facta, voluntatis efficientiam considerat, non ut haec a Deo, sed ut ab ipsa procedit, atque ita sane naturalis facultatis actus vitalis est, quemadmodum ipse ante descripserat (p. 155.): „Quare actio tota," inquit, „*ut praecise est a causis naturalibus* (et ut sic a nobis consideratur), est *influxus causarum naturalium;* ut vero a Deo supernaturaliter influente, est influxus Dei; solaque proinde consideratione nostra cum fundamento in re distinguitur in ea actione influxus Dei ab influxu causarum secundarum." Nec aliter Billuart, quamvis acriter impugnet Molinam, loqui solet: „[Conversionem] voluntas creata operatur," inquit, „cum Deo ut causa secunda totalis *ex propria et innata virtute*" (P. I. diss. 8. a. 4.), prorsus ut Molina, in quem actio Pelagianismi intenditur. E quo manifestum fit, quid ad celebre illud dilemma respondendum sit, quo inclusum esse P. Valentiam acta suppositicia et Serrii historia, ex illis derivata, tradiderunt: „Hic influxus particularis, peculiaris, partialis voluntatis *aut ab ipsa est aut a Deo.*" *Tertium* est, quod pridem Molina saepissime posuerat: „*aut et a Deo et a voluntate.*" Etenim cum S. Bonaventura omnibusque theologis catholicis gratiam movere consensum dicit dupliciter: 1. remote, non ipsum actum attingens, sed facultatem, quam elevet, muniat, praemoveat; 2. ipsum cum voluntate producens

quid, quatenus ab homine eliciatur, docetque supernaturalem appellari, quod sit a Deo, liberum, quod sit ab homine. Sed haec duo discernens notat atque admonet, ne voluntas quidquam per sese ad actum conferre existimetur, quod idem non sit a Deo ac supernaturale. Dicit iterum ac tertio, quum de influxu loquitur voluntatis, simul intelligi gratiam, quae voluntatem excitet eique vires addat ipsumque voluntatis influxum constituat supernaturalem. Nihilo tamen minus eiusmodi distinctionem ei vitio vertunt, nulla rationis probabilitate. Mentis, non rei distinctio est [1]; negat enim et excludit, in ipso actu rationem naturalem a supernaturali secerni posse, quum sit totus essentia supernaturalis. Quaerit autem, quod ei nomen congruat, quatenus a Deo, et quod, quatenus ab homine sit. Quod si vitium esset, ne *humanum* quidem, quia ab homine est, nec *proprium* ac *suum* hominis actum appellare liceret: in quibus vocibus offenditur nemo. Quodsi liberum maxime proprie dicitur *suum* cuiusque, neminem moleste ferre oportebat, quod actum supernaturalem Molina docet liberum appellari, quatenus ab ipso homine proficiscatur. Longissime autem abfuit, ut libertatem humanam eiusque actionem ad causam primam referendam esse negaret. Nec magis illis verbis „actum esse supernaturalem, quod a Deo efficiatur“, intelligi vult, gratia actum tantum, non potentiam affici; hac enim ipsa ratione gratiam a concursu Divino naturali distinguit, quod illa *etiam* facultatem, hic *solum* actum afficiat. Docet Deum in intellectum et voluntatem infundere gratiam praevenientem [2] atque habitibus supernaturalibus hominem quasi nova induere natura, ut ei *natu-*

---

actum liberum. Iesuitae negant, Neo-Thomistae aiunt (supra p. 18 ss.) priorem motionem ita recipi a voluntate, ut nihil in ea *modificet;* sed illi voluntatem gratia excitatam ita dicunt vel non cooperari omnino vel aut plus aut minus cooperari, ut tamen nihil prorsus in ipsius efficientia contineatur, quod non ex praeveniente vi atque excitatione gratiae derivetur, sitque a Deo et praecognitum et decretum. Est igitur ille influxus voluntatis in actum liberum ex Iesuitarum doctrina non solius effectus voluntatis, sed *pariter* gratiae excitantis atque Dei. Id unum ambigitur, qua ratione gratia praemoveat, utrum physice praedeterminando voluntatem suaque efficacia insuperabili consensum efficiendo, an ita excitando atque alliciendo, ut voluntas, prout voluerit, plus minusve cooperetur vel etiam resistat ac repugnet.

[1] Cf. locum superiore nota positum: „ut *praecise* est. . .“

[2] „Concursus Dei generalis ad actus naturales non est concursus Dei in liberum arbitrium ut causa est illorum actuum, quasi prius suscipiat in se eum motum eoque applicetur et potens reddatur ad influendum in actum, sed est influxus immediatus una cum libero arbitrio in actum: at vero auxilium

rales fiant ipsi actus supernaturales [1]. Deus gratia non solum actus potentiae naturalis roborat atque extollit, sed hanc ipsam potentiam elevat [2] et „principium efficiens actuum in liberum arbitrium immittit“ [3], ut sua ipsorum natura atque essentia, non solo modo efficiendi [4] supernaturales sint, sitque imprimis omnis efficientia voluntatis supernaturalis.

Atque his finibus Molina supernaturale arcte circumscribit, id quod praetermittendum non fuit, ut ea, quae de viribus naturae et gratiae disputat, probe intelligerentur.

Potest homo lapsus sine gratia supernaturali opus honestum facere, „quod fini naturali hominis accommodatum atque comparatione illius sit vere bonum et virtutis opus, non tamen, quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque comparatione illius sit bonum simpliciter ac virtutis opus dici queat.“ Nihil enim vel homo vel alia natura creata sine supernaturali gratia efficere potest, quod ullo modo vel ad gratiam praeparet ac disponat, vel supernaturali beatitudini sit *commensuratum.* Atque hoc de utraque hominis facultate, intellectu et voluntate, ita verum est, ut neutra ullam omnino suis viribus *commensurationem* ad super-

---

gratiae praevenientis, ea ex parte, qua gratia praeveniens est, est influxus Dei in liberum arbitrium, quo illud movet et excitat potensque reddit, ut eo pacto motum, tamquam habens iam in se ipso principium efficiens actuum supernaturalium, simul influendo ulterius eos producat“ (disp. 42. p. 172.). „At vero si sit sermo de influxu illo, quo Deus in liberum arbitrium immittit gratiam praevenientem, per quam illud movet ac invitat ad actum supernaturalem, talis influxus et motus Dei, qui gratiae praevenientis, qua gratia praeveniens est, dicitur, natura et interdum etiam tempore antecedit concursum liberi arbitrii, idque adeo certum est, ut contrarium sit error in fide“ (l. c. p. 172.). E quibus locis, quibus addi duodeni possunt, apparet, quam falso dici soleat: secundum Molinianos essentiam vitalis actus in hoc esse, ut vis Divina praemovens principium vitale excludatur. *„Error in fide“* est negare gratiam praeveniendo actum supernaturalem in voluntatem illabi, ut eam prius moveat sicque actum liberum efficiat. Atque primi motus gratia praeveniente excitati et vitales sunt et tales, ut solus Deus agat, principium autem creatum agatur et „velit, nolit patiatur“; *moveri igitur hoc ab illo* manifestum est.

[1] Disp. 38. p. 160.

[2] „Huic etiam [actui naturali] se inserit Deus illumque suo supernaturali influxu *non solum* acuit et incendit, sed etiam efficit supernaturalem“ (q. 14. art. 13. disp. 45. p. 185.). Sed hoc ipsum ut e superiore nota intelligitur et proxima quoque exponitur, ita fit, ut Deus *„evehendo naturam“* agat in potentias eisque quasi semen inserat actionis supernaturalis, ad quam movet. Plura vide p. 222. n. 2.

[3] L. c. disp. 29. [4] L. c. disp. 38. p. 159.

naturalem finem habere possit, sed solo Dei munere et subsidio accipiat. Amissa igitur ab Adamo dona supernaturalia recuperare nisi Christi meritis non possumus [1].

Amplius autem quaerit Molina, quid homo naturae viribus cum generali concursu Divino possit, concluditque posse eum communi scholasticorum sententia actus naturalis ordinis similes supernaturalibus, velut amoris Dei et contritionis naturalis, elicere, neque tamen totam naturae legem diu servare nec *efficaciter* amare Deum super omnia, nec omnibus tentationibus diu resistere, etsi par sit singulis quoque tempore tentationibus superandis. *In quas* scholasticorum sententias se *non obscure propendere* ipse significat (p. 81.). Ac tamen hac doctrina exposita et *corroborata* solutisque obiectionibus, *ad quorundam animos sedandos pacemque, quoad fieri possit, servandam,* aliam sententiam proponit et tantummodo faciliores actus ordinis naturalis, in quibus ne mediocris quidem sit difficultas, naturae viribus fieri posse concedit, atque adeo negat, hominem sine peculiari subsidio Divino proponere sibi posse non amplius graviter peccare. Cur illam communem scholasticorum doctrinam, gravibus nixam argumentis, ita *circumscribat,* rationem affert, quod haec sententia, *variis in provinciis communis censetur in scholis minusque tutum propter antiquos Patres et Concilia reputatur asserere* illam scholasticorum (p. 79.). Atque hoc unum satis demonstrat, quam ille sollicitus fuerit, ne alios opinionibus minus severis offenderet.

Iam vero illud: „Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam“ a multis medii aevi scholasticis acceptum de operibus naturaliter bonis interpretatur. Sed hic quoque doctrinam traditam circumscribendam censet. Dicit enim eam gratiam, quam Deus dono naturali naviter cooperantibus non recuset, esse *sufficientem* (p. 393.), quae, etsi saepe etiam torpentem voluntatem impellat, certe tamen excitet moveatque facientem vel facere conantem, quod in ipsa sit, ad obstacula removenda; sed quoniam nullum opus sit naturae viribus perfectum, quod ad ullam gratiam impetrandam per se valeat, ideo Deum, quando naturae munere recte utentibus non neget gratiam, ad eiusmodi liberalitatem exhibendam moveri intuitu Christi Domini, cum quo illam normam constituerit. Tenendum est autem *naturale et supernaturale* a Molina severius accipi, quam a plurimis illius sententiae adversariis. Nam, ut Lessius eius defendendi causa ostendit (de

---

[1] Disp. 6. p. 19. 20.

gr. efficaci c. 10. p. 313 ss.), illam motionem, qua Deus animam ad servandam legem naturalem excitat, non dicit gratiam, nisi essentia supernaturalis sit; contra ex adversariis eius nonnulli, sententiam illam de cooperatione cum priore aliqua gratia interpretati, gratiam illam, quae etiam infidelibus negativis datur, vix quidquam aliud intelligunt nisi eiusmodi animae motionem. Sed utut res est, Molinae opinio nec Pelagiana nec Semipelagiana est, quum omnem, etiam remotam, naturalium operum cum gratia impetranda proportionem vel congruitatem neget.

Porro quaerit, quibus actibus recuperatio gratiae vel efficiatur vel praeparetur. Deus statuit, ut *fides ex auditu* esset. Iam quod homo audit concionem, species auditu naturaliter immissas recipit, recordatur atque intelligit, supernaturale certe non est. Sed Deus ubi se his actibus naturalibus quasi interposuit [1], omnem actionem acuit, iuvat *elevat*que naturam, mentem gratia praeveniente supernaturaliter illustrat, cognitionibus supernaturalibus imbuit, voluntatem illis fortasse iam excitatam per se ipsum etiam invitat, iuvat, movet, actusque efficit omni naturae vi ac facultate superiores. Atque ita voluntas fit idonea, quae iuvante gratia

---

[1] Vide p. 223. notam 2. e disp. 45. Alii sunt loci complures in eadem disputatione; quibus in Congregationibus De auxiliis abusus est Lemos, ut demonstraret, Molinam actus fidei, spei, caritatis cum ceteris gratiae motionibus, quae illos antecedunt, e naturali facultate animae derivare ac postea acuente atque elevante gratia efficere supernaturales. Quam accusationem etsi Bastida penitus diluerat (Liv. de Meyer, Hist I. 32.), eandem tamen Reginaldus receptam confirmavit et crimen immeritissimo in Molinam coniectum in recentiores ac recentissimos libros transfudit. Sed quam diversum sit et contrarium illius doctrinae actus salutares non ut supernaturales ex intimis animae facultatibus derivari, ex his intelligas velim: nam Molina docet 1. actus supernaturales non aliqua proprietate, velut firmitate vel intensione, sed tota essentia, natura, *origine* a naturalibus distingui (disp. 38.), et 2. generalem Dei concursum a praeveniente gratia ita differre, ut ille actus, haec ipsas prius animae facultates moveat. Quodsi locis modo allatis docere videtur, *eundem* actum, qui sit naturalis, a Deo effici supernaturalem, necesse est intelligat actum *eundem* ratione obiecti et speciei adiunctae, sed qui duos actus prorsus diversos complectatur, naturalem et supernaturalem, quorum alter non actione, sed *potentia* elevanda, seminanda, movenda efficiatur. „Quod autem modo dicimus, est: si sint duo actus de eodem obiecto eliciti ab eadem potentia, quorum unus naturalis illi sit, alter vero supernaturalis, non ratione modi producendi, sed quia est eminentioris naturae atque essentiae, actus illos esse distinctos specie, eminentiamque ac distinctionem superioris ab inferiori provenire efficienter ac radicaliter ex influxu causae superioris, quae ad eum actum adiuvat potentiam, comparatione cuius is actus est supernaturalis“ (q. 14.

ad actum fidei moveat intellectum [1]. Est igitur initium fidei a solo Deo, qui, quoties ad fidem adducit, ob Christi merita homini indigno gratiam misericordia motus largitur; quamquam communes distribuendae gratiae leges et adultorum liberae actioni et Ecclesiae eiusque ministrorum prudentiae ac laboribus accommodavit, quum libertate hominum et Ecclesiae praedicatione ad gignendam fidem uti statuerit [2].

Similis ratio est ceterorum actuum supernaturalium [3]. Homo ornatus gratia sanctificante quosdam actus supernaturales faciliores sine nova gratia actuali solis habitibus infusis elicere potest, sed ob debilitatem naturae e peccato originali derivatam ad perseverandum in usu virtutum omnesque vincendas tentationes quotidiano ac perpetuo eget actualium gratiarum subsidio; ob eamque causam perseverantia inter peculiaria Dei dona numeratur.

Qua in re observandum est, necessitatem peculiaris auxilii Divini non solum ad graves tentationes superandas ac Dei man-

art. 13. disp. 38. p. 160). Afferunt etiam adversarii, quod saepe dicat Molina, motus praevenientis gratiae e voluntate elici, „non qua liberum arbitrium sit, sed qua voluntas et quaedam *natura* sit.“ Sed haec ipsa verba obiectionem refutant. Ut enim principium naturale opponitur principio libero, ita natura libero arbitrio; nihil igitur hac voce significat, nisi motus praevenientis gratiae esse *involuntarios*, id quod nemo theologus dubitat. Sed quum idem dicat, motus illos esse proprie supernaturales, perspicuum est, *naturam*, h. e. intimum in homine vitae actionisque principium a Deo ultra fines naturae elevatum motumque esse, ut id efficeret, ad quod efficiendum sua vi ac facultate minime valeret. Quod tamen ipsum suis verbis expressit: „*evehendo naturam* ad effectum, quem sola non potest producere.“ Tantum memoria tenendum est, quum natura ipsa, i. e., intimum vitae atque actionis potentiarum principium, *evehatur*, quidquid ab elevata facultate fluat, non iam naturale esse, sed supernaturale. Non hac igitur ratione Molinismus differt a Thomismo, quod ex illa doctrina prius natura sola moveatur, qui motus postea a Christo constituatur supernaturalis, ex hac vero vita ipsa potentiarum elevetur et excitetur; hoc unum in disputationem venit, quo *modo* potentiae a Deo praemotae, ut docent utrique, motum acceptum ad gignendum actum liberum transmittant; estne motio Divina physica praedeterminatio, in qua recipienda nihil agat voluntas, quamque acceptam reddat mensura prorsus eadem, an motionem a gratia praeveniente acceptam modificat; *mutatus*ne transmittitur motus, ut quum natura vivens impellitur, an *idem* prorsus propagatur, ut in machinae motu non impedito globove propellendo? In altera doctrina gratia efficax adaequata causa est actionis voluntatis; in altera duae partiales sunt causae, ita tamen ut creata praevenientis gratiae vi elevata atque mota una cum Deo perficiat actum.

[1] Disp. 7. 8. 38. 45. [2] Disp. 9.
[3] Disp. 13 ss. et 38. 45.

data servanda, sed etiam ad usum virtutum supernaturalium repeti a naturae lapsae debilitate. Potuit igitur homo, antequam peccasset, solo concursu universali (l. c. disp. 4.) totam legem moralem implere et sola gratia sanctificante sine nova actuali in omnium actuum supernaturalium exercitatione usque ad finem perseverare. Eam ut communem doctrinam theologorum proponit. Nihilominus ab hac illius sententia Societas Iesu discessit, cuius theologi posteriores magno consensu docuerunt, hominem iustum praeter habitus supernaturales actualibus gratiis etiam ad faciliores actus supernaturales indigere.

Quoniam omnes naturae creatae, ut sint et agant, aptae sunt ex Divina potentia eique penitus subiectae, ad omnes earum actus Deum necesse est *concurrere*, ut fieri omnino possint; qui *concursus generalis* non potentias, sed actus ipsos afficit, nec is est, ut, si nolit voluntas creata, effectus tamen consequatur, aut ipse per sese actum determinet[1]. Atque haec causa est, cur ad peccatum nihil conferat Deus, quia peccatum non est, quod actus aliquis, sed quod talis est[2]. Sed quoniam hic concursus generalis creatam vim omnem complere debet, gratia autem res aliqua creata est, ne haec quidem quidquam sine generali illo Dei concursu efficere potest. Sunt igitur tres causae omnis actus supernaturalis: gratia, voluntas, concursus generalis, e quibus singulis totus gignitur.

Ergone aequali loco sunt Deus et homo? Absit! Passim repetit: etsi actus totus sit a concursu Divino et totus a causa creata, totus a gratia et totus a voluntate procreetur, esse tamen a Deo ut causa principali, a voluntate ut secundaria. Nec idcirco doctrina Molinae a S. Thoma discrepat, quod ad illustrandam communem Dei hominisque actionem similitudinem adhibet, quam ille improbavit, plurium *uno* fune navem trahentium. „Tertio enim comparationis" utitur non prorsus eodem. Quod enim ille negat, eodem ordine agere ad instar funem trahentium Deum et hominem, idem hic negat; quod hic ea similitudine explicat, *omnem* effectum et a Deo esse et ab homine, idem docet D. Thomas[3].

---

[1] Disp. 26—30. [2] Disp. 31—35.

[3] Prorsus incredibile est, quantam Molinae invidiam illa comparatio creaverit, quantos ex ea errores derivaverint, quum opinarentur omnem Divinae createaeque efficientiae rationem ita explicari. Possis isto modo Scripturam crimine materialismi accusare; frequenter enim hominem cum bestiis comparat. Tanto autem maiorem illi iniuriam inferunt, quod, ubicunque ista utitur similitudine, *tertium comparationis* planissime indicat. *Quum duo tra-*

Secundum Molinae [1] doctrinam eadem est gratia praeveniens et adiuvans; praeveniens dicitur, quod voluntatem reddit idoneam atque excitat ad agendum, adiuvans, quod una cum voluntate nova vi addita actum perficit, quemadmodum una aliqua virtus hominem et impellit ad agendum et agentem iuvat.' Nihil illa officit libertati hominis, qui *cuiuslibet* praevenientis gratiae motioni et obsequi possit et resistere. Gratiis omnino aequalibus, si severe loquimur, non potest alter consentire, alter obsistere; consentienti enim novas vires addit gratia cooperans atque adiuvans, quibus is caret, qui repugnavit. Sed tamen pari gratiae *praevenienti* alter assentiri potest, alter vel non adhibere consensum vel etiam negare. Sententiam autem opinantium, efficaciam gratiae ex ipsa sola esse, determinationemque voluntatis e libertate non pendere talemque esse, sine qua fieri, cum qua omitti actus non possit, eam Molina censet et tollere libertatem et contrariam esse Tridentino [2]. Itaque etiam illud negandum est, in decretis sic praedeterminandi positam esse bonorum operum praedefinitionem, liberasque actiones naturae creatae in decretis sic vel aliter praedeterminandi praevideri et praedestinationem fieri huiusmodi decretis [3]. Atque hic iam in mediam incidit nostram controversiam, ad quam superiora parum pertinent. Quodsi definivisset Ecclesia in superiore disputatione nimium tribui a Molina viribus naturae, nihilominus reliqua doctrinae explicatio consisteret. Quam quomodo exponat atque construat, videamus.

Deus et quae fieri possunt et quae aliquando libere futura sunt, cognoscit. Praeterea quadam *supercomprehensione* voluntatis creatae ea omnia videt, quae aliqua conditione libere futura sunt,

---

hunt navim, inquit, *totus motus proficiscitur ab unoquoque eorum* (q. 14. art. 13. disp. 26. p. 114.), et: *Quando duo trahunt navim, nihil est in tractione et motu, quod sit ab uno trahentium et non simul ab alio* (q. 23. art. 4. disp 1. membr. 6. p. 328.). Clariusne id, quod comparaturus erat, significare potuit, totum, inquam, effectum esse ab utroque agente? Quod quum sit et verissimum et fidei maxime consentaneum, accusatio illius similitudinis aliquando omittatur. Nec aliter Lessius (De gr. eff. c. 18. n. 2) eadem comparatione utitur. Qui allato crimine ab adversariis obiecto, quod Iesuitarum sententia Deus et homo *duae causae partiales sint, ut qui unam simul navim trahant,* id concedit et recte quidem, praesertim quum princeps Thomistarum Capreolus in concursu Divino *causas* commemoret *partiales.* Addit autem ipsam Molinae explicationem similitudinis: *Cum enim duo,* inquit, *trahunt navim, motus totus est a singulis.*

[1] Disp. 36 ss. [2] Sess. VI. can. 4.

[3] Disp. 40. 50 ss. et q. 23. art. 4. disp 1. membr. 6. 7. Confer tamen infra p. 235.

hoc est, quid quaeque natura libera certo modo affecta atque mota vel actura sit vel omissura[1]. Quam scientiam Molina *mediam* appellat, quod quodammodo media sit inter *simplicem intelligentiam* et *praevisionem* rerum aliquando libere futurarum. Cum illa hoc commune habet, ut nec creatio ulla nec creandi consilium Divinum antecedere intelligatur, cum hac, ut res non fiat necessario in eamque illud Patrum conveniat docentium: libera non fieri, quia a Deo praevideantur, sed quia fiant, ideo praevideri. Itaque cognoscens Deus *simplici intelligentia,* quae naturae qualesque, quae res ordinesque rerum esse ac fieri possint, *scientia* autem *media*, quid quisque ex innumerabili multitudine libere agentium in infinita gratiarum, conditionum, ordinum multiplicitate, in qua versari aliqua temporis varietate possit, sit aliquando acturus: simplici determinatione voluntatis liberrimoque consilio, nulla re praevisa determinatus, decernit, quos creare, quibus gratiis ornare, quo rerum concursu afficere eosdem velit. Quo uno decreto omnem rerum consecutionem atque eventum ordinavit: Filii sui Incarnationem, bonorum angelorum omniumque electorum praedestinationem, praedefinitionem omnium recte factorum, collationem omnium gratiarum, denique permissionem malorum[2]. Fit igitur praedestinatio et ad gratiam et ad gloriam ante praevisionem meritorum, quum Deus *purissima liberrimaque* misericordia decernat, liberos homines in iis constituere conditionibus, iis instruere gratiarum adiumentis, quibus scientia media videt assentientes salvos futuros esse; ceteris huiusmodi gratias efficaces prae sufficientibus non concedit[3]. Illud consilium Dei indicium est praecipui amoris erga praedestinatos, quos plus diligere recte dicitur, etiamsi multo minores gratias quam quidam reprobi accipiant[4]. Voluit quoque et praedefinivit Deus omnia bona opera aliquando futura, nec tamen peccatorum ipsos actus materiales, quos *non impedit* ac *permittit.* Non igitur dicit gratiam efficacem esse, h. e. cum effectu coniungi in solo *actu secundo,* si fiat vel futurus esse cognoscatur, sed in ipso *actu primo,* quum Deus, bonum opus fieri volens, ante ipsorum actuum liberorum praevisionem decreverit in tali rerum conditione positum hominem

---

[1] Disp. 52 De qua supercomprehensione voluntatis plura infra.

[2] Q. 23. art. 4. et 5., imprimis disp. 1. membr. 8. p. 344. 347.

[3] Saepe Molina planissime profitetur, docere se praedestinationem ante praevisa merita (disp. 23. art. 4. disp. 1. membr. 6. et 13, alibi).

[4] L. c. disp. 3.

talibus donare gratiis, quas scientia media praenoverit effectum consecuturum esse. Quae liberalitas insignis est benevolentiae Divinae argumentum, quum non electorum meritis tribuatur, sed beneficium sit liberrimae Dei misericordiae [1].

Docet ex altera parte, non prius elegisse Deum, quorum salutem perficere, quorum interitum permittere vellet, quo in alteris misericordiam, in alteris iustitiam vindicativam manifestaret, deinde scientia media *insidiatum libertati,* ut subsidia conditionesque, quibus alteri salvi fierent, alteri perirent, investigaret. Indignum id quidem esse maiestate et amore Divino, contrarium voluntati *omnium* salvandorum, perturbationem inferens Divinorum humanorumque consiliorum. Salutem tamquam denarium evangelii finem esse hominis, non patris familias, qui salutem adultorum

---

[1] „Dicitur Deus velle aliquid . . . absolute, quod quum praevideat per arbitrium ipsum libere futurum, ex hypothesi quod eum ordinem rerum velit creare, quem reipsa creare constituit, ei placet absolutaque voluntate vult ut sit, quod ita libere futurum est potestque non esse. Hac ratione Deus Optimus Maximus vult omnia bona, quae per arbitrium nostrum sunt futura, non solum voluntate conditionali, si nos quoque ea velimus, sed etiam voluntate absoluta, quatenus ipsi praevidenti ea futura placent, eademque Divina eius ac singularis bonitas per arbitrium nostrum intendit ac vult.“ Q. 19. art. 6. disp. 2. p. 280. Omnis igitur gratia efficax „singularis est bonitatis“, „effectusque totus praedestinationis mediaque omnia universim, quibus homo in vitam aeternam perducitur, dona sunt Dei ex infinita ipsius misericordia pro sola libera sua voluntate profecta.“ Q. 23. art. 4. disp. 1. membr. 4. opinionem sibi ab adversariis tribui solitam ut falsam contrariamque Scripturae confutat, allatisque locis aliquot sacris „Non ergo,“ inquit, „auxilia et effectus praedestinationis confert Deus pro ratione liberi arbitrii futuri, sed pro suo beneplacito ex sua misericordia et liberalitate spirat ubi vult, aliis parcius, aliis abundantius, omnibus tamen sufficienter ad salutem: aliis ea dona quibus praevidet eos pro libertate sui arbitrii perventuros in vitam aeternam, aliis ea, quibus pro eadem libertate vitam aeternam non adepturos praecognoscit; quam tamen, si vellent, consequi possent.“ Q. 23. art. 4. et 5. disp. 1. membr. 4. p. 321. Idem alibi: „In potestate [hominis] non est efficere, ut Deus ex infinitis rerum ordinibus, quos eligere poterat, eum potius eligeret, in quo praevidebat illum pro sua libertate perventurum in vitam aeternam, quam alium: in quo tamen consistit praedestinari talem adultum.“ L. c. membr. 11. p. 369. Praeterea: „Quod Deus elegerit,“ inquit, „eum rerum ordinem, circumstantiarum, auxiliorum, sive maiorum sive minorum, in quo praevidebat eos pro sua libertate salvandos, qui electione eius ordinis eo ipso praedestinati sunt vitamque aeternam pro sua libertate consequuntur, potius quam alium ex infinitis, in quo res aliter pro eadem ipsorum libertate habuisset, non fuit ex nobis aut pro meritorum et cooperationis nostrae qualitate, sed ex sola misericordia Dei.“ L. c. disp. 3. p. 396

velit mercedem esse meritorum, mercedem autem cum meritis, scientia media praelucente, quum illos praedestinaret, simul voluerit [1]. Antecedit igitur praedestinationem, quae infallibilis est non ob ipsam naturam gratiarum subsidiorumque praedestinatis collatorum, scientia media, hanc vero illa veritas, fore ut libera voluntas certa aliqua conditione sic, non aliter agat. Et Deus quamquam hac praevisione minime determinatur, eius tamen ratione habita quaedam disponit, quae, si alia praevidisset, dispositurus non fuisset [2]. Improbat autem et confutat, quae Semipelagiani scientia illa media abusi docuerunt [3].

Atque haec lineamenta sunt disputationis Molinianae. Sed ex iis, quae hactenus exposuimus, apparet, quot errores ei affinxerint, ut nihil iam necesse sit ceteros persequi. Quatuor tantum notare iuvat: 1. scientiam mediam Molina fatente *novam* esse, 2. hanc doctrinam a *S. Thoma* differre, 3. gratiam *sola* determinatione voluntatis fieri efficacem, 4. Molinismum distingui a *congruismo* ob eamque causam improbatum esse a Bellarmino.

Nusquam scripsit Molina *novam* esse scientiam mediam, immo vero „in labores se SS. Patrum Doctorumque Catholicorum introisse“ et, „quae ex ipsismet relata sint, ea scientiam mediam, *si non suis verbis, re tamen ipsa affirmare*“; „quodsi a SS. Patrum Doctorumque Catholicorum intento aut ab eorundem indubitatis sententiis vel tantillum in hac sua omnia conciliandi via discreparet, eam iure sane suspectam haberi posse“ [4]. Manet autem, illum inter primos sententias Patrum uberius explicatas ad conciliandas praedestinationem, gratiam, libertatem adhibuisse et ordine construxisse. Id ipse dicit, sed simul fatetur, se „tot concertationibus et egregiis *aliorum* dictis atque inventis illustratum“ esse [5]. Ardebat sane magno studio suae doctrinae, quod grandem quandam difficultatem sua Concordia diremisse sibi videbatur. Quis tandem unquam ad magnam quaestionem solvendam nisi ardens accessit? Cui ardori vel, si reprehendere libet, subambitioso studio, non autem arrogantiae, a qua pro sua modestia fuit remotissimus, tribuas, quod magnam quandam suae doctrinae utilitatem praedicat in hunc modum: „Haereses multas et concertationes orituras non fuisse, si illa *[principia]* tradita explana-

---

[1] Q. 23. a. 4. et 5. disp. 1. membr. 8. p. 345.

[2] L. c. membr. 12. p. 375 ss.

[3] Q. 23. a. 4. et 5. disp. 1. membr. 5. p. 324.

[4] Q. 14. art. 13. disp. 53. membr. 2. p. 252. 253. [5] L. c. p. 252.

taque semper essent," h. e., si omnis doctrinae suae ratio ita *semper* declarata atque *explanata* esset, ut ipse „tot concertationibus et egregiis *aliorum* dictis atque inventis illustratus" „pro sua tenuitate" fecerit. Quae verba si cui levia videantur, tamen iniuriosa non sunt antiquitati. Dici sine arrogantia potest, quasdam haereses exstituras non fuisse, si primis saeculis doctrina Catholica ea perspicuitate tradita esset, qua nunc *mediocri* theologo uti licet.

Sed locum obiectum [1] integrum exhibeamus:

„Nos pro nostra tenuitate," inquit, „rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum Divina gratia, praescientia et praedestinatione, quam toto articulo 13. q. 14. et art. 6. q. 19. q. 22. et tota hac quaestione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deduximus quaeque variis in locis tradidimus, inniti iudicamus: quae si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum Divina gratia, praescientia et praedestinatione cohaerere non posse; neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiae illae Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi et Hilarii fit mentio, fuissent extinctae, ut patet ex iis, in quibus homines illos cum catholicis convenisse et ab iis dissensisse, eaedem epistolae testantur; concertationes denique inter catholicos facile fuissent compositae."

Extremo autem capite: „Haec nostra," inquit, „ratio conciliandi libertatem arbitrii cum Divina praedestinatione a nemine, quem viderim, hucusque tradita."

Dici vix potest, quantum ex his verbis crimen Molinae confinxerint; atque ipsa praeterea depravarunt. Moderatissimi omnium recentiorum Thomistarum, Cardinalis Gotti, adnotatio in hunc locum argumento sit [2]: „Si P. Molinae fidem habemus," inquit, „ante eius tempora ignotam fuisse penitus scientiam mediam et ex eius mente primo conceptam ortamque existimabimus. Is enim vir . . . in sua Concordia ad q. 23. art. 4. et 5. scribere non dubitat: in iis, quae ipse tradiderat de scientia media futurorum sub conditione sitam esse totam rationem conciliandi liber-

---

[1] Q. 23. art. 4. et 5. disp. 1. membr. ult. p. 387.

[2] Theolog. schol. dogm. Ed. Ven. I. 183 s. Tr. de Deo sciente dub. 3. § 1. n. 2.

tatem arbitrii cum Divina gratia et praedestinatione, addens: ‚Quae si data explanataque semper fuisset, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta neque Lutherani tam impudenter arbitrii libertatem fuissent ausi negare‘ etc. Deinde: ‚Haec nostra ratio conciliandae libertatis arbitrii cum Divina praedestinatione, a nemine, quem vidimus, fuit hucusque tradita.‘ Subdit: ‚Si ab Augustino ea data et explanata fuisset, Pelagiana haeresis nunquam fuisset exorta, neque ex Augustini opinione concertationibusque eius cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati nec ad Pelagianos defecissent.‘“

Haec quum scriberet, manifestum est, Molinae librum a Gottio adhibitum non esse. E tribus enim locis primus et tertius unus idemque est apud illum, utroque tamen Gottii loco mutatus ac deterior, qualem apud alios Thomistas invenerat. Inter has *unius eiusdemque* sententiae varietates inculcatum videmus illud: „Haec nostra . . .,“ ita quidem ut modo sequi superiora, modo antecedere dicatur. Molina autem illo loco non de sola scientia media loquitur, sed etiam de aliis *principiis*, quibus doctrinam suam niti dicit, scripsit autem „fuisse*nt*“; Gotti bis posuit *fuisset* et de sola scientia media loqui videtur. Nec ille de Augustino eiusque aetate, sed universim loquitur: *semper;* Gotti Gonetum imitatus omisso *semper* ascripsit *Ab Augustino.* Non legerat aut Molinam aut ceteros auctores Iesuitas, qui de verborum depravatione conquesti erant, maxime Livinum de Meyer, quum loco apud alios invento fisus id scripsit, quod Molina negat: *ignotam penitus fuisse Patribus scientiam mediam.* Idem tamen infinitis argumentationibus illum exagitat! Nec vero minus falsum est, quod P. Fonsecae tribuit.

Alius locus est, qui in superbiae crimen Molinae vertitur, ubi sic ait: „Sub ea quasi caligine Augustinus ad hoc non attendit.“ Quasi vero ille gloriatus sit, caliginem praedestinationis, quam ne Augustini quidem mens penetraverit, a se esse perspectam! Extemplo audaciam detestati amorem affectant *caliginis Augustinianae.* Abfuit tamen quam longissime, ut Molina obscuritatem mysterii praedestinationis vellet dispellere, qui pro explicationis ratione repetat illud Apostoli: „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!“ (Q. 23. art. 4. et 5. disp. 1. membr. 13.) Quod autem in re obscurissima aliquid non *attendisse* Augustinum dicit, iniuriam tanto Doctori nullam infert. Annon Bañez quoque de illius reprobationis doctrina scripsit, eum ad *malitiam* conclusionis non attendisse? Bellissimum est autem, quod et hodierni critici et plerique Thomistae, quos sequuntur, de re quam vitu-

perant, *idem* quod Molina existimant nec Augustino interpretanti I. Tim. 2, 4.: „Qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire“, consentiunt. Verba autem Molinae haec sunt (Q. 23. art. 4. et 5. disp. 1. membr. 6. p. 332.): „Interim vero dum sub ea quasi caligine D. August. ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu cum sua de praedestinatione opinione esse coniunctum, Deum non velle omnes universim homines salvos fieri, sed solos praedestinatos, in multis suae doctrinae locis, ut q. 19. art. 6. disp. 1. relatum est, ita illum locum Pauli I. ad Tim. 2. interpretatus est, ut de solis praedestinatis intelligeretur.“ Mitissime iudicabimus, si huiusmodi verba cavillantes legisse librum Molinae negabimus.

At a D. *Thoma* de gratia et praedestinatione disserens certissime discessit; qui locus alter erat accusationis. Istud quoque negandum esse dicimus.

De capite quidem controversiae si quaeritur, pernegat ille Bannesii doctrinam esse S. Thomae. Complectitur autem *communiorem* sententiam, ab Augustino et Thoma expositam, *omnium* electorum praedestinationem fieri sola misericordia ante meritorum praevisionem. Cuius sententiae improbat interpretationem talem, ut Deus ante praevisas actiones liberas non solum alios praedestinaverit, verum etiam alios reprobaverit, illos, ut misericordiae salvantis, hos, ut iustitiae punientis sibi gloriam pararet. In quam opinionem etsi quaedam D. Thomae aptari posse videantur, dubitat tamen an minus recte, atque adeo negandum censet, ita magnum illum Doctorem existimasse, qua in re plurimi illius discipuli cum eo consentiunt. Deinde primae libri editioni haec adiecit: „Ex his patet opinionem de praedestinatione quoad illud secundum, qualem supra diximus nonnullos eam amplecti ac defendere, tribuendam esse non Augustino neque item D. Thomae, qui Augustini solum est vestigia secutus manifesteque affirmat, Deum velle omnes universim homines salvos fieri, si per ipsos non steterit. Immo vero etsi hi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salva eorum reverentia, quae ipsis debetur maxima, quoad illud secundum admittenda non esset. Neque etiam miror, opinionem illam eo pacto intellectam a multis nimis duram indignamque Divina bonitate et clementia iudicari.“ Non est, cur haec verba defendamus, quum vix sint hodie adversarii Molinae, qui censeant, ad gloriam iustitiae consequendam Deum plurimos ante culpam praevisam reprobare; quam sententiam ipse Graveson Thomista refutat, quod dura atque crudelis sit.

Venio ad *tertiam* accusationem; de qua ne dicta dicantur, in memoriam revocentur, quae supra p. 16. disputata sunt. Quaerendum est, a solane voluntate efficacia gratiae pendeat, id quod vexavit plurimos. Ambiguitas magna e *varia* efficaciae significatione et gratiae consideratione orta est. Dicit sane Molina saepissime, gratiam liberae voluntatis consilio efficacem fieri vel inefficacem, negat autem gravissimeque refutat, ullam a voluntate vim aut efficaciam addi gratiae, a qua ad illam omnis virtus assentiendi derivetur; consensum voluntatis *conditionem* esse propriae efficaciae gratiae; totam autem *efficientiam* supernaturalem, qua actus salutaris absolvatur, a gratia esse. Neque eo secius effectum, unde gratia appelletur efficax, simul pendere ab operante voluntate, voluntatisque esse gratiam praevenientem consentiendo reddere efficacem et dissentiendo inefficacem [1]. Haec disserens et gratiam et gratiae effectum spectat per sese, omissa aeterna sapientia ac bonitate, unde manarunt. Nec vero aliis locis eam rationem negligit; affirmat enim, uti supra vidimus, ac profitetur, *solam* esse Dei misericordiam, qua voluntas constituatur in eo gratiarum ordine rerumque conditione, ut sit consensura. Quae omnia cum Bellarmini rationibus praeclare congruunt, negandumque est, hunc illum in *Controversiis* [2] oppugnasse. Summum hoc dici potest, loquendi modum quo *consensus voluntatis gratiam dicitur reddere efficacem* [3], quae causa fuit Bannesianis, cur in totam eius doctrinam inveherentur, Bellarmino probatum non esse; existimabat enim vocem *gratiae* et magis etiam *gratiae efficacis* necessario coniungendam esse cum amore aeterno, unde gratia fluxerit; gratiam igitur efficacem hac demum ratione perfectam considerari oportere; sed ita Molina quoque docet, a sola Divina misericordia tantum beneficium in indignos conferri. Vicissim Bellarminus naturam virtutemque gratiae per se considerans

---

[1] Q. 23. art. 4. disp. 1. membr. 6., alibi.

[2] De gratia et libero arbitrio l. I. c. 13: „Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu et cooperatione humana. . . Itaque existimant hi auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quae alioquin ex se non esset nisi sufficiens. Haec opinio aliena est omnino a sententia etiam scripturarum divinarum.“

[3] Ipse St. Thomas iisdem ferme vocibus utitur in enarratione epistolae ad Romanos. „Haec vocatio,“ inquit, „in praedestinatis est *efficax, quia* huiusmodi *assentiunt*“ (cap. 8.). Distingui igitur a Bellarmino oportuit ambiguitatem vocis efficaciae, quemadmodum a Suaresio, Molina, Lessio factum videmus.

eadem quae ille concludit: uni eidemque motioni Divinae voluntatem, prout libitum sit, vel repugnare vel plus minusve obsequi, duoque si eadem inspiratione moveantur, alterum consentire, alterum resistere posse[1]. *Gratiae* vero eidem negat alterum obsecundare, alterum repugnare posse, quia *gratia* ad singularem Dei amorem referenda maiorque sit, si ea detur motio, quam Deus praeviderit voluntati ita congruere, ut ei consensura sit.

Manifestus igitur error est opinantium, Molinam *eodem modo* efficaciam et inefficaciam gratiae ab hominis arbitrio repetere. Omissa etiam consideratione Divini amoris, si ex solo effectu gratiae efficaciam metiamur, ne sic quidem illud in Molinam cadere potest, qui quidem doceat, si consequatur effectus, id *non* esse ex voluntate sola, verum etiam ac praecipue a gratia, ut causa potiore, sin desit, id *soli* voluntati assignandum esse. Multo minus unquam docuit, principium salutis a voluntate ducendum esse, in qua doctrina proprie verti dicit Pelagii errorem; gratiam necesse esse antecedere primum salutis operandae conatum atque adeo primam remotamque ad illam praeparationem[2].

Atque sic ad *quartam* quoque accusationem iam respondimus, sed de ea plura infra dicemus. Actum est eodem modo cum Molinismo et Probabilismo. Ianseniani a multis adiuti theologis catholicis tot conviciis utrumque calumniari non desierunt, dum existimationem quandam communem adversus utrumque confla-

---

[1] Dicit enim cum S. Augustino, fieri posse, ut duorum hominum, qui sint prorsus aequales in eademque conditione positi, si eadem tentatione oppugnentur, alter consentiat, alter non item; negat autem quidquam contra suam doctrinam sequi: „Respondeo,“ inquit l. c. c. 13., „causam diversitatis referendam esse in liberum arbitrium, ut Augustinus eo loco recte probat, sed non primam causam; nam prima causa fuit, quia Deus uni dedit inspirationem, quam praevidit ab illo per liberum arbitrium amplectendam, alteri dedit *eandem,* sed quam praevidit ab eo per liberum arbitrium reiiciendam.“ Proximam igitur causam, cur in huiusmodi exemplo alter resistat tentationi [sitque in eo Divina inspiratio efficax], alter obsequatur [in eoque sit gratia inefficax), omnino repetit a *libertate nostrae voluntatis,* ultimam vero a Deo seligente eam inspirationem, quam cum effectu coniunctam fore praevidit. Prius illud ipsum est, quod Molina significat, quum gratiae efficaciam ponit in libertate, sed idem alterum minime infitiatur. Superiora igitur Bellarmini verba quae in Molinam dicta esse volunt („Prima opinio eorum est . . .“), non in illum cadunt, sed in Pighium et Catharinum, quos Lessius quoque, ut videbimus, litteris ad Bellarminum missis magno studio confutat. Hic autem ipse in Lessii defensione *longissime distare* utramque doctrinam fatetur. Meyeri Hist., p. 786.

[2] Q. 23. art. 4. disp. 1. membr. ult.

runt, iique ipsi, qui illius doctrinam atque adeo liberiorem itemque Probabilismum sequebantur, id fateri veriti sunt. Pervulgata est etiam superiore potissimum saeculo Molinismi et Congruismi distinctio. Sed veteres Societatis theologi, quos Congruismi auctores esse volunt, Suarez, Bellarminus, Aquaviva, nusquam in hac quaestione Molinam oppugnant; immo vero omnes oppugnatum a Bannesianis studiosissime defenderunt. Vicissim Molina, ut supra vidimus, doctrinam gratiae congruae una cum praedestinatione ante praevisa merita et bonorum operum praedefinitionem adumbravit. Non sane oblivioni dandum est, illum inter primos de gratiae doctrina Societatis scripsisse; quare mirari nemo debet, quod verbis non semper optimis usus sit eiusque doctrina a posterioribus magis explicata sit atque absoluta. Qua quidem in re discidia quaedam exstiterunt inter Societatis theologos, de quibus mox viderimus. Alii aliam partem illius doctrinae vel ipsius aetate vel postea negarunt: id unum constabat inter omnes, infallibilem gratiae efficaciam non a gratiae proprietate ac natura, sed a scientia media repetendam esse. Nec *schola* ulla Molinae unquam fuit. Ipsa capita eius doctrinae et a superioribus et ab aequalibus, qui ab illo non didicissent, in scholis proponebantur; quibus autem rebus Molinismum a Congruismo differre volunt, eas nunquam docuit, nisi forte Congruismum praedefinitionem bonorum operum nulla habita actionis humanae ratione intelligunt; quam praedefinitionem infra videbimus *publicam communemque Ordinis doctrinam* nunquam fuisse.

Postremo aliquid de Molinae dictione dicendum videtur. Quum primus de scientia media fuse disputaverit difficillimasque quaestiones illi coniunctas solvere conatus sit, non illa ab eo in dicendo perspicuitas requirenda est, ad quam multorum annorum disputatio est enisa. Quamobrem ut omnia recte intelligantur, mos ipsi gerendus est in extrema praefatione roganti: ne de singulis prius existimetur, quam totus liber perlectus sit. Quod ne fieret, dictio ipsa parum polita impedimento fuit.

11. Bannesii primi in Molinae librum impetus quomodo retardati sint.

Bannesii Molinaeque doctrinae quum maxime contrariae essent, animis iam antea diuturna altercatione incensis, fieri non potuit, quin ab ipsis brevi disceptatio susciperetur [1]. Immo vero antequam illius liber editus est, eum Bañez oppugnavit. Ipsius vitae scriptor eum omnes contendisse vires dicit, ne novae ac peregrinae doctrinae inducerentur, sed ut severa notatione publica opprimerentur; proprium esse sui Instituti, ut novitatem impugnaret, ob eamque causam Bannesium cum sociis pro virili parte id egisse, ut Molinae Concordia apud sacrum Inquisitionis tribunal condemnaretur [2]. Laudabile studium omnino; dolendum fuit, quod, incensis atque inflammatis animis, illi suam SS. Augustini et Thomae interpretationem pro illorum doctrina habebant et ea, quae *ipsi* e verbis Iesuitarum eruebant, quum ea recte erui *hi* negarent, pro veris eorum sententiis lacerabant. Videbatur igitur nova novi Ordinis doctrina, temeraria S. Thomae impugnatio, summa fidei periclitatio, et quum custodes se veritatis a Deo positos arbitrarentur, nihil non egerunt, quo illam doctrinam vix natam extinguerent. Excitavit animos pugnandi genus adversariorum, qui quum de Pelagianismo accusarentur, Bannesium eiusque discipulos ad Calvinum remittebant.

Nec pugnae susceptae difficultas acerrimum Bannesii animum deterruit; quo magis arduum certamen evasit, eo ardentiore studio incensus nova in dies subsidia ex inexhausto magni ingenii fonte ad sanctum, ut opinabatur, propositum consequendum contulit; incredibili autem auctoritate, qua capiebat, cum quibuscumque egerat, alios ex aliis Hispaniae theologos in certamen produxit,

---

[1] Sequimur in hac controversia enarranda, nisi quid secus indicabimus, Historiam M. S. Patris Poussines, cuius mentionem iam aliquoties fecimus.

[2] Quétif et Échard, Scriptores O. Pr. II., 352. 481.

et Romam missis auditoribus suis ingeniosissimis, Alvaresio, Lemosio, d'Avila, plurimos nactus est doctrinae suae defensores.

Molina librum suum sacrae Inquisitionis Lusitaniae senatui (illis enim locis usque ad id tempus commoratus erat) recognoscendum tradiderat; ab illo demandata est eius examinandi cura Bartholomaeo Fereirae e Praedicatorum Ordine, librorum Censori. Is „qua potuit diligentia" a se examinatum dicit et „valde dignum visum, qui in publicam totius Ecclesiae utilitatem excuderetur" (Liv. Meyeri Hist. II. 2.). Ita Pater Dominicanus Societatis Iesu de gratia doctrinam primumque librum ab aliquo Iesuita de theologia scholastica scriptum magnis laudibus ornatum lectoribus commendavit.

Typis igitur impressum primum exemplum Molina magna et laetitia et securitate Archiduci Alberto, generali Lusitaniae Inquisitori, obtulit. Cuius mirum refert responsum: bene fecisse, quod non alteri librum dedisset; revisendum esse, priusquam divulgaretur [1].

Rem rescierat Bañez atque ad opprimendum librum nihil non moliebatur. Amico suo et in religione socio, Patri de la Cuevas, magni Inquisitoris confessario, litteras dedit; ostendit, ea, quae Iesuitae in Hispania docerent, sine dubio in illo libro contineri; cuius doctrinae 13 propositiones se apud Inquisitionis Castellanae tribunal denuntiasse: vetitum esse illas interea defendi, dum rite recognitae essent; quare librum, in quo inessent, vulgari non debere. Persuasit Cuevae, hic Inquisitori: illud exemplum ad Bannesium missum est, qui id perspiceret diligenterque notaret, ubi illae propositiones invenirentur. Decem reperit in Concordia inesse, quas notatas ad P. de la Cuevas remisit. Interim Molina a Castellae et Aragoniae Inquisitoribus petierat atque impetraverat, ut librum in illis regnis vulgari liceret. Castellanum Bañez monuerat, in Lusitania dilatam esse operis editionem; ille nihilominus magna adiuncta commendatione roganti morem gessit. Molina utraque impetrata commendatione ad magnum Inquisitorem rediit eumque precibus permovit, ut propositiones addubitatae sibi indicarentur. Quarum defensionem cum scripta supplicatione ad illum retulit; eandem postea primae editioni subiunxit. Rationes adversariis gravissimas obiecit: nihil repertum in libro, quod Scripturae vel Patribus vel Conciliis contrarium esset; illas propositiones addubitatas esse ab Inquisitoribus Castellanis et ad ampliorem

[1] Possin. p. 229. 230.

examinationem reiectas nec vero proscriptas; qui quod eas defendi interim vetuissent, id ad scholas ipsorum ditioni subiectas spectare, ad libros aliis locis bona venia summi cuiusque iudicis editos non pertinere; praeterea invitis adversariis permissum ab Inquisitoribus Castellanis, ut liber emitteretur; postremo alienas esse propositiones a sua doctrina, id quod per singulas demonstrare aggreditur. Iussit Inquisitor, quemadmodum libello misso ad Summum Pontificem III. Id. Apr. profitetur, et obiectiones et responsa a doctis magnae auctoritatis viris atque imprimis aliquot Patribus Praedicatoribus perlegi; „a quibus quum esset compertum nihil esse in libro, quod censuram promereretur, immo potius continere doctrinam valde utilem, sanam et conformem Scripturae, Conciliis et SS. Patribus, et quod auctor omnibus, quae opponebantur, solide satisfaciebat, ut liquet ex decreto eiusdem sanctae Inquisitionis: his visis facta est copia libri in lucem edendi, qui statim prodiit.“ [1]

Dicit Serry Bannesii accusationem incognita causa repudiatam esse. At id nec usitatum erat illis Inquisitoribus et contrarium est testimoniis aequalium; acta vero, ad quae Serry provocat, Innocentius X. negavit *ulla fide digna esse.* Denuo recognitum esse librum Molina ipse in Appendice scribit, quam permissu Inquisitorum primae libri editioni subiunxit [2]; item vicarius generalis Cardinalis et Archiepiscopi Toletani, generalis Hispaniarum Inquisitoris, in litteris et ad illum et ad Cardinalem Legatum Madritum missis [3]; praeterea mater Magni Lusitaniae Inquisitoris, Maria Imperatrix [4], eiusque Maior Domus Ioannes Borgia libellis supplicibus SS. Pontifici oblatis testantur [5]; et Arrubal in refutatione Apologiae FF. Praedicatorum ad eundem missa, in qua nomina ponuntur examinatorum Ordinis S. Dominici PP. Fereira

---

[1] Integrae Magni Inquisitoris litterae exhibentur a Liv. de Meyer, Hist. Vindic. l. 2. c. 2. t. II. p. 109., ubi etiam omnes Serrii obiectiones (l. 1. c. 13.) elevantur ac refutantur.

[2] Desideratur Appendix in exemplo Antwerpiano, sed iterata est a L. de Meyer in extrema Historia (I. 784 ss.). Molina his ipsis utitur verbis: „Ita respondi, ut responsionibus accurate examinatis, Senatus supremus pronuntiarit, nihil prorsus esse, cur liber impediatur.“ Quod quomodo approbantibus Inquisitoribus, nisi verum esset, scribere potuit? Eodem loco mentionem facit veniae impetratae ab Inquisitoribus Castellae et Aragoniae.

[3] Meyeri Hist. l. 2. c. 23. (I. 168.). In utrisque litteris ille scribit librum Molinae „*bis* a quaesitoribus Lusitaniae probatum esse.“

[4] L. c. l. 3. c. 5. p. 209.

[5] Meyeri Hist. Vind. l. 2. c. 2. (II. 109.)

et de la Cuevas; et Societas Iesu Clementi VIII. supplicans [1]; postremo alia illius aetatis documenta litteraeque, quibus usus est Possinus in Historia M. S., qui quidem fuse refert, quae inter Molinam et Cuevam disputata sint.

Exceptus est Molinae liber per totam Hispaniam perhonorifice [2]. Sed et hoc et repulsa lata a Quaesitoribus Lusitaniae Bannesii studium inflammavit. Librum ad Inquisitores Castellanos detulit; nihil profecit. Alii duo Praedicatores Suaresium apud Nuntium Cardinalem Camillum Caietanum de errore Pelagiano et S. Thomae neglectione insimularunt. Ille a. d. XVIII. Cal. Febr. a. 1594. gravissime respondit: ostendit nec Molinae nec alii cuiquam de Societate in mentem venisse, ut gratiae efficaciam negarent; controversiam agi de illius efficaciae ratione explicanda; hoc esse adversariorum artificium, ut id docere Iesuitas dicerent, quod ex eorum doctrina ipsi vitiose conclusissent. Praeterea perdifficilem esse interpretationem adversariorum; se non intelligere, quomodo se ab anathemate Concilii Tridentini (sess. VI. can. 4.) defenderent.

Bañez alio conatu eo, quo voluit, ire contendit. Impetravit a Quaesitorum senatu, ut Indicem librorum prohibitorum Doctoribus Complutensibus et Salmanticensibus conficiendum committeret, ita quidem ut alteri veteres, alteri recentes libros recognoscerent; quumque ipse professor primarius Salmanticae esset, et ipse et amicus eius, qui idem sentiret, Zumel Mercedarius, inter censores electus est. Ubi de libris agi coeptum est, non dissimularunt, Molinae librum reprehensione publica notandum esse. Id indigne ferens Alphonsus Curiel O. S. B. ad Generalem Inquisitorem scripsit in hanc sententiam: Manifeste apparere in unos Iesuitas hanc machinam (conficiendi indicis) intendi; flagrare palam Zumelem et Bannesium aliosque illis addictos ardenti studio Molinae notandi; totum negotium nihil veri ac gravis iudicii simile habere [3]. Interea Bannesii amici pro certo sperabant *doctrinam Iesuitarum et Molinae proscribendam.* Qua spe illecti tanta uti coeperunt agendi inconsiderantia [4], ut hac potius quam Curielis interpellatione causa ceciderint. Ingens utrimque studium exarsit

---

[1] Meyeri Hist. l. 5. c. 1. p. 340.

[2] De qua re multa testimonia vide apud Meyerum (Hist. l. 2. c. 11—13.).

[3] Possin p. 258. n. 5.

[4] Vicarius generalis Archiepiscopi Toletani compulsus est, ut et apud Nuntium et apud Ordinarium de Avendanio et Nunnio, Bannesii amicis, expostularet V. supr. p. 240. not 3.

idque Vallisoleti disputationibus Nunnii (O. P.) et Padillae (S. I.) prorsus inflammatum est (Mense Mart. 1594.). Adierant et Praedicatores et Iesuitae et ipse rex Quaesitores; sed priusquam quidquam decretum esset, intellectum est, controversiam iam multo minus Inquisitorum iudicio finiri posse quam pridem, quum Bannesii obiectionibus neglectis liber permitteretur. Magnus igitur Hispaniae Quaesitor Romam litteras misit, quas historiae collegii Soc. I. Madritensis scriptor a se lectas eiusdem argumenti fuisse dicit atque Alphonsi de Moscoso, Legionensis Episcopi [1]. Is autem prid. Id. Iul. ad SS. Pontificem retulit, aliquot Patres Praedicatores Molinae propositionem de conversione peccatorum, quam et Iesuitae communiter et alii permulti tuerentur, quamque ipse consentaneam fidei esse existimaret semperque docuisset, severe reprehendisse, atque ita et de Societatis fama detraxisse et discordiam scandalaque seminasse. Obtestatur Pontificem, ut, si videretur, ediceret, quid in ea quaestione sentiendum esset, et concordiam inter utramque religiosorum familiam stabiliret. Idem longiorem illius rei explanationem ad Cardinales de Terranova et Toletum misit. Ante (XIII. Cal. Iun. 1594.) Cardinalis de Castro Praedicatores Romam denuntiaverat [2].

---

[1] Meyeri Hist. l. 2. c. 24. (I. 173.) De Moscoso v. Serrium l. 1. c. 17. p. 119.
[2] Serr. l. c.

12. Clemens P. VIII. quomodo iudicium de gratiae efficacia susceperit. Bannesii in oppugnando Molinae libro felicitas.

Adibant igitur undique Sedem Apostolicam, ut controversia de gratiae efficacia in Hispania orta dirimeretur. Petentibus morem gessit Clemens VIII., ut ex Card. Camilli Nuntii Apostolici in Hispania litteris ad Franciscum de Porres Provincialem Societatis Iesu medio mense Augusto 1594. missis intelligitur [1]: „Cum Sanctissimo Patri ac Domino nostro Clementi VIII. non sine animi dolore innotuisset, controversiam motam inter aliquos Patres Ordinis Praedicatorum et quosdam e Societate Iesu *circa gratiam sufficientem et efficacem*, et illi videretur, talis causae decisionem, quod ad fidem spectet et non exigui momenti sit, pertinere ad Sedem Apostolicam neminemque alium posse aut debere eam ad suum iudicium trahere: novissime [Iulio mense] mihi mandavit, ut Illustrissimo Cardinali Toletano significarem, si quam forte cognitionem eius negotii inchoasset, ne procedat ulterius, sed eius determinationem Suae Sanctitati, ad quam spectat, integram relinquat. Praeterea iussit me praecipere suo nomine Superioribus dictarum Religionum, ut mihi rationes et fundamenta omnia suae quique sententiae ac totius Quaestionis statum scripto explicatum consignent, mittenda per me ad Sanctissimum Dominum, ut ex iis ad verum causae iudicium procedi possit.“ Denique Cardinalis severissime vetat de illis quaestionibus aut in publico aut privatim quidquam disputari.

Displicuit, ut videtur, regi Hispaniae, quod in hunc modum Inquisitores causam peragere vetarentur. Scripsit nihilominus Philippus II. a. d. IX. Cal. Dec. 1594. ad suum Romae legatum: gratissimum sibi factum, quod causa ad supremum tribunal revocata esset, modo generali Hispaniae Inquisitori suam operam

[1] Meyer l. c. c. 25. p. 178.

conferre liceret; ita rem maturius confectum iri. Rogantis voluntati obtemperavit Pontifex Nuntiumque coniunctim cum magno Hispaniae Quaesitore agere iussit. Quum autem Pontifex sententias academiarum quoque Hispaniae hominumque doctorum audiri cuperet, mandatum est Universitatibus Salmanticensi, Complutensi, Siguntinae, Episcopis Coriensi, Segoviensi, Placentino, Carthaginiensi, Mindensi, denique Michaeli Saloni et Ludovico Colomae ex Ord. S. Aug., et Serrae atque Castro Doctoribus, ut iudicium de illa controversia ferrent. Quae omnia magno intervallo collata sunt. Quaesitores X. Cal. Nov. 1597. cistam et Praedicatorum et Iesuitarum scriptis et Universitatum doctorumque sententiis confertam Romam miserunt, unde Dr. de Hozes, procurator Inquisitionis generalis, se illam accepisse a. d. V. Cal. Apr. 1598. litteris signatis rescripsit. Ipse Bañez ad *legenda* utriusque partis volumina, Academiarum, praelatorum, Episcoporum Hispaniae iudicia de re controversa duobus opus esse annis existimavit[1]. Primo loco in indice posita erat „Apologia FF. Praedicatorum, in provincia Hispaniae professorum, adversus quasdam novas assertiones." Quam Bañez contractam ex octo Praedicatorum de Molina iudiciis inter se consentientibus concinnaverat. Praeter novem propositiones ex illius libro notatas quandam de absentium confessionibus opinionem continebat. In ea primum appellatam videmus *physicam praedeterminationem*. Doctores Complutenses et Siguntinos pro Iesuitis, Salmanticenses non contra pronuntiasse L. de Meyer omnium documentorum propositione probat[2]. Reliquarum auctoritatum partim huic, partim alteri sententiae accesserunt, partim neutram approbarunt.

Patet ex iis, quae diximus, atque imprimis ex Nuntii Cardinalis litteris, quibus nihil potest esse magis perspicuum, Pontificem controversiam *de gratia sufficiente et efficaci* ad suum tribunal revocasse, non ipsam de libro Molinae quaestionem. Non sane Quaesitores accepto illo Pontificis mandato iudicium de libro peragere potuerunt, quum praecipuae accusationes ad causam exceptam pertinerent. Coniunctae erant doctrinae et librorum quaestiones, sed non Concordiae tantum, verum *utriusque* partis scriptorum. Id plane dicit Ginnasius, Sedis Apostolicae in Hispania

[1] Vide libellum Pontifici oblatum, de quo supra p. 197. (Qui integer exscriptus est a Meyero, in Historiae Appendice p. 799.)

[2] L. c. l. 2. c. 13 p. 126 ss. Salmanticensium iudicium Iesuitis favere Serry negat.

Nuntius, in edicto edito XI. Cal. Oct. 1601.: „Noveritis Sanctissimum Dominum Nostrum causam de controversia *circa gratiam efficacem et sufficientem* inter quosdam Patres Dominicanos et Iesuitas agitatam et librorum a nonnullis *utriusque* praefati Ordinis Auctoribus compositorum ad se cognoscendam, examinandam atque decernendam afferri praecepisse.“ [1] Itaque Pontifex tum non ipsam potissimum de Molina quaestionem sui iudicii esse voluerat. Longius abest a vero, quod appellante Molina illam causam ad Sedem Apostolicam delatam esse dicunt. In documentis enim genuinis scriptis aequalium ne minimum quidem indicium huiusmodi appellationis reperitur eamque omnes Societatis scriptores factam negant. Pontifex controversiam *de gratia sufficiente et efficaci* compositurus erat nec magis unam quam alteram partem suas sententias scripto consignare iussit. Sed, ut ipse Serry dicit [2], et Praedicatores Iesuitas crimine Pelagianismi exagitabant, et hi illis Calvinismum exprobrabant. Utrique igitur sententias accusationesque ad Sedem Apostolicam deferre iussi sunt, atque interea dum causa decisa esset omni disceptatione ac reprehensione se abstinere. Item Academiae virique docti a Pontifice interrogati mandatum interpretantes iudicium de opinionibus et Iesuitarum et Praedicatorum tulerunt. Cui interpretationi hi quum ab ipso initio repugnarent, res per tot annos protracta et implicata est. Reos se esse Bañez cum suis negarunt, nec sibi rationem de *praedeterminatione physica* reddendam esse arbitrabantur; ortam esse controversiam de Molinae *Concordia,* de uno hoc libro quaeri; suam sententiam D. Thomae esse, quam Ecclesia in dubium nunquam vocasset; eam doctrinam profitendam et defendendam, neque ipsam, neque Ordinem, a quo propugnaretur, una cum Molinae novitate in ius vocandum esse [3]. Eadem causa fuit, cur silentium impositum a Clemente VIII. servare gravarentur; itaque et regi et SS. Pontifici supplicarunt, ut eo praecepto eximerentur. Hic (suadente Bellarmino) precibus cessit idque Card. S. Severinus IV. Cal. Mart. 1598. ad Inquisitores perscripsit [4].

Magna illa controversia ad Clementis VIII. auctoritatem iudiciumque revocata Aquaviva, generalis Societatis Iesu praepo-

---

[1] Edictum t[illegible] .n Meyeri Hist. l. 3. c. 16. p. 247.

[2] Hist. l. 1. c. 16 p. 118.

[3] Lanuzii et Bannesii libellos supra (p. 194. 197.) attulimus.

[4] Liv de Meyer, Hist. l. 2 c. 29. p. 193. Edictum Inquisitorum, quo id promulgatum est, v. Hist. Vind. l 2. c. 25. p. 210.

situs omnes provinciales et doctissimum quemque Societatis theologum consuluit, quid nomine totius Ordinis defendi posset [1]. Responsum est summo consensu in hunc modum:

In Molinae libro nihil erroris contineri. De quo si quando ageretur, eum et agnoscendum esse et defendendum; nec tamen videri eius defensionem ab universa Societate suscipiendam esse. Satis fore vel ipsum auctorem vel eius provinciam ac superiores pro eo propugnare. In Molinae scriptis quaedam non esse nisi probabilia, de quibus in utramque partem disputari posset; a multis in Societate diversa doceri. Quamobrem in privatas disputationes universam Societatem ingredi non debere. Aliam esse rationem generalis de efficacia Divinarum gratiarum controversiae, quae in Hispania potissimum agitaretur. „Antiquam usque a principio et latissime communem universae Societatis sensum esse: gratiam quam vocant actualem Dei, qua praevenimur et iuvamur ad actus supernaturales, nequaquam esse per se et natura sua efficacem neque ex ea necessario effectum, ad quem impellit, consequi. Reiicere item consensu maximo Doctores Societatis universos Praedeterminationes quaslibet physicas antecedentes et necessario trahentes actus liberos humani arbitrii“ (Possinus p. 350.). De his capitibus adversus quemvis dissentientem Societatis nomine pugnam suscipi posse.

Hanc igitur viam Aquaviva sibi ingrediendam esse statuit. Contrarium, ut diximus, genus pugnandi Bañez amplexus erat. Nihil cupidius optabat, quam ut de uno Molinae libro certaretur. Ergo Didacum Alvarez, discipulorum maxime idoneum, cum instructa accusatione Romam misit. Is VII. Id. Nov. 1596. in Urbem advenit. Erat accusatio ipsa illa Apologia FF. Praedicatorum paullo contractior. Novem notat Molinae sententias. Quibus, ut in illa, decima additur de scripta confessione; sed haec propositio non a Molina, sed a Suaresio defensa erat, auctoribus quidem clarissimis Ordinis Praedicatorum theologis: S. Antonino, Dominico et Petro de Soto, aliis. Cuius sententiae delatio, quae nec ad Molinam nec ad doctrinam de gratia pertineret, aliena erat a causa, quae agebatur, additaque videbatur ad invidiam creandam Suaresio, praecipuo Molinae defensori. Eam accusationem Alvarez mense Iunio 1597. per Card. Alexandrinum, Praedicatorum patronum, Pontifici obtulit.

Semper Clemens VIII. in numero maximorum Pontificum

[1] Quod scriptum Possinus in Societatis tabulario reperit.

ponetur. Ab iniuria deliberata eum et ingenii simplicitas et morum sanctitas longissime removebant. Itaque iniuste agere cum Societate Iesu certe minime voluit, praesertim quum eius ingentes pro Ecclesia labores ac successus magnopere admiraretur. Etenim Cardinali Ossato[1] aliquando dixit: „Hos Patres multum contulisse ad conservationem Religionis Catholicae; et ubicunque fuissent, ibi cultum divinum integrum permansisse. Quare cum eiusmodi Ordines Religionis fulcra essent et columina, fieri non posse, quin sancta Sedes eorum membra in defensionem tutelamque reciperet." Similia narrat Suarez: „Clemens VIII.," inquit, „benigne alloquens Patres, qui ex universa Societate Romae congregati fuerant anno 1600., Societatem *brachium dexterum Sedis Apostolicae* appellare dignatus est."[2] Nec vero minus quam illa utilitas ac felicitas Societatis quorundam Sociorum doctrina ingeniaque illum moverunt atque adduxerunt, ut Toletum et Bellarminum purpura ornaret. Verum illi admirationi officiebat (ut Possino visum est) auctoritas, qua apud eum Societatis adversarii, imprimis Peña, Rotae decanus, pollebant. Didacus Antonius Frances in prooemio „Decisionum Pennae", quas vulgavit, eum summi aestimatum esse a Clemente VIII., in difficillimis atque impeditissimis causis consultum, nec eius consilium unquam neglectum esse affirmat[3]. Huc accessit, quod Card. Toletus a. 1596. e vita cesserat. In hac opportunitate adversarii doctrinae Societatis Pontificem per Card. Alexandrinum, familiarem eius amicissimum, propellebant, ut quaestio libri statim susciperetur; res successit. Postea ipsum Clementem poenituisse Paulus V. successor (in scripto, quod infra vulgabimus) consentiens affirmat. Duorum Pontificum sententias libenter amplectimur, et persuasum nobis est, Summum Pontificem adversariorum Molinae desideria non implevisse, si universam causae huius conditionem plane perspectam habuisset.

Librum Molinae a Bannesio denuntiatum Quaesitores Lusitaniae bis examinatum permiserant. Reiecta accusatione appellari a Molinae adversariis Sedis Apostolicae iudicium potuerat; sed consuetudo iuris Ecclesiastici, cum iuris civilis praeceptis con-

---

[1] L. I. epist. 8. ap. Meyerum l. 5. c. 2. p. 343.

[2] Meyer l. c.

[3] Quanti Pennam fecerit Clemens VIII, etiam Ill. D. Laemmer in Melematum Romanorum mantissa exponit (Ratisbonae 1875.). Ille inimicum in Societatem animum satis superque ante significatum etiam testamento consignatum voluit, quum legata studiorum subsidia iis distribui adolescentibus vetuit, qui Iesuitarum scholas adirent.

sentiens et ab ipsa naturae aequitatisque ratione derivata, postulaverat, ut primae accusationis eventus plane explicaretur iudicesque priores audirentur. At Molinae adversarii non appellaverunt, ergo neque quae in Lusitania facta sunt, Romae significare debebant. Utique non stricti iuris officio, sed aequitatis ratione ad id tenebantur. Et certe Clemens VIII. nunquam flagitantibus amicis morem gessisset, si rescivisset, Bannesium antea accusationem ad Lusitaniae Quaesitores detulisse, Molinam respondisse, iudices de duorum Patrum Praedicatorum auctoritate crimen reiecisse. Aut saltem Pontifex et litis instrumenta et causae aliquam descriptionem ad se mitti iussisset. Quod factum non est. Non modo Iesuitas, verum etiam Quaesitores Lusitaniae de inchoata examinatione celaverunt. De qua re conquesta est Societas libello misso ad Pontificem: „Quamquam Censorum sententia possit esse vera, tamen, quum eam primum dixerunt, tum non audiverant nos.“ [1] Id si falsum fictumque esset, quis Pontifici dicere ausus esset? Absoluta pridem erat prima libri Molinae censura, quum Iesuitis libellus accusationis missus est, quem Arrubal refutavit. Quaesitores quoque Lusitani a SS. Pontifice humiliter petiverunt, ne causam Romae resumptam, se non auditis, decideret [2].

At utrumque negatur ab adversariis: et a prioribus iudicibus causam bis tractatam finitamque et illis insciis Romae iterum susceptam esse; quod rem certam negant, magis ostendere videntur, non omnes aequitatis rationes esse servatas.

Sed aliunde cognosci licet, quanta properatione usi sint. Controversiam *de gratiae efficacia* Pontifex suo iudicio reservatam voluerat, causae subsidia in Hispania per annos complures conquiri, crimina responsionesque utriusque partis in scriptum referri iusserat. E qua quaestione discendum fuit, quid de Molinae libro iudicaretur; nam illa potissimum, quae *de gratia efficaci* docuerat, adversariorum iram excitaverant. Quare si rem ordine tractari placuisset, illud prius quaeri oportuerat. Sed id quum molestum esset accusatoribus, non ante quieverunt, quam Pontificem ab ea via, quam ingressus erat, deflexerunt. Qui nondum allatis ex Hispania actis, quae imperaverat, examinationem libri incipi iussit. Post illum primum errorem in cursu suscepto per annos frustra laboratum est. Denique necessitas coegit, ut summa controversiae capita, scientia media et praedeterminatio physica, tractarentur.

[1] Meyer l. 5. c. 1. p. 340.

[2] Cuius rei documenta in Meyeri Hist. Vind. l. 2. c. 2. (II. 109.)

Tum vero spes omnis reconciliationis iam conciderat, quum acerrima concertatione et complurium annorum disputationibus incensi utrique ardentius id propugnarent, quod ab initio recusaverant: Iesuitae Molinae librum, Praedicatores Neo-Thomistarum Hispaniae physicam praedeterminationem.

Ineunte mense Novembri 1597. Clemens VIII. congregationem instituit examinando libro Molinae, cui Cardinales Madrutium et Arigonium praefecit; Censores iureiurando obstrinxit, ne, quid ageretur, divulgarent. In quo collegio fuerunt Episcopi Propertius Resta de Talleacotio, Iulius Sanctutius a Montefilatrano, Laelius Landus Sessanus, e quibus duo primi Ordinis S. Francisci; praeterea Henricus Sylvius Henrici, vicarius Apostolicus Ordinis Carmelitarum, Franc. Brusus sive Bruscus, procurator generalis Ordinis S. Francisci, Ioann. Bapt. Plumbinus, Ordinis S. Augustini procurator generalis, Gregorius Nunnius Coronel, ex eodem Ordine, denique Ludovicus de Creil, Doctor Sorbonicus. Pro absentibus H. Sylvio Henrici Carmel. et procuratore Ordinis S. Francisci Pontifex substituit Ioann. Ant. Bovium, collegii Carmelitarum Romae rectorem, et Iacob. le Bossu, Doctorem Sorbonicum, O. S. B., et Hippolytum Masserium Servitam.

Iidem qui Pontificem ad tantam festinationem compulerant, in deligendis Censoribus sua consilia interposuisse videbantur: ex omnibus unus Iesuitis favebat. Ceterorum tanta erat in Molinam iniquitas, ut, qui ingens D. Thomae studium prae se ferrent, ut postea explicabimus, quum per annos consultassent, S. Thomae sententiam, cui Molina accessisset, proscribere non dubitarent. Nemo horum aut posteriorum Censorum quidquam unquam scripsit, quod dignum esset posteritatis memoria, si Ioannis de Rada Controversias theologicas inter Thomam et Scotum excipias. Nec alius quisquam praeter Bovium, qui a nobis stetit, docendi munere fungebatur. Haec quum ita essent, mirari non debemus, quod Card. Pinellus, auditis disputationibus, de Censoribus in hunc modum iudicaverit idque iudicium Pontifici obtulerit: non esse eiusmodi viros, quorum iudicio in tanto negotio confidi posset; tres ex iis quatuorve duntaxat esse idoneos („valentuomini"); ac tamen Pinellus Molinae librum tum temporis reprehendebat, ut ex ipsius suffragio infra intelligetur; non igitur Molinae studio ita de Censoribus existimabat. Nec congregationum processus atque eventus nisi ex inepto Censorum delectu, quibus tantae rei tamque difficilis iudicatio commissa est, satis explicatur.

Interim Molina rescierat, Praedicatores procuratorem Romam misisse; qui ne quid contra se efficeret, anno 1597. ab Inquisitoribus Romanis petiit, ne se non audito librum proscriberent. Responsum nullum tulit. Nec enim Inquisitoribus, sed peculiari congregationi libri examinatio credita erat. Quod igitur existimabat, causam a Quaesitoribus Lusitanis conclusam a Romanis denuo tractari, fallebatur.

13. De prima et altera censura libri Molinae et de colloquiis postea habitis inter Praedicatores et Iesuitas.

A. d. IV. Non. Ian. anni 1598. Censores consilii causa primum convenerunt, ultimum III. Id. Mart. eiusdem anni, *necdum* scripta a nobis semel iterumque commemorata ex Hispania allata erant. Illi iudicaverunt Concordiam Molinae proscribendam esse, quod ea de praedestinatione et gratia contineret, quae SS. Patrum veterumque theologorum, imprimis SS. Augustini et Thomae doctrinae contraria, Semipelagianorum erroribus consentanea essent; praeterea Molinae enarrationem Summae S. Thomae tamdiu esse prohibendam, usque dum ab huiusmodi novitate purgata esset.

Serry hoc fuisse Censorum iudicium scribit (l. 2. c. 2.): „Cum S. Augustini de gratuita praedestinatione doctrina, a Patribus ad Patres quasi per manus tradita, ab Ecclesia non semel tantum, sed secundo et tertio fuerit approbata; et hanc Molina contumeliose reiiciat, nec salva fide sustineri posse affirmet; atque omnia illa quatuor principia, ex quibus universam rationem conciliandi arbitrii libertatem cum gratiae donis, praescientia et praedestinatione deduxit, sint expresse contra S. Thomam, S. Augustinum et ceteros Patres; multa etiam contineant, quae haud obscure adversari videntur Divinis Scripturis et sacris Conciliis; aliqua etiam expresse tradita a Cassiano et Fausto, contra quae Augustinus, Prosper, Fulgentius et catholici doctores, fortiter sese opponentes, gloriose dimicarunt: salvo semper Sanctae Sedis Apostolicae iudicio, cui universa haec a nobis scripta et quoquo modo asserta religiose submittimus, censemus e re catholica esse, ut liber, qui inscribitur: Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis etc., compositus a Ludovico Molina, et eiusdem doctrina omnino prohibeatur. Atque idem etiam censemus de Commentariis eius in primam partem D. Thomae, quousque saltem a viris ad hoc munus deputatis expurgentur a novis opinionibus, quae vete-

rum theologorum, potissimum vero S. Thomae, et Patrum doctrinae adversari videbuntur."

Pontifex Ferrariam profecturus erat, quum Censorum iudicia ad eum delata sunt. Mirabatur rem tanta properatione confectam esse. Enimvero vix perlegi duo ampla volumina illo tempore potuerant. Deinde quid fecerit, Serry his verbis refert (l. 2. c. 3.): „Rei gravitatem expertus," inquit, „causam maturiore iudicio dirimendam iudicavit. Quare superiorum Congregationum iudicia secundis curis recognosci sententiamque ab omnibus scripto ferri ac Congregationis Notario consignari iussit; id enim perpauci hactenus egerant. Scripta etiam a generali Hispaniarum Inquisitore Romam transmissa, hoc est Praedicatorum ac Iesuitarum instrumenta, nec non Episcoporum ac Theologorum Hispanorum Censuras examinari voluit: quo maturius expenderetur, an Molinae principia propositionesque ad illa redactae ab erroris nota vindicari possent."

Non erat igitur tum satisfactum Pontifici, nec causae retractatio satisfecit, ut eandem tertio ac saepius tractari iusserit. Neque tamen quidquam profecit, iisdem viris et illa et haec agentibus semperque ad confirmanda iudicia superiora, quam ad nimiam festinationem erroresque commissos fatenda propensioribus. Additus sane postea unus alterve theologus est, sed nec corpus totum mutatum nec animus: eadem ab initio ad finem properatio et in reprehendendo Molina temeritas mansit. Recognitae sunt Molinae propositiones eadem celeritate, qua prius examinatae erant. Iussi erant acta documentaque ex Hispania allata perspicere ac ponderare. Iam vero, quum ad legenda illa duobus, ad excutienda tribus annis opus esse Bañez dicat[1], illi et pertractarunt omnia et censuram reconcinnarunt paucis mensibus. „Die mensis Novembris 22.," inquit Serry, „ultimo consessu habito primi examinis recognitionem absolverant selecti Censores, Molinaeque Censuram instruendam commiserant Congregationis Secretario." [2]

Interim nuntius perlatus est in Hispaniam, propediem condemnatum iri Molinam. Qua re inimicitiae utriusque Ordinis paene sopitae excitatae sunt, alteris metu trepidantibus, alteris laetitia gestientibus. Molina litteris Concha Romam missis a. d. XII. Cal. Oct. a. 1598. rogavit atque oravit, ne librum ab Inqui-

[1] Ita in libello supplici Clementi VIII. oblato dicit. Meyer p. 799.

[2] Serry l. 2. c. 4.

sitoribus contempto accusatore approbatum se non audito proscriberent. Simul, quia ipse aetate ac valetudine ire prohibebatur, duos misit procuratores: Christophorum de los Cobos et Ferdinandum Bastidam, qui non modo ipsum defenderent, sed etiam quasdam Bannesii propositiones ad Inquisitores deferrent. Maria quoque imperatrix litteras pro eo ad Pontificem XVIII. Cal. Dec. 1598. Madrito misit. Postremo Philippus rex III.[1], etiamtum adolescens, Romam scripsit, quo excitatum ignem extingueret. Duci Sessano legato mandata dedit, ut nihil non tentaret, quod ad concordiam utriusque ordinis restituendam valere posse existimaret, neve ante quiesceret, quam „ista controversia convenientem *aequae compositionis* sortiretur exitum". Quodsi Suae Sanctitati placeret iudicio controversias utriusque partis decidere, illius esse efficere, ut ex aequo bonoque iudicium ageretur nec *alterutri iniquiore ulla in re conditione premerentur.* Prius *audirentur utrique,* deinde causa rite cognita ius cum aequitate diceretur. Pontifici Ferraria reduci placuit regis consilium, et colloquia familiaria inter Praedicatores et Iesuitas Romae habenda esse statuit. Calendis Ianuariis anni 1599. utriusque Ordinis praepositos ad se vocatos iussit cum selectis utrimque sociis ad Madrutium Cardinalem convenire suamque de summa controversiae sententiam exponere, ut sibi constaret, num quam reconciliationem partium sperare liceret.

Serry timuisse Iesuitas dicit, ne Pontifex precibus Philippi III. commotus rei decisionem maturaret censuramque conscriptam confirmaret; idcirco colloquia petivisse. Sed demonstrant Philippi ad legatum litterae, quam id falso dicatur. Professus est etiam Madrutius Cardinalis, quum colloquia auspicatus est, ea rogante rege Catholico instituta esse. Quod Pontificis consilium omnino tam Iesuitis opportune quam Praedicatoribus moleste accidit. Sed inde concludi non potest, id fuisse illorum artificium atque machinationem, qua Molinae censuram impedirent.

Colloquiis etsi nihil prorsus effectum est, tamen in iis enarrandis paullo longiores erimus, quod et ad dogmatis historiaeque explicationem aliquantum conferunt et ea documenta in promptu habemus, quae multo sint certiora *Actis* illis, quae nulla fide digna esse S. Sedes declaravit. Nam antequam causa finita est, et Praedicatores et Iesuitae narrationem rerum tractatarum vulgaverunt, illi Expostulationem FF. Praedicatorum, hi Responsionem PP. Societatis; utramque Ripalda (de ente supernaturali, ed. Paris. II.

---

[1] Scripta exhibentur a Meyero, l. 3. c. 5.

527 ss.), Serry (Hist. l. 2. c. 7.), Meyer (l. 3. c. 11.) denuo ediderunt. Quibus comparandis adhibitis iis, quae praeterea Possinus et Serry consentientes tradunt, difficile non est, quid actum sit, perspicere.

Primus conventus habitus est VIII. Cal. Mart. 1599. Venerant e Praedicatoribus Beccaria, magister generalis, cum procuratore generali et PP. Alvarez et a Ripa, e Societate Iesu Aquaviva, praepositus generalis, cum PP. Michaele Vasquez, Cobos, Arrubal. Exposuit Card. Madrutius, quid illis deliberationibus propositum esset. Magno dolore affici Suam Sanctitatem controversiis inter utrumque Ordinem ortis, quae in dies augerentur; optare, ut familiaribus consultationibus componerentur. Deinde prior dixit magister generalis Praedicatorum: nullam esse sibi totique Ordini cum universa Societate controversiam, esse cum Molina eiusque defensoribus, contra quem Provincia Hispaniae Inquisitionem appellasset; nec sibi persuaderi totam Societatem unius viri doctrinam amplecti ac tueri velle; rogare se, ut quaereretur, possetne illa doctrina aliqua probabilitate defendi; polliceri se suumque Ordinem sententiae obtemperaturum. Addidit, Praedicatorum officium esse S. Thomae conservare doctrinam, nec eos unquam pacem cum Societate Iesu habituros, nisi ipsi quoque eandem doctrinam propugnarent.

Tertius verba faciens Aquaviva respondit in hanc sententiam [1]: „Duo plausibilia imprimis et votis communibus expetita Reverendissimi Patris oratio complexa est: emendationem urgentium malorum et amolitionem impendentium. Nam et discidiorum, quae ambas a longo iam tempore Familias inquietant, finem statim fore auguratus est, ubi liber Molinae esset damnatus, et vitandarum in posterum offensionum facilem rationem indicavit obsequium et reverentiam Societatis erga S. Thomam. Ad ea ego ex sensu Societatis universae, cuius praeclare sum conscius, sincerissime profiteor, nihil offerri posse aut factu tam arduum, aut perpessu tam asperum, quod pro ista spe conciliandae nobis gratiae RR. Patrum Ordinis S. Dominici tentare ac subire recusemus. Sed quae ostendantur amicitiae conciliandae rationes, earum alteram parum ad rem facere, alteram prorsus esse inutilem. Etenim, ut ab altera incipiat, qua verisimilitudine confidere se posse pacatos sibi et benevolos Doctores sacri Praedicatorum

[1] Eam orationem Possinus et Meyerus e tabulis Romanis depromptam vulgarunt.

Ordinis in posterum fore, si S. Thomae auctoritatem sequantur, quum Socii eam ab ipso principio complexi sint? Illum nuper promulgata per totum Ordinem *Studiorum ratione* omnis Theologicae doctrinae auctorem declaratum esse, nec effectum adhuc mandatis defuisse. Quid vero inde utilitatis derivari? Professores Praedicatorum Ordinis vehementius in se infestiusque consurgere, quam in eos, qui Magistrum Sententiarum, qui Scotum, qui Durandum, qui alios scholarum et studiorum patronos elegerint. Quid igitur esse causae, cur sanctissimi magistri auditores studiosissimi, addictissimi veneratores ab illius discipulis tam acriter oppugnentur? In ista ipsa de auxiliis gratiae controversia omnia et singula Doctorum Societatis asserta disertis et luculentis S. Thomae testimoniis confirmari; Bannesii contra et aliorum ex adverso stantium contrarias sententias non modo a S. Thoma, verum etiam a Principibus Thomistarum, Capreolo, Caietano, Ferrariensi, discrepare. Frustra igitur huius compositionem certaminis secuturam sperari ex consensione theologorum Societatis cum S. Thoma.

Ne alteram quidem constituendae concordiae rationem, quae a damnatione libri Molinae repeteretur, quidquam ad eam rem, cuius causa convenissent, videri pertinere. Edixisse Pontificem primo huius anni die, illud quaeri, quo potissimum doctrinae capite alter Ordo ab altero dissentiret, quo explorato iudicium Apostolicae auctoritatis interponeretur. Idem iterum dixisse Madrutium atque addidisse Suam Sanctitatem id etiam ob regis Catholici preces statuisse. Qui vero cardo esset quaestionis, id ex Apostolici apud Hispanias Nuntii Camilli Caietani litteris ad Provincialem Castellanum Societatis anno 1594. die 15. Aug. Madrito datis intelligi: quibus iussu Sanctissimi Domini ad eius cognitionem ex Hispaniae Tribunalibus evocet *controversiam motam inter aliquos Patres Ordinis Praedicatorum et quosdam e Societate Iesu circa gratiam sufficientem et efficacem.* Nullam in his mentionem fieri Molinae. Nec inter *aliquos illos e Societate Iesu* numerari Molinam posse, qui omnino tunc in Castella non fuerit; illis verbis indicari Suaresium, Vasquesium, Padillam, quos circa id tempus Nunnius, Avendanius, Mondragonius aliique Dominicani Patres apud eundem illum Apostolicum Nuntium accusaverint, quasi de efficacia gratiae non catholice sentirent. Id in eandem sententiam interpretatum esse sacrum Inquisitionis Castellanae senatum, qui inter ceteras chartas actaque nullum Molinae scriptum, nihil plane, quod ad litem ei intentatam spectaret, Romam miserit. Ut a Bannesio Molinam, ita illum ab hoc accusatum esse; sed eas

privatas esse lites singulorum. non publicas Ordinum; nominatim autem consultos a se omnium provinciarum Societatis praesides respondisse, librum Molinae privato unius consilio scriptum et editum, etsi facile vindicari posset ab errore, tamen privato eiusdem periculo iudicari oportere. Duo in illo libro contineri: unum, quod sit de modo efficaciae gratiae, in Bellarmini quoque, Suaresii, Vasquesii, Lessii, aliorum e Societate libris legi; alterum, quod sit de viribus naturalibus liberi arbitrii, ab aliis multis Societatis theologis ut minus probabile impugnari. Non, quod quisque singularis doctor de rebus utrimque disputabilibus plus minusve probabiliter opinatus sit, pertinere ad communem Ordinis causam, sed quod omnes ubique ac semper theologi Societatis ut certum constanter tenuerint. Id communi nomine ac periculo defendere se esse paratos. Litem ortam in Hispania. Ibi quotquot e Sociis theologiam tractarint, praedeterminantem physice gratiam negasse et officere libertati docuisse; auxilium autem Divinum applicatum voluntati tale esse sanxisse, ut ei pro suo arbitrio vel assentiri vel resistere posset. Haec si PP. Dominicani probent, rem compositam esse; sin pro eo, quod Bañez, Nunnius, Avendanius, Mondragonius, alii contrarium tradiderint, pugnaturi sint, Societatem quoque universam paratam esse ad doctrinam suam omni virium contentione defendere."

Similia, ut Serry narrat (l. 2. c. 5.), utriusque Ordinis theologi dixerunt. Procuratorem Dominicanorum generalem negasse alii cuiquam nisi Molinae litem intentam; frustra illos tergiversari, ut status quaestionis mutaretur. Contra illud agi visum esse Vasquesio, essetne gratia efficax physice, atque ita voluntatem praedeterminaret, ut nulla maneret in libero arbitrio facultas vel potestas gratiae, si liberet, resistendi. Id protenus negatum ab Alvaresio, quod nemo unquam e schola *Thomistica* defendisset resistendi tolli potestatem; addidisse, *nullam* a Molina, cuius causa suscepta controversia esset, admitti gratiae efficaciam, quae ab ipso Deo, non a consensu voluntatis proficisceretur; de eo primo quaerendum; deinde disputandum, physicane esset efficacia an moralis. Ita Serry narrat locutum esse eum, qui in libro post edito integrum caput scripsit, quo hominem gratiae efficaci proprie resistere non posse demonstraret; quod idem Lemos quoque existimans postea in Congregationibus de Auxiliis planissime negavit, efficaci gratiae proprie resisti posse [1]. Et quamquam ceteri Bannesiani

[1] V. supra p. 13. not. 3. et Alvarez, De aux. div. gr. disp. 93.

non usque eo progrediuntur, constat tamen inter omnes, propter ipsam vim naturamque efficacis gratiae fieri numquam posse, ut homo actu resistat. Sed nondum tum quidem Romae ita se omnes ad Bannesii doctrinam applicaverant, quia duobus annis ante per Didacum Alvarez allata, prius autem ibidem ab alio doctore, Salmantica evocato, P. Vincentium dico, impugnata erat[1]. Licuit igitur illi, quum Vasquez insuperabilem praedeterminationis virtutem obiiceret, respondere, resistendi potestatem in schola Thomistica nunquam negatam esse. Nec negligendum est illud Magistri generalis negantis ullam suis esse controversiam nisi cum Molina eiusque defensoribus. Fuit ita sane, si omittas Hispaniam, ubi disceptationes multo ante vulgatum Molinae librum agitari coeptae erant. Quid inde concludemus? Ab annis triginta nostrae doctrinae rationes Romae proponebantur: et a Toleto, e cuius ore Stapleton ipso anno 1665. se eas audisse scribit, et a Suaresio et a Bellarmino, qui quidem Concordia nondum edita Lessium acriter defendit professusque est, se doctrinam de praedeterminatione apud solos haereticos invenisse[2]. Quodsi nihilominus reclamatum Romae non erat, sed disputari coeptum est, quum Bannesii auditores, Alvarez, Lemos, de Avila eo advenerunt: temerene concludemus, Romanam S. Thomae scholam diversa a Societatis doctrina de gratia non sensisse? Excitatae sunt simultates, ubi increbuit, quo spectare quidque docere Molinistae dicerentur. Aliqua supra[3] e Lanuzae et Bannesii libellis delibavimus. Quod huiusmodi homines et sanctitate et doctrina insignes apud SS. Pontificem et regem magna asseveratione affirmabant: Molinae sociorumque consilium esse, ut D. Thomae auctoritatem everterent et diversas novasque doctrinas in Ecclesiam insinuarent, id tanto credibilius videri Romae necesse fuit, quod Censores Congregationis a Summo Pontifice constitutae summo consensu illud iudicium comprobabant; quae res spem magnam attulit brevi fore, ut illi D. Thomae adversarii publica reprehensione notarentur. Repente iter obstructum est, clades Molinae longissime dilata, colloquia familiaria de rebus controversis indicta. Ita facile intelligitur, quidquid dictum factumque videmus. Praedicatores Romani, qui se idem sentire de gratia quod Societatem existimarent, discrepare autem ab illis Molinae consiliis ac doctrinis, loco se moveri non sunt passi, omnesque conatus contrarios declinandi causa fieri, ut certa iam condemnatio S. Thomae aemu-

[1] V. p. 214. [2] V. p. 138. [3] V. p. 194 ss.

lorum impediretur, putaverunt. In hanc sententiam eos in conventibus respondisse existimare debemus.

In primo illo Madrutius, ut Serrio utamur auctore, utriusque Ordinis praepositos eas sententias de efficacia gratiae Divinae, quas pro certis tuerentur, ad proximam consultationem afferre iussit, ut mutua deliberatione appareret, qua potissimum re dissentirent. Quod mandatum Madrutii Societatis praeposito assentientis in Iesuitarum documentis in hunc modum exponitur: „Eam sibi compertissimam Pontificis mentem esse, ut quaestio de efficacia gratiae inter duos Ordines controversa decideretur. Ad id opus esse ipsum verum dissensionis cardinem clare discernere. Quare in proxime futuro conventu tam Patres Dominicani quam Societatis secum tria singuli scripta adducerent: quorum primo contineretur propriae sententiae explicatio: altero exponeretur, quidquid in contraria sententia displiceret: postremum praecipua rationum momenta complecteretur, quibus opposita sententia redderetur minus probabilis.“ Non Molinae propositiones pro causa deliberandi propositas esse a Madrutio, postremo cognosci licet ex Praedicatorum *Expostulatione* scripta VI. Id. Iun. 1599. „Respondit Card. Madrutius,“ inquiunt, „Sanctissimi Domini Nostri voluntatem eo spectare, ut videretur, an inter Patres Societatis et nos aliqua in his, quae controverti videbantur, esse posset consensio; scire eundem Sanctissimum, quid de Molinae doctrina facto esset opus; iamque negotium illius vel absolutum vel propediem absolvendum.“

Nihilominus ad proximum congressum Magister generalis Praedicatorum sex attulit Molinae propositiones, quae theologis suis minus rectae viderentur, de quibus, quid Societatis Patres censerent, audire cuperet. Aquaviva tria illa scripta imperata attulerat. Qui quum illas propositiones proferri videret, iterum questus est, quod de solo Molina agere aggrederentur. Ille se de sententia deiici non est passus. Cui accedebant sui; narrat etiam Serry procuratorem dixisse: „Bannesii accusationes meras esse Iesuitarum artes, quibus et moras nectere et Molinae in ius vocati conditionem immutare satagerent.“ Addit idem (l. 2. c. 5.), noluisse Praedicatores „neglecta Molinae causa novam instrui litem, qua Praedicatores et Iesuitae *aequa* sorte de doctrina contenderent“. Sed id ipsum voluit Aquaviva, quod ita placuisse Pontifici norat. Exhibito autem *uno* a Magistro Praedicatorum scripto, Aquaviva quoque in colloquio illud protulit, quo propositiones a Iesuitis impugnatae continebantur, reliqua duo (de ipso-

rum sententia argumentisque, quibus probaretur) terminata consultatione Cardinali obtulit, quo se paratissimum ad omnia Suae Sanctitatis mandata implenda ostenderet.

Post hanc alteram deliberationem Pontifex Bellarminum purpura ornavit, cum diceret: „Hunc elegimus, quia non habet parem Ecclesia Dei quoad doctrinam.“ Qua insigni laude doctrinae illius, qui et acerrime defendisset Societatis de gratia sententiam et Bannesii opiniones ut Calvini erroribus affines oppugnasset, satis aperte Clemens VIII., quam non de condemnanda Societatis doctrina cogitaret, significavit. Nam certe illis verbis non solum amplitudinem, sed etiam praestantiam et orthodoxiam scientiae eruditionisque Bellarmini laudare voluit. Quumque intellexisset, Madrutium aetate iam provectum minus idoneum esse, qui tam difficili disputationi praeesset, duos ei adiutores, Asculanum O. Praed. et Bellarminum, adiunxit. In tertio [1] autem conventu, qui habitus est IV. Cal. Apr., Bellarminus sex capita Quaestionum proposuit, ad quae ambae partes responderent. Quae etsi a PP. Societatis conscripta, tamen a Bellarmino, qui iudex a Pontifice cum ceteris constitutus erat, illis consentientibus proposita sunt, quemadmodum Iesuitae in sua ad Expostulationem *Responsione* Madrutio tradita dicunt et ipsa rerum conditio satis demonstrat. Pertinebant autem capita illa ad ipsam summam controversiae, naturam gratiae efficacis et sufficientis, scientiam mediam, notionem libertatis, necessitatem praedeterminationis ad actus liberos. Ad quae respondere Praedicatores recusarunt, quod a Iesuitis praefinita ac *potius metaphysicalia* essent. Frustra Bellarminus iis persuadere conatus est, atque indignabundus tandem ipsos ea praescribere iussit, quibus id, quod Pontifex imperasset, exsequerentur. Itaque in quarto congressu octo quaestiones proposuerunt, quas Card. Madrutius ex Apologia FF. Praedicatorum, cuius mentionem supra fecimus, excerpserat. Ad quas respondere Iesuitae noluerunt, quod ad causam, quae ageretur, non pertinerent [2] et ex accusatione in Molinam scripta depromptae essent; timebant autem, ne

---

[1] In tertio, non, ut vult Serry, quarto colloquio haec proposita esse, ipsi Praedicatores „Expostulationis“ auctores concedunt.

[2] Ecce aliquot ex illis propositionibus: 1. Utrum ante bonum usum liberi arbitrii, quem ex innata libertate homo habiturus est, ut disponatur ad iustificationem aut ad vitam aeternam perveniat, ponenda sit in Deo praedestinatio et praescientia. 2. Utrum si ponatur talis praedestinatio et praescientia nulla homini libertas arbitrii relinquatur in actionibus, quibus ad iustificationem disponitur aut ad vitam aeternam pervenit.

eo exemplo postea abuterentur, ut de Molina potissimum illis colloquiis quaeri probarent. Litem Dominicanis Pontifex adiudicavit. Tum Bellarminus a congregationis moderatione fere se removit, non certe sine causae agendae detrimento. Iam enim pro homine ingenio perspicacissimo doctrinaque amplissima senex 88 annorum fractis iam viribus rem omnem administrabat. Nec quidquam ex illo tempore obiiciendo, respondendo, disputando effectum est irritusque labor fuit.

Ad Quaestiones Iesuitae assentiendo vel etiam distinguendo responderunt; satis enim generatim proponebantur. Item Praedicatores ad easdem responderunt deque Iesuitarum responsis commentati sunt. Hi scriptitando de iis, quae ad ipsam controversiam non pertinerent, tempus teri existimantes ad sex Bellarmini propositiones responderi voluerunt; quod quum non impetrarent, oratione, non scriptione certari. Id concessum est: Madrutius tres propositiones e Praedicatorum responsis depromptas excutiendas proposuit. Visa est res optime succedere. De prima propositione Iesuitae quinque sententias statuerunt, de quibus inter utrosque constaret. Consensere Dominicani tresque adiunxerunt, quas illi comprobarunt.

Ponemus quinque sententias Iesuitarum, iisque tres reliquas Praedicatorum subiungemus:

1. Datur auxilium praeveniens gratiae efficacis, per quod Deus facit, ut homo convertatur, et pie operetur.

2. Hoc auxilium praeveniens est donum peculiare Dei distinctum a sufficienti.

3. Hoc auxilium est intrinsecum tam intellectui, quam voluntati, consistens in utriusque excitatione atque inspiratione, in illuminatione intellectus atque pia motione voluntatis.

4. Id auxilium est supernaturale et interius immissum a Deo.

5. Non solum se tenet ex parte obiecti, sed etiam ex parte potentiae.

I. Auxilium gratiae efficax est motio realis et antecedens applicationem voluntatis ad actum determinatum.

II. Gratia efficax est effectrix bonae voluntatis ac proinde ab eadem voluntate realiter distincta.

III. Posito eo auxilio efficaci, de quo hactenus, homo infallibiliter convertitur aut elicit actum, ad quem movetur.

Ita de octo sententiis inter utrosque convenerat. Deinde quid factum sit, Iesuitae in *Responsione* sic narrant: „Quibus auditis Reverendissimus P. Generalis S. Dominici: ‚Si,‘ inquit,

‚Molina haec omnia concessisset, nihil plane habuissent Patres nostri, quod in eo reprehenderent.' Quod ultro dabat, nos libenter accepimus respondimusque, gaudere nos, nihil contra Molinam illos habituros, si ostenderimus (quod suo loco facillimum erit) omnes illas propositiones disertis verbis a Molina concedi. Deinde ulterius progressa est disputatio, quae eo spectabat, ut eliceretur, quid tandem illud esset, quo auxilium efficax differret a sufficiente. Et quoniam PP. Dominicani nihil interrogabant, illud proposuimus: utrum ratio auxilii efficacis consisteret in physica praedeterminatione voluntatis, ut hactenus docuerunt. Dum huic propositioni respondent, tres fere horae elabuntur, nec tamen ex eorum dictis quidquam certi colligi potuit, quo vel a nobis differrent vel inter se convenirent. Non enim omnes videbantur velle admittere physicam hanc praedeterminationem, et eorum, qui eam admittebant, unus affirmabat ea tolli aliquam indifferentiam, alter negabat. Nobis autem propositum non erat illis interrogationibus aut eos examinare aut contra eorum dicta argumentari, sed solum ex eorum verbis sensum aliquem colligere ac certo aliquid statuere, de quo deinde disputare possemus."

Prorsus incredibile est, Iesuitas scribentes ad eum, qui illi conventui praefuerat, haec omnia commentos esse, quod fieri ipsa prudentia vetabat. Congruunt etiam ea, quae Praedicatores in *Expostulatione* referunt: queruntur, „Iesuitas omni conatu transisse ad difficultatem de modo efficaciae gratiae, a quo citissime etiam longius abisse ad praedeterminationem Dei respectu nostrae voluntatis ac de eiusdem voluntatis sub tali praedeterminatione libertate; ita latissimum trium horarum sermonem habitum esse; in quo ne verbo quidem, quid ipsi sentirent, aperire volentibus eam unam mentem, id unum consilii propositum fuisse, ut a se aliquid raptim extorquere possent. Quamobrem quum neutrius partis sensum omnino Illustrissimi certum haberent, iniunxisse, ut utrique sententiam suam circa ea praecipue, quae tunc essent agitata, sincere in scriptis traderent." Quodsi Praedicatores se fatentur per tres horas sententiam suam de praedeterminatione nihil illis opponentibus explicasse nec tamen, quid censerent, satis perspectum esse a Cardinalibus, rationem fuisse necesse est, *quod hi Patres, quemadmodum eorum adversarii affirmant, de praedeterminatione inter se ipsos dissentiebant.*

Madrutius antequam conventum dimisit, ut Iesuitae narrant, gaudere se dixit, quod de octo sententiis convenisset; proinde de iis, in quibus dissentirent, domi deliberarent sententiasque ad se

deferrent. Satis congruit Praedicatorum narratio: utrique sententiam suam circa ea praecipue, quae tunc essent agitata, in scriptis traderent. Manifestum est enim, nihil desideratum a Cardinali de *priore* parte consultationis rebusque conventis, sed de parte altera, quod ipsum caput causae, praedeterminatio, ita tractatum erat, ut et Praedicatores parum dilucide, quid opinarentur, explicarent et Iesuitae suam sententiam reticerent.

Ergo hi ex Neo-Thomistarum thesibus ac libris quinque propositiones de praedeterminatione physica concinnarunt, quas pro falsis damnarent. Illi suam de efficacia gratiae sententiam exposuerunt. Physicam praedeterminationem tacuerunt et vocem *praedeterminationis* mutata significatione aeternum decretum Dei bona opera praedefinientis intelligi voluerunt; ex eo pendere gratiae efficaciam nec eam consequi, sed efficere omnium rerum congruitatem; illud Deum exsequi virtute supremae causae, per vim gratiae voluntati applicatam eam ita determinando, ut pro creatae causae natura et liberrime et certissime agere vellet; qua vi Divinae motionis praesente *in sensu composito* fieri non posse, quin voluntas assentiretur, quamquam, si liberet, posset non assentiri.

Reprehenderunt Iesuitae, quod id, quod maxime quaereretur, physica praedeterminatio, illa expositione praetermissum esset. Vicissim Praedicatores gravati sunt, quod Iesuitae illis quinque propositionibus, non quid ipsi opinarentur, sed quid adversarios docere arbitrarentur, explicassent. Itaque Iesuitae alteris quinque propositionibus contrarias sententias tamquam e regione positas descripserunt.

E quibus hae sunt praecipuae:

2. Efficacia huius auxilii non consistit in qualitate aut motione, quae physice praedeterminet hominis voluntatem ad consensum, aut quae sit talis naturae, ut cum eius entitate voluntatis dissensus coniungi non possit: sed consistit in supernaturalibus ac congruis Dei excitationibus et inspirationibus, quae ad vocationem solent revocari, quibus Deus intellectum illuminat, et voluntatem inclinando et persuadendo movet, ea ratione, qua videt ei congruere, ut vocantem non respuat.

3. Unde haec efficacia praevenientis gratiae praeter entitatem et vim supernaturalem, quam a Deo accipit, necessario etiam requirit, ut ea homini tribuatur in illis circumstantiis, in quibus praecognoscit Deus ita aptari et congruere voluntati, ut si per eam praemoveatur, sit infallibiliter operatura.

4. Praeter hanc gratiam praevenientem efficacem, quae in praedictis vitalibus Dei motionibus consistit, nulla alia, nec propter indifferentiam voluntatis, nec propter subordinationem causae secundae ad primam, requiritur motio physica distincta a gratia comitante, quae sit ultimum actus primi complementum ad usum gratiae sufficientis necessarium: necessaria tamen est gratia comitans Dei adiuvantis et cooperantis, quae una cum libero arbitrio piam actionem eliciat, ac simul cum eo, ut causa tamen praecipua, eius determinationem efficiat.

Quas propositiones Madrutius quum Praedicatoribus exhibuisset, sententiam rogavit de alteris quinque, quae erant de praedeterminatione. Sed, ut Possinus narrat, „Card. Madrutius referebat Iesuitis, respondisse Dominicanos: ‚nolle se quidquam ea de re pronuntiare, quippe qui non putarent, ea lege se teneri, ut omnia, quaecumque Patres sui Ordinis in Hispania dixissent scripsissentve, tuenda ipsis et propugnanda essent‘. Ad quae Patres Societatis responderunt: ‚hanc controversiam in Hispania natam utique ex iis, quae illic dicta scriptave sunt, diiudicari oportere. Ceterum se Dominicanorum illas sententias etiam ex thesibus descripsisse Romae ab ipsis propositis, et adesse hic praesentes ac partem magnam huius certaminis facere aliquos ex ipsis Dominicanis Patribus, qui pugnas istas in Hispania pugnarunt. Denique si non defendunt, quae Bannesius in Hispania docuit, cur Molinam accusant, cuius unum aut praecipuum crimen, commune illi cum Iesuitis reliquis, quod praedeterminationem Bannesii physicam reiecerit, tamquam adversariam arbitrii libertati?‘“ Quae vera esse, patet ex ipsa Dominicanorum *Expostulatione*, in qua haec habentur: „Dicunt profecto se ex libris, scriptis ac thesibus in Hispania et Romae editis quinque illas collegisse propositiones, quibus cupiunt nos responsum dare. At professi forsan sumus nos tueri, quae Fratrum quisque Praedicatorum legat, scribat, dictet et litterariis congressibus exponat?“

Mirabantur Romae, post complurium mensium disputationes repertum non esse, de qua potissimum re quaereretur. Itaque Praedicatores *Expostulationem* conscripserunt, quam VI. Id. Iun. 1599. ad Madrutium detulerunt, sed aliis quoque Praelatis ostenderunt. De actionibus breviter referebant, acriter de Iesuitis expostulabant. Hi gravissime responderunt. Res erat admodum odiosa. Questi maxime erant Praedicatores, quod Iesuitae ad quaestiones pridem propositas ac de illa potissimum: *omnisne efficacia gratiae a Deo esset*, non respondissent. Igitur Madrutius

a. d. X. Cal. Aug. duas de ea re quaestiones ad Bellarminum misit rogavitque, ut responsionem a suis quam celerrimam et maxime perspicuam impetraret. Ad eas utrique responderunt, Iesuitae longiore explicatione, qua vocis efficaciae ambiguitatem distinguerent ac circumscriberent. Responsionem commentati sunt Praedicatores, defenderunt Iesuitae. Illis tum quoque refragantibus hi tertio responderunt. Ex illis P. de Avila librum ampliorem contra Societatis doctrinam conscripsit, qui Romae vetitus est vulgari, quod neglectis praeceptis a Pontifice semel iterumque datis adversarios censura notasset. Scriptitando tempus effluebat; tum Madrutius a. d. XII. Cal. Mart. 1600. mortuus est; post cuius obitum congregatio languit. Iam dudum a colloquiis ad inutile calamorum certamen deventum erat. Bis, illo mortuo, praesentibus reliquis duobus arbitris utrique convenerunt; sed hi quum nihil profici viderent, ipsi a Pontifice petierunt, ut consultationes omitterentur.

Laetati sunt Societatis adversarii de congregationis eventu, quam machinatos esse Iesuitas, ut Molinae condemnatio impediretur, sibi persuaserant. Itaque ineunte anno 1600. Coronelli censura iterum prolata est. Nec Iesuitae cessaverunt. Molinae procuratores cum litteris, quibus petebant atque orabant, ut actio sibi daretur, auctoritates Academiarum, familiarum religiosarum, virorum eruditorum Molinam defendentium litterasque superioris Lusitaniae Inquisitoris reliquorumque iudicum pro illius Concordia scriptas obtulerunt. Quae res Clementem VIII. commovere visa est: iussit Coronelli censuram Iesuitis legendam exhiberi. Hi brevem astrictamque responsionem ad Pontificem retulerunt: notabant ea, quae falso a Censoribus tribuerentur Molinae, deinde ea, quae in illo reprehensa ab aliis theologis proponi solerent[1].

---

[1] *Propositiones, quas censores per summam iniuriam imponunt Molinae:* Non agnovit Molina ad actus supernaturales aliam gratiam necessariam praeter praevenientem.

Molina negat distributionem gratiae in excitantem et adiuvantem.

Negat Molina Dei scientiam, etiam adiuncta Divina voluntate, esse causam rerum.

Perperam Molina et, qui eius tuentur partes, docent, posita efficaci Dei motione reali, tolli arbitrii libertatem.

Assensus naturalis, quem quis praebet mysteriis fidei quoad substantiam actus, ut a Molina describitur, est per se ordinatus ad iustificationem.

Re ipsa Molina docet, posse fidei, spei, amoris et poenitentiae actus ex viribus naturae produci ut oportet, hoc est cum debitis circumstantiis certitudinis ex parte obiecti.

Et hac responsione et documentis allatis nonnihil perfecerunt: Pontifex censuram de integro iussit recognosci. In quo laboratum est usque ad diem nonum mensis Septembris; duodecimo

---

Molina negat distributionem gratiae in sufficientem et efficacem.

Deus statuit praedestinatis conferre auxilia propter bonum usum liberi arbitrii futurum.

Praedestinationis in communi non dari causam, praedestinationis vero in particulari dari rationem.

Deum neminem praedestinasse absoluta et efficaci voluntate.

Molinae consilium fuit, Deum decrevisse omnia facere post praevisionem operum futurorum et post praevisam determinationem voluntatis nostrae.

Non alia fuit Molinae mens, non aliud consilium, quam beneficium praedestinationis ad iustitiae rigorem reducere; ita ut non ab absoluta Dei voluntate penderet, sed a bono usu liberi arbitrii praeviso.

Molina nititur impugnare veterum scholasticorum sententiam, qua asseritur implicare contradictionem haec duo simul esse vera in sensu composito: Petrus v. g. habet a Deo auxilium gratiae efficax ut convertatur, et nihilominus Petrus non convertitur: et hanc sententiam dicit se non dubitare appellare errorem in fide.

Quaedam ex his propositionibus, quas censores condemnant in Molina, quae vel sunt certae, vel communiter in theologia receptae:

Cum auxilio, cum quo unus perseverat, potest, si velit, non perseverare; et cum auxilio, cum quo non perseverat, potest, si velit, perseverare.

Deus ita disposuit ordinem iustificationis, ut ante gratiae receptionem et in ipsa receptione suum locum relinqueret arbitrio.

Magis indignus est, ut supernaturaliter a Deo adiuvetur, qui sinistra, quam qui bona intentione ad audiendam fidem accedit.

Res non cognoscit Deus, quia coëxistunt ab aeterno secundum realem praesentiam aeternitati.

Non quia Deus scit aliquid futurum, ideo est futurum; sed quia est futurum, ideo scitur a Deo futurum.

Providentia Dei non infert semper consecutionem finis ex vi mediorum.

Dei concursus non est in causam secundam, quasi eo prius mota agat.

Splendor Divinae iustitiae non est totalis nec praecipua causa permittendi peccata.

Homo in statu innocentiae poterat sine novis auxiliis operari suam salutem.

Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, licet eam non det propter talia opera tamquam propter merita, vel aliqua ratione alia.

Posse hominem assentire rebus fidei cum solo concursu generali, actu tamen mere naturali et opinativo, ut est, quo assentitur haereticus iis, in quibus non errat.

Posse hominem viribus naturae diligere super omnia Deum ut finem naturalem actu mere naturali et inefficaci. (De Meyer p. 249 sqq., ubi prioribus sententiis ea Molinae verba opponuntur, quibus diversa et contraria dicit.)

mensis Octobris de rei summa ad Pontificem relatum est. Ad viginti numerus propositionum reprehensarum redactus est.

Haec dum geruntur, complures viri religiosi, imprimis Gagliardi e Societate Iesu et Arriva e familia S. Francisci partes inter se conciliare conati sunt. Paratos se Iesuitae obtulerunt, adversariorum sententias nec censura ulla notare nec acrius reprehendere. Ad haec responsum esse a Praedicatoribus Serry narrat: „Illud si vellent Patres Societatis, iam evidenter sentire, in sententia Praedicatorum circa efficaciam gratiae nullum esse periculum Calvinismi; Patres autem Praedicatores, cum sentirent adhuc, in sententia adversa esse magnum periculum Pelagianismi, nullo modo posse convenire in hoc, quod utraque sententia permitteretur. Nullo modo videri convenire, quod una pars non posset inter legendum et scribendum damnare sententiam oppositam vel aliam censuram tribuere, quam ex definitis ab Ecclesia crederet mereri talem sententiam.“ Praeterea Lemos Clementi VIII. opusculum obtulit, quo „futilem ac plane insulsam conciliationem illam“ esse ostenderet. (Serry l. 2. c. 10. 11.) Non recordabatur, si alteri alteros de Pelagianismo vel de Calvinismo insimularent, non idcirco veram *certam*que alterutram accusationem esse, utendumque igitur aurea illa Augustini sententia: *in dubiis libertas, in omnibus caritas.* Sed Bannesii potissimum auditores atque amici, qui ex Hispania advenerant, Romae lectionibus, scriptionibus, disputationibus, sermonibus ceteros omnes eodem studio incenderunt, quo ipsi conflagrabant.

Rursum Bellarminus omnem vim ingenii omnemque auctoritatem eo contulit, ut Molinam tueretur. Rem definiri non cupiebat; quodsi ita fieri Pontifici placeret, suadebat, ut sententias Academiarum catholicarum rogaret aut etiam Concilium universale indiceret; qua in re ei accessit Estius. Scripsit autem illo fere tempore refutationem Archiepiscopi Armachani, qui a Clemente inter Censores ascriptus amplius quadraginta Molinae propositiones notaverat. Pontifex visus est in contrarias sententias distrahi ac modo ad Societatis doctrinam accedere, modo ab ea recedere. Quamobrem Socii sententiam suam compluribus scriptis denuo explicarunt ac defenderunt. Precibus Pontificem urserunt, ne se inauditos damnaret. Quod ut faceret, longissime aberat, quamvis flagitantibus adversariis, ut viginti illas propositiones mense Octobri anni 1600. ad se delatas proscriberet. Itaque X. Cal. Febr. 1601. censuram utrisque praesentibus tertio recognosci iussit.

Paullo ante Molina Madriti vita excesserat (1600.). Nec Ban-

nesius controversiae superstes fuit: obiit Medinae del Campo XII. Cal. Nov. anni 1604. Brevi post (VI. Cal. Nov.) Alphonsus Ferrerius praepos. prov. Societatis Castellanae haec se certo cognovisse scripsit: „Magister Bannesius Cathedraticus Primus in theologia Salmanticensi mortuus est Medinae Campi die Iovis vigesimo primo mensis huius. Vehemens per Hispaniam adversarius Societatis fuit. Tamen in hora mortis bene de illa locutus est, dicendo, se semper benevoluisse hominibus Societatis, verum in materia de auxiliis dissensisse ab his ipsis; vera se sentire sese opinatum; at nunc sentire se, sententiam Societatis esse valde probabilem."

Possinus addit: *Hactenus litterae P. Ferrerii certa et palam perspecta ex recenti et praesenti notitia referentis.*

Quod utcumque se habet, certissimum est, Bannesium et studiosissime et constantissime Molinae de gratia doctrinam crimine heterodoxiae exagitasse; quem non est improbabile moribundum metu affectum esse, ne accusandis virorum catholicorum sententiis ultra quam oporteret progressus esset. Nec vero tum impediri potuit rerum cursus; controversia excitata, quidquid sentiebat, qui eam excitaverat, eo decurrebat, quo eam Pontifex inclinaverat.

14. Sollemnes de Molina et de gratia disputationes enarrantur.

Multa Iesuitae de superioribus censoribus expostularunt nec tamen Pontifici persuaserunt, ut precibus obsecutus alios iudices constitueret. Pro solo Brusio, qui eo officio abiit, alios duos e S. Francisci familia evocavit, Radam et Palanterium. Nec magis obtemperatum est Iesuitis petentibus, ut in disputationibus primum statueretur, quid Pelagius, quid Semipelagiani docuissent. Nam de hac quoque re utrimque acriter altercabantur, et illi idcirco se de errore Pelagiano argui existimabant, quod, qualis ille esset, adversarii ignorarent.

Iusserat Pontifex viginti Molinae sententias censura notatas et Praedicatoribus et Iesuitis exhiberi, deinde utrosque, quid existimarent, scripto excipere, tum praesentibus Censoribus et binis utrimque theologis omnia excuti, postremo censuras cum earum defensione ac refutatione ad se deferri. Theologi fuerunt ex Ordine Praedicatorum Didacus Alvarez et Thomas de Lemos, e Societate Gregorius de Valentia et Christophorus de los Cobos. Conventus haberi coepti sunt ab a. d. VIII. Cal. Febr. anni 1601. et continuati usque ad diem ultimum mensis Iulii. Tum materia digesta est usque ad a. d. III. Cal. Dec. Censores in sententia perstiterunt. Plumbinus et Bovius a digerenda materia remoti sunt, quod, si interessent, periculum foret, ne silentium violaretur; scilicet strenui illi ac religiosi viri repugnando molesti futuri erant.

Quid actum sit illis disputationibus, bifariam narratur. Supervacaneum autem ducimus aut contraria comparare aut *omnes* illas viginti propositiones persequi. Diluendo crimini Molinae saepe redintegrato nihil magis idoneum est quam ipsa vera doctrinae explanatio, qua ratione nos supra decimo huius libri capite usi sumus. Premebant autem Censores non ea solum, quae de gratiae efficacia Molina scripserat, sed magis ea, quae de actuum naturalium merito explicaverat, quo crimen in eum Pelagianismi

coniicerent. Iesuitae responderunt, multa falso tribui Molinae, sententias divulsas, decurtatas, unam vitiose exscriptam esse; alias immerito reprehendi, quod ab compluribus magnae auctoritatis theologis proponerentur.

Ut appareat, qua aequitate Censores, quum has 20 propositiones, nequidquam reclamantibus Nostris, conficerent, usi sint, aliquot examinabimus; de ceteris ea relegantur, quae decimo capite disputavimus.

Prima propositione [1] reprehenditur Molinae sententia de generali ac naturali Dei *concursu.* Ille summos secutus theologos, Caietanum maxime [2], concursum *simultaneum* docuerat idque interesse inter naturalem ordinem et supernaturalem dixerat, quod gratia ipsas animi facultates afficeret et actionem naturae praeverteret, quod in concursu naturali, qui etiam in male factis accederet, fieri non posset. E Molinae sententia eadem est gratia adiuvans et praeveniens, eadem et antevertendo excitat ac movet et comitando roborat iuvatque voluntatem [3]. Illam autem philosophiae, non theologiae opinionem de concursus generalis ratione ita censores vituperant, ut eam in contrariam sententiam detorqueant, quasi ad evertendam gratiae praevenientis efficaciam

---

[1] Prima propositio [Molinae notata]: Concursus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quasi illa prius eo mota agat et producat suum effectum, sed est influxus immediatus cum causa in illius actionem et effectum; influxus vero ille, quo causae applicentur et moveantur ad agendum, est commentitius et minime necessarius. Deus etiam et liberum arbitrium habent se tamquam duae causae partiales.

Asseritur formaliter a P. Molina in sua Concordia q. 14. art. 13. disp. 26. § *Dicendum.* In ed. Antv. disp. 27. et in commentariis ad I. p. S. Th. eadem q. disp. 6. et 7. § *Item* et § *Praeterea* atque etiam § *Adde* et § *Attende.*

Censura. Inspecto P. Molinae scopo et quod similiter philosophatur de concursu gr. coadiuvantis, quem dicit non esse concursum immediatum in liberum arbitrium ut in causam, quasi prius eo concursu motum ac a Deo ad agendum applicatum tales actus eliceret (sc. fidei, spei et dilectionis supernat.), sed esse influxum immediatum in actus ipsos una cum libero arbitrio, idque propter rationes, quibus id ipsum docuit disp. 25. et sequenti de concursu universali ad effectus naturales; perpensa etiam potissima ratione, qua ductus discessit a communi doctrina, ne sc. tolleretur arbitrii nostri libertas; videtur non discedere a semitis Pelagii, qui ut gratiam Div. tolleret, idem iecit fundamentum suamque assertionem eadem ratione probare nitebatur, ne sc. tolleretur arbitrii libertas, ut videre licet apud S. Hier. Epist. ad Ctesiphontem.

[2] „Zeitschrift für katholische Theologie.“ 1880. p. 256 ss.

[3] V. supra p. 228.

adhibita sit. Sic argumentum conficiunt, quo eum non discedere a semitis Pelagii accusent. Nec vero melius est illud, quo accusationem confirmant. „Suam assertionem, inquiunt, eadem ratione probare nitebatur Pelagius, ut videre licet apud S. Hier. Epist. ad Ctesiphontem.“ Jam vero eo loco Pelagius sic dicitur argumentatus esse: „Destruitur voluntas, quae alterius ope indiget; . . . . si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur“ [1]. Qua argumentatione necessitas auxilii supernaturalis ad omnem actum bonum supernaturalem prorsus excluditur, nec *unquam* adhibita est a Molina, qui cum catholicis omnibus firmissime asseverat, gratiam esse omnino ac semper necessariam. Quî fieri potuit, ut tamen ob similitudinem argumentationis Molina vestigia Pelagii sectari accusaretur, et philosophica ejus opinio idcirco notaretur, quod malo consilio proposita videretur?

Altera propositione [2] Molina ideo inter Semipelagianos ponitur, quod dixerat, sine gratia consentiri posse mysteriis fidei supernaturalis. Poterat Molina S. Thomam appellare, Capreolum, Scotum, alios theologos clarissimos; sententiam autem suam dupliciter circumscripsit, quum docuit: 1. huiusmodi fidem natura

---

[1] S. Hieron. Ep. ad Ctesiphontem c. 6. (Op. ed. Migne I. 1150.)

[2] Potest homo per vires naturae cum solo concursu generali Dei assentiri mysteriis supernaturalibus sibi propositis et explicatis, qualia sunt Deum esse trinum in personis, Chr. esse Deum et similia, tamquam a Deo revelatis, actu mere naturali; homini tamen sic assentienti supernaturalibus mysteriis Deus ex certa lege a se cum Filio suo statuta gratiam conferet auxiliave quibus illa credat ut oportet ad salutem.

Hanc propositionem docet Molina in sua Concordia q. 14. art. 13. disp. 7. § *Ut ergo* et § *Pars affirmans.* Nec non disp. 10. et 11.

Censura. Ill. Card. Bellarminus l. 6. de grat. et lib. arb. cap. 1. § *His igitur* inquirit, utrum qui praedicatorem audit aut doctrinam a Deo revelatam per se legit et habet congruentem persuasionem miraculorum aut alterius testimonii, quo res, quae credenda proponitur, efficiatur credibilis, possit eam rem credere sine speciali illustratione Divina? Cui quaestioni satisfacit inquiens: Fuit unus ex erroribus Pelagianorum posse hominem credere sine speciali gratia Dei. Ita enim refert S. Aug. multis in locis, sed praecipue Ep. 100. ad Paulinum et 107. ad Vitalem. In eodem errore etiam ante haeresim Pelagianam exortam fuisse Ticonium, refert idem Aug. l. 3. de doctr. christ. c. 33. In eodem fuisse Cassianum et alios quosdam in Gallia, qui propterea reliquiae Pelagianorum dici meruerunt, cognosci potest ex Ep. Prosperi et Hilarii ad Aug. et ex libro eiusdem Prosperi contra Collatorem. In eodem haesisse aliquando ipsum Aug. testis est ipse idem in libro de Praed. SS. c. 3. Denique hunc fuisse unum ex erroribus Fausti Rhegiensis Episcopi perspicuum est ex libris eius de libero arbitrio.

sua ad salutem et iustificationem non pertinere, quod humana ac naturalis opinio esset; „actu,“ inquit, „mere naturali minimeque idoneo ad salutem; intra limites actuum mere naturalium, qui ad salutem minime conferant . . .; opinionem fidemve humanam“; 2. „saepissime“ gratia ad quemlibet assensum opus esse. Pro ratione condemnandae sententiae Bellarmini affertur auctoritas, qui quidem plane idem dicat, quod Molina, atque etiam eadem utatur argumentatione[1]. Id unum ille negat (quod etiam Concilia Arausicanum et Tridentinum), sine gratia credi posse *ut oportet* ad salutem consequendam. Neque vero minus constanter et affirmate Molina negat, viribus naturae credi posse *ut oporteat.* Quid habet igitur propositio illa cum Pelagio commune? Sane nihil; ideo censores alteram reprehensionis partem aliunde petitam cum priore in unam sententiam coegisse puto. Sed ne haec quidem pars cadere in Molinam videtur. Nusquam enim ille dicit *solo* consensu *naturali* in fidei mysteria impleri, quod lex illa postulet, quam e multis doctoribus scholasticis mutuatus probat: „Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam“. Contrarium docere videtur initio illius decimae disputationis, quam Censores afferunt; ibi enim illud „facere quod in se est“ describens „*Totum id,*“ inquit, „*quod ex sese potest,* tam circa ea, quae fides habet, addiscenda et amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ac iustificationem“. In septima autem disputatione, qua iidem utuntur, fieri posse docet, ut inimici pertinaces fidei catholicae illo modo doctrinis fidei consentiant; quomodo igitur in mentem illi venit, ut huiusmodi assensum „id totum esse diceret quod homo ex sese posset“?

Quarta propositione Censores item Molinae verba corruperunt; illa ipsa propositioni subiungemus. Haec fuit: „Potest homo ex suis naturalibus efficere, ut actu mere naturali revelatis assentiatur. Praeterea postquam edoctus fuerit, supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, potest optare ita credere, atque etiam conari ex dono et auxilio Dei supernaturali assentiri. Denique potest petere, ut auxilium illud sibi donetur et ad illud recipiendum satagere se disponere.“ Molina contra sic ait:

---

[1] Card. Bellarminus l. 6. de gr. et lib. arbitr. c. 3. „Ad haec omnia,“ inquit, „facile responderi poterit, si quis observet, nos, cum dicimus, sine auxilio speciali non posse hominem credere, non intelligere, non posse credere ullo modo, sed non posse *ut oportet* ad hoc ut sit actus fidei catholicae et initium iustificationis. Non enim hanc particulam sine causa addiderunt Concilia Arausicanum et Tridentinum.“

„Quidquid ex suis naturalibus homo efficiat, sive ut actu mere naturali revelatis assentiatur, sive ut, postquam edoctus fuerit, supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, optet ita credere, aut etiam conetur ex dono et auxilio Dei supernaturali assentiri, sive denique illud auxilium sibi donari petat, aut ad illud satagat se disponere: sane id totum nullius est meriti aut vigoris, ut Dei gratia praeveniens propter huiusmodi dispositiones impendatur“ (qu. 14. a. 13. disp. 9.). Quidquid igitur homo naturae viribus agit, nulla prorsus proportione ad gratiam supernaturalem comparandam refertur. Contrarium omnino errori Pelagiano; idque ut acutius exprimat, quadam veri superlatione usus: *Quidquid*, inquit, *ex suis naturalibus homo efficiat*, h. e. efficere dicatur; quod eum re vera posse nequaquam dicit, nisi verbis illis a censoribus corruptis: *Potest efficere.* Quos saltem adiungere apodosim oportuit; sed videlicet ex ea intelligeretur, quam longe ille a Pelagii et Semipelagianorum erroribus esset remotus.

Tanto vero magis mirum fuit, Censores Molinae illa de actibus bonis naturalibus exprobrare, quod superiores theologi scholastici atque etiam Thomistae longius progredi soliti erant. Ut Sotus aliique insignes theologi ex Ordine Praedicatorum docuerant, dolorem credentium de peccatis ex viribus naturalibus elicitum satis esse ad justificationem, si sacramentum dolorem ad *esse supernaturale* evehens accedat, quam opinionem Molina „ut non satis tutam“ reiicit (q. 14. a. 13. disp. 14. membr. 5. p. 57.).

In tertia decima propositione repertum est Molinae verba mutata esse. Ille scripserat: „Cum auxilio, quocum unus usque in finem vitae *perseverat*, *potest*, si velit, *non perseverare.*“ Censores sic scripserunt: „Cum auxilio, quocum unus usque in finem vitae *perseverare potest*, si velit, *non perseverabit.*“ Iesuitae depravationem conquerebantur. Respondit Coronellus scribae vitio erratum esse, sed idem utramque sententiam sonare. Id illi negarunt atque ita acriter litigatum est. In proximo congressu exemplum non vitiatum Coronellus exhibuit. Serry inde infert, in solo fortasse Iesuitarum exemplo erratum fuisse. At cur non Coronellus aliique Censores in superiore conventu exempla incorrupta ostenderent? Quod autem postea non vitiatum exemplum exhibitum est: potuit interea conscribi. Consilio depravata esse verba, non arbitramur; existimamus autem illo errore festinationem levitatemque Censorum de Molina iudicantium demonstrari.

Nonis Decembribus viginti illae propositiones cum iis, quae

dicta disputataque utrimque erant, Pontifici oblata sunt. Qui scriptorum molem admiratus „Haec videntur mihi,“ inquit Censoribus [1], „valde prolixa. Si ad ea perficienda annus vobis necessarius fuit, mihi certe ad ea perlegenda annus non sufficiet.“ Illi conturbati rogare instant, ut rem cito perficiat, quum eum „et ingenii felicitas et singularis eruditio omnia legendi onere liberare merito possit“. Sed adulatione ille permoveri non poterat, ut causam decideret, accusatorum et reorum orationibus non diligentissime examinatis. Legendis autem scriptis brevi intellexit, ex iis satis existimari de causa diiudicanda non posse; quare utrosque ipse audire coram se disputantes statuit. Paratos se ostenderant Iesuitae ad S. Augustini de gratia doctrinam illo praesente exponendam. Id consilium placuit. A. d. III. Non. Febr. a. 1602. mandatum dedit utriusque Ordinis praepositis, ut mitterent, qui se praesente disputarent, utrum cum Augustino Molina consentiret necne. Proposita sunt primum haec duo: „1. Quis maiores vires ad bonum libero arbitrio tribuat, S. Augustinus an Molina? 2. An in libris S. Augustini legatur, constitutam esse a Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo, ut quoties homo solis naturae viribus fecerit bonum quod in se est, Deus tribuat illi suam gratiam; vel id sit de mente S. Augustini?“

Ergo XIV. Cal. Apr. celebres illae congregationes praesente Pontifice ut arbitro [2] haberi coeptae sunt. Duos ille Cardinales secum adduxit: Pompeium Arrigonium et Camillum Burghesium (qui idem postea Paulus V. appellatus est). Aderant superiores viginti propositionum censores, excepto Cariatensi Episcopo, qui interim vita excesserat; quibus Pontifex hos theologos adiunxerat: Petrum Lombardum Archiepiscopum Armachanum, Iosephum Rubeum Episcopum Asculanum, Anselmum Marzatum ex Ordine Capucinorum, denique Anastasium de Carpidonelo, Benedictinum sui coenobii Priorem, qui secretarius congregationis nominatus est. Disputabant pro Praedicatoribus Alvarez, pro Societate Gregorius de Valentia. Pro Alvaresio ab altera iam disputatione suffectus est Lemos; quo aegrotante ad solam 43. disputationem rediit Alvarez. Gregorius de Valentia causam defendit usque ad 9. disputationem (prid. Cal. Oct.). Is quum ante adversa valetudine usus esset, aucto disputationibus malo, Neapolim relaxandi animi corporisque causa missus est. Clemens VIII., qui eum summi faceret et doctorem doctorum appellaret, congregationes

[1] Serry l. 2. c. 22. (23.) [2] Idem l. 3. et 4., Meyer l. 4. et 5.

tantisper intermitti iussit. Sed quum intellectum esset, frustra remedium morbo quaeri, a. d. XV. Cal. Dec. Societas Iesu Petrum Arrubal Romani collegii professorem disputatorem submisit.

De illius extremo morbo hanc fingunt fabulam. In nona disputatione eum quendam S. Augustini locum consulto depravasse; id P. Lemos, qui illum librum secum non haberet, tamen statim animadvertisse, rogasse Pontificem, ut Iesuitam sibi exhibere librum iuberet. „Tum facto signo a Sanctissimo (inquit Lemos) ut illius librum acciperem, accessi ad ipsum, qui librum manu tenens quodammodo retinebat et abscondebat post tergum. Et arripiens ipsum quasi vi dixi: Sanctissimus praecepit. . . Tunc (fraude deprehensa) ipse Pontifex cum indignatione magna intuens ipsum Valentiam manu et gestu dixit: Ho! Et post pauca cum vellet P. Valentia respondere, passus est tam potentem vertiginem, ut cadens in terram extra se totus iaceret. . . Ex vulnere in disputationis acie suscepto obiit gratiae Molinisticae martyr.“ Verum hoc totum commentum est. Id P. Possinus testimoniis ducentorum Sociorum, qui tum in collegio Romano versabantur, demonstrat. E quibus complures a se Romae interrogatos dixisse refert, fatigatum omnino ab illa disputatione Valentiam redisse, sed apoplexiae indicia nulla tulisse. Magnam in illa disputatione benevolentiam ei praestitam esse a Pontifice; praeter curiae Romanae consuetudinem iussum esse considere, actiones congregationis ob eius valetudinem intermissas. Sed quicunque magnum illum virum noverit, is sine testimonio dabit, non fuisse eum, qui coram Pontifice locum S. Patris meditate corrumperet aut pugnis cum altero certaret. Postremo notandum videtur, quod illud documentum, unde adversarii crimen in Valentiam deprompserunt, Lemosii Acta inquam, a S. Sede omni fide indigna esse decretum est. Arrubal usque ad 19. congregationem (VIII. Cal. Iul. 1603.) disputavit; tum in gravem morbum incidit. A vicesima Bastida in illius locum successit. Habitae sunt disputationes omnino 85, Clemente regnante 68, Paulo V. 17. Acta varia exstant: Pennae, Lemosii, Coronelli; quibus omnibus „nullam omnino fidem“ adhibendam esse Innocentius X. declaravit. Quare et haec etiam summatim narrare, et longas Valentiae, Arrubalis, Bastidae orationes exponere, si placet, omittamus. Serry illa secutus rem late explicat, Livinus de Meyer has orationes comparat, ut, quid gestum sit, illustret. Nobis nec facultas est nec voluntas, ex incertis fontibus 85 disputationum longam atque odiosam historiam perscribere.

Turbatum est plurimum in Hispania, quum in dies plures religiosi, sacerdotes atque adeo laici in diversas partes discederent. Nemo non de gratiae efficacia disputabat, ut tempore Arianorum factum legimus de aeterna Christi nativitate, nostra aetate vidimus de Summi Pontificis infallibilitate. In Hispania autem pax reipublicae tanto gravius periclitari visa est, quo probrosius in illis locis existimabatur, si quis in fidei veritatem offenderat. Quocirca rex legato suo Romano mandatum dedit, ut rem quam brevissime definiendam curaret. Nihil Clemens VIII. ipse ardentius optabat; eique Bellarminus, qui eum retrahebat, displicere coepit. Qui omnino persuasum habebat, illum, quamvis vellet ac posset, tamen nihil definiturum esse. Quam opinionem ne apud ipsum quidem dissimulavit. Nam quum ab eo audiret, rem decisum iri, id summa asseveratione futurum negavit; quumque ille responsum admirans gravius affirmaret, certum sibi esse controversiam dirimere, eadem constantia id numquam futurum reposuit. Rursum Card. del Monte in quodam conventu Bellarmino narravit, Pontificem causam Praedicatorum et Iesuitarum diiudicare velle. Ille „Numquam," inquit, „faciet." Tum alter miratus „Et vult et potest," inquit, „controversiam definire; cur id futurum negas?" Ad haec ille affirmans respondit: „Et velle et posse scio, sed facturum nego et, si conetur, ante moriturum." Eam rem postea Card. del Monte interposito iureiurando testatus est. Pontifici is Bellarmini animus displicuit, et, qui antea illum in Cardinalium numerum ascripserat, quod „parem Ecclesia Dei quoad doctrinam non haberet", is eundem nunc a se removit atque Archiepiscopum Capuanum creavit. Quod ideo factum esse, ipsius Bellarmini sententia fuit. Sed eo remoto Pontifex ceteros S. Officii Cardinales, in iis Asculanum ex Ordine Praedicatorum, Congregationibus de Auxiliis interesse iussit. Aquavivam quoque Roma amandare studuit, quod tamen eius morbus impedivit. Literas, quae plurimae ab Academiarum professoribus et principibus pro Iesuitis scriptae sunt, acerbe repudiavit. Quae omnia satis ostendunt, quod etiam ex aliis rebus a Possino relatis constat, contigisse Societatis adversariis, ut Clementis VIII. animum magis magisque ab illa alienarent. Eodem tempore indignus Societatis filius, Ferdinandus de Mendoza, homines summae in regia curia Hispanica auctoritatis, ducem Lermanum et ducis Lemosii uxorem, contra Societatem eiusque praepositum irritavit. Quare Hispaniarum orator, Marchio de Villena, Romae contra eandem agere iussus est. Denique plerique etiam Cardinalium, quemad-

modum Pinellus in suo suffragio scribit, Molinae librum aversabantur. Ipse Baronius, Societatis alioquin admodum studiosus, in magnum inductus errorem, illius de gratia doctrinam improbavit[1]. Ita nullo humano praesidio impediri visum est, quominus Molinae liber condemnaretur[2].

Nec vero tantum periculum tum fuit, quantum Societatis et amicis et adversariis visum est. Card. Monopolius, qui Clementis animum penitus perspexerat, Paulo V. dixit, illius consilium eo

---

[1] Quod imprimis in illa ad Archiepiscopum Avenionensem, de Villars, epistola facit, quam plerumque afferre solent, cuius exemplum a Baronii amanuensi descriptum in bibliotheca Vallicellana exstare vidi. Eodem animo notas quasdam de Molina, quae ibidem repertae sunt, ipse conscripsit. Epistolam illius esse Livinus de Meyer rationibus ex ipsa depromptis negat. Sed quoniam Albericius, quum Baronii epistolas vulgaret, suo iudicio confirmavit (II. 121.), et exemplum epistolae ab illius amanuensi, et notas de Molina, sententiis simillimas, ab ipso scriptas esse, eiusmodi dubitationes omittamus. Apparet autem illum et de Societatis doctrina leviter et falso de Molinae libro iudicasse. De illa sic habet: „Iesuitae [ponunt] gratiae efficaciam in determinatis circumstantiis vel loci vel temporis, in quibus Deus per mediam, quam vocant, scientiam infallibiliter scit humanam voluntatem cooperaturam.“ (Alberic. II. 121.; Laemmer, Meletematum Romanorum mantissa, p. 384.) De libro autem Molinae in notis praeter cetera haec dicit: „Hinc res delata est in Hispaniam, ubi ab Archiepiscopo Card. Toletano damnatus est liber Molinae, qui deinde rursus editus est in Portugallia. Ex Hispania res delata est in Gallias, ubi contradictum est a Sorbonensibus et aliis. Hinc in Urbem delata est controversia“ (p. 126.). Nunquam a magno Hispaniarum Inquisitore liber damnatus nec contradictum est a Sorbonensibus. Plurimi enim Sorbonenses et quidem clarissimus quisque contra praedeterminationes acriter disseruerunt. Postremo falsissimum est quod de editione tum facta operis Molinae dicit; vetitum ab Archiepiscopo Toletano iterum vulgatum scribit in Portugallia. At primo editum est in Lusitania (Ulyssipone 1588.), secundo Conchae (1592.), quod oppidum erat Neo-Castellae non magno a Toleto intervallo dissitum. Quî fieri potuit, ut tantus vir de re sua aetate acta, quam e prima quaque bibliotheca paullo ampliore posset didicisse, ita falleretur? Credo quia adversarii studio in Molinam incensi tanta constantia et securitate levissimas de illius libro fabellas venditabant, ut omnium existimationem depravarent, bonique senes, quales tum erant Madrutius et Baronius, nihil mali suspicati verborum fallacia deciperentur. Quae autem inde derivata sunt scripta, ex iis nullum profecto contra Molinam testimonium repeti debet.

[2] De qua re Possinum, Societatis scriptorem, audiamus: „His humanis consiliis,“ inquit, „suum superius (ut solet) Divina Providentia miscebat, ostendendi sui numinis in eius causae tutela, quam omnia undique praesidia deficerent, omnes incommoditates urgerent, obligandaeque sibi nostrae fiduciae, ubi tandem intellexissemus ex eventu, Dei utique solius praesenti auxilio servatam esse ex ultima pernicie rem famamque nostram, quo tempore in eas omnes omnium hominum opes coniurassent.“

spectasse, ut aliquot Augustini sententias definiret, non ipsam controversiam dirimeret. Quamquam id „nihil futurum fuisse“ Paulus V. existimavit, quod de illis inter utrosque constaret[1].

Ut concedamus Clementem VIII. aliquamdiu averso a Molina animo fuisse, tamen brevi antequam e vita cessit, mutatus est. Cuius rei rationes multae fuerunt. Imprimis Card. Perronii acerrima defensio Societatis. Is quum delegatus ab Henrico IV. Romam venisset, ea occasione usus Bellarminus litteris eum rogavit, ut doctrinam de praedeterminatione physica impugnaret[2]. Id ille magno studio praestitit. Etenim hoc praeter cetera Pontifici dixit: si Thomismum definiret, certe haereticos Germaniae atque Galliae subscripturos suamque doctrinam definitam esse conclamaturos[3]. Quo dicto moveri illum necesse fuit. Nunquam Ecclesia tribus illis luminibus, quibus tum illustrabatur, clariores suae doctrinae propugnatores eodem tempore habuerat; Clemens quoque Octavus insigni Bellarmini, Perronii, Stapletonis admiratione tenebatur. Qua motus priores duos ornaverat purpura, Stapletonis vero scripta inter coenandum audire consueverat. Qui omnes Calvini errores, in quibus oppugnandis vitam consumpserant ingeniumque singulare impenderant, diligentissime pertractarant; Perronius iis imbutus a puero erat. Iam vero hi viri consentiebant, doctrinam gratiae per se efficacis ac physicae praedeterminationis aut parum aut nihil a Calvinismo distare. Poterant sane falli et vehementer falli, sed eorum sententiis impediri Clementem necesse fuit, ne illam doctrinam sanciret.

Adde quod illorum iudicium plurimarum Academiarum consensus confirmabat. Quarum plerasque ad Iesuitarum doctrinam accessisse supra diximus. Parisina quoque Universitas in eadem opinione erat. De Reformatorum aetate et proxima Petrum de Soto invite fatentem supra audivimus (p. 135), et gravius testimonium Concilii provinciae Senonensis, quod Parisiis habitum est, cuius theologi fuerunt Doctores Parisini, retulimus. In qua sententia illa schola orta controversia Moliniana perseveravit, doctoresque eius clarissimi saeculi septimi decimi ineuntis: Gama-

---

[1] Id Paulus V., ut ex quodam litterarum monumento infra intelligetur, in colloquio cum oratore regis Hispaniae dixit.

[2] Quam epistolam primus Ill. D. Laemmer in Meletematum Romanorum mantissa vulgavit.

[3] Id etsi quidam negarunt, Habertus episcopus ab ipso se audisse testatur. Meyer l. 5. c. 53. p. 533. Idem Perronius in ultima congregatione, qua conclusae sunt consultationes, coram Paulo V. iterum dixit.

chaeus [1], Hallier [2], Duval [3], Ysambert [4], Habert, Abelly [5] Neo-Thomistas acriter aggressi sunt; quin etiam scriptum videmus a Petro S. Iosephi e Fuliensium congregatione anno 1647., sibi compertum esse, ex omnibus Sorbonae sacrae theologiae professoribus proximis quinquaginta annis ne unum quidem fuisse, qui Bannesii opiniones complecteretur [6]. Similia eodem tempore Habertus scripsit [7]. Atque vel ipsi adversarii inviti ea fatentur, quae, quid Galliae theologi existimaverint, satis demonstrent. Apud Serrium [8] Antonius Rosa, Sylvanectensium Episcopus, sub anni 1601. finem coram Summo Pontifice testatur: „Sorbonam physicam praedeterminationem ceu haeresim proscripsisse, virosque triginta quinque, qui Licentiae theologicae studium una cum ipso decurrerant, in Societatis doctrinam publicis actibus consensisse." In actis Pennae est, Parisienses duos, Le Bossu et de Creil, quum inter Molinae censores essent, Nonis Decembribus anni 1601. ita questos esse: Iesuitas *acutissimos atque ingeniosissimos Galliae viros* ad suas partes traxisse. Iidem scribentes ad Sorbonicos, ut eos ab impugnandis Thomistis prohiberent, aiunt: gloriari Iesuitas Sorbonam secum stare; quare caveant, ne illa controversia implicentur, quam Summus Pontifex brevi diremptunus sit. Eodem fere tempore (mense Dec. 1601.) Clemens VIII. ad se relatum dixit, Molinae doctrinam in Gallia in dies plures astipulatores nancisci.

Itaque quum schola theologiae celeberrima cum tot aliis Academiis, quum catholicae veritatis defensores acerrimi, Bellarminus, Perronius, Stapleton, cum aliis theologis plurimis Iesuitarum de gratia doctrinam tutarentur, potuitne persuaderi Pontifici, ut plus

---

[1] In I. II. q. 111. c. 6.; apud Liv. Meyer l. II. c. 14.

[2] P. I. Anal. Cog. n. 65 ss.; apud Meyer l. c.

[3] Duval, Tom. I. tract. de grat. q. 7. art. 3. p. 882. Hic quidem se Suaresio assentiri profitetur.

[4] Tom. II. in I. II. tract. de grat. disp. 7.; apud Meyer l. II. c. 14.

[5] In Medulla theol. de grat. c. 3. sect. 1. ed. Ratisb. 1839. p. 310.

[6] Théologie du temps p. 1. c. 7. pag. 58.: „Je scay bien, qu'entre tous les professeurs (de la Sorbonne) qui ont enseigné la théologie depuis cinquante ans, il n'y en a pas eu aucun qui ait suivi les opinions de Bagnez."

[7] Theol. Gr. Patr. de grat. l. 2. c. 17. §. 4. „E diametro pars eorum altera, quae longe numerosior, *Sorbonica praesertim cathedra et palaestra,* non alia graviore de causa praedeterminationi physicae bellum indicit quam metu admittendae per ipsius veluti posticum necessitatis."

[8] Hist. congr. de auxil. l. 2. cap 25

auctoritatis Molinae censoribus, nulla doctrinae ingeniique laude praeter ceteros insignibus, attribuens illum damnaret?

Denique suo studio Clemens VIII. intellexerat, quam longe Molina a Pelagio distaret. Card. Aldobrandinus, nepos eius atque haeres, illud Concordiae exemplum, quo uti solitus erat, quum in vivis esset, Societati Iesu donavit. In eo Clemens notis interpositis crimen Pelagianismi diluere conabatur.

Voluerat, ut supra vidimus, in sollemnibus disputationibus Molinae propositiones ex S. Augustini doctrina iudicari. Sero autem ad ipsam controversiam de gratiae efficacia accesserunt. Prius de vi naturali voluntatis disputarunt. Postea Pontifex de scientia media agere constituerat.

Sed a. d. III. Non. Mart. 1605. vitae taedio fessus, quemadmodum in actis consistoriorum [1] eo regnante habitorum narratur, diem obiit supremum. Multum eum contumacia effrenata quarundam gentium nobilium vexaverat, nonnihil Pauli V. opinione etiam illud, quod constituendis Congregationibus de Auxiliis in eas se difficultates induerat, unde quomodo se expediret, non haberet. Eo mortuo quum brevissime regnasset Leo XI., a. d. XVII. Cal. Iun. 1605. Paulus V. electus est. Cui id plane certum deliberatumque fuit, ut controversiae molestae finem quamprimum faceret. In utram partem voluntate propenderet, statim significavit. Nam Bellarminum in suam dioecesim redire non est passus, sed Romae manere iussit. Idem in altera, cui praeesset, congregatione in mediam ingressus controversiam de *physica praedeterminatione* disputari imperavit, id quod Iesuitae summopere cupiverant nec hucusque impetraverant. De qua re proximis sexdecim conventibus actum est. Tum vero in vicem Iesuitae, qui antea Molinam a Praedicatorum criminationibus defendissent, accusare physicam praedeterminationem coeperunt, multos locos e sacra Scriptura, Patribus, Thoma, ceteris scholasticorum principibus conferre, amplissima etiam comparatione propositionum verborumque Calvinistarum ac Bannesianorum utriusque doctrinae affinitatem scripto demonstrare studuerunt. Eae disputationes continuatae sunt usque ad Cal. Mart. anni 1606.

---

[1] Haec acta consistoriorum manuscripta in Corsiniana bibliotheca asservantur.

15. Congregationes de Auxiliis quomodo conclusae sint.

Incerta adhuc fuit narratio de illarum congregationum conclusione. Nam quae Serry de censorum sententiis deque bulla condemnationis refert, in varia veri falsique permixtione versantur nec fide ulla digna sunt. De ultima autem sessione congregationis, in qua rei summa vertitur, quae fuit a. d. V. Cal. Sept. 1607., nihil se certi nosse confitetur. Idem de se fatetur Livinus de Meyer. Tanto maiore voluptate affecti sumus, quum Pauli V. commentarium de suprema congregatione suffragiisque Cardinalium ipsius manu scriptum reperimus. Cum quo erant suffragia autographa Pinelli Cardinalis et Bovii Carmelitae atque scripta Claudii Aquavivae de nostra controversia. E quibus documentis genuinis facile est de conclusione illarum congregationum recte existimare atque iudicare.

Postrema habita disputatione Calendis Martiis a. 1606. Summus Pontifex censores sententias scribere iussit[1]. Voluit autem de his potissimum iudicium ferri: 1. quae sententiae cum fide connexae definiendae, 2. quae condemnandae esse viderentur; 3. quid inter catholicorum illorum opiniones erroresque damnatos haereticorum differret; 4. num in bulla definitionis mentio illorum librorum facienda videretur, in quibus illa invenirentur, et familiarum religiosarum, inter quas disceptatum esset. Quae Bovius ad ea respondit, id confirmat, quod apud omnes constat, eum

[1] Qua verborum formula iusserit, Bovius scribit initio sui suffragii: „Beatissime Pater. Etsi per alia scripta S. V. oblata iam explicavi, qua facillima et optima ratione videretur mihi pro tenui meo iudicio posse terminari longa haec et difficilis controversia, nunc tamen quia S. V. iubet ut sententiam nostram dicamus eam reducentes ad haec capita videlicet: quaenam propositiones videantur definiendae de fide, quae condemnandae, quid intersit inter horum catholicorum sententias et damnatos haereticorum errores, et an in bulla definitionis facienda sit mentio librorum, in quibus pp. reperiuntur, et religiosorum ordinum, inter quos fuit haec controversia: ut respondeam in terminis ad quatuor proposita" etc.

Molinae doctrinam contra praedeterminationes gravissime defendisse. Eius igitur suffragium referre omittimus, praesertim quum a Serrio in sui libri supplemento perscriptum sit. Adiecerat Bovius quandam adumbrationem bullae, qua sua sententia perspicue enuntiaretur. Idem fecit Archiepiscopus Armachanus; quod tamen scriptum fortasse e Clementis VIII. tempore repetendum est, cuius bulla appellatur a S. Amour. Quod si recte coniicitur, facile apparet, cur Bovius adversariis descriptionem alicuius bullae opposuerit. Ceterum neutram Pontifex probavit remque decidere detrectavit; neutra igitur ullam habuit publicam auctoritatem.

Quam benigne Paulus V. libellum Bovii, quo Iesuitas defendebat, excepisset, facto ostendit, quum eum brevi post Episcopum Melphictensem creavit; nam autographo nondum subscripsit „Episcopum", Pinellus autem in suo illud Episcopi votum nuncupat; scripta igitur illa sententia, Bovius Episcopus nominatus est. Congruit praeconizationis et consecrationis tempus; nam in Cosmae Villarii [1] Bibliotheca Carmelitana IV. Cal. Febr. a. 1607. dicitur Episcopus Melphictensis praeconizatus et III. Id. Febr. 1607. consecratus esse. Societati quoque Iesu Pontifex magnum exhibuit benevolentiae existimationisque argumentum, quum (in Const. *Quantum religio* prid. Non. Sept. 1606.) Institutum Societatis confirmans *sanctum nec unquam satis laudatum* appellavit.

Serry narrat, Pontificem, quum illud mandatum daret, primum vetuisse censores de suffragio ferendo inter se consulere, postea permisisse, ut sententias communiter ferrent. Eorum maior pars, h. e., omnes Bovio et Episcopo Armachano exceptis, 42 propositiones, quae e Molina depromptae dicebantur, condemnarunt, Bovius suffragium suum superius confirmavit, Episcopus Armachanus sententias condemnandas brevius ad numerum 30 contraxit. Plumbinus antea cum Bovio Molinam absolverat, tum ad eius adversarios concessit [2]. Hae quoque sententiae, quemadmo-

---

[1] Pag. 729. t. I. (Aurelianis, 1752.). Gams in opere illo celebratissimo („Series Episcoporum") solum annum consecrationis Bovii notat.

[2] Quadraginta duas propositiones Molinae a censoribus notatas esse in Pauli V. et Card. Pinelli autographis, quae exhibituri sumus, scriptum legitur. Dicit autem Pinellus, Bovium et Archiepiscopum Armachanum ceteris non accessisse, quemadmodum ante Plumbinus et Aquilensis Episcopus ab iis dissensissent. Unde intelligi licet, Plumbinum 42 illas propositiones damnasse; Armachanus triginta notari voluit; denique solus Bovius Molinam absolvit. Ita recte Serry; errat autem Livinus de Meyer, quum Plumbinum in pristino

dum de superioribus eorundem censorum diximus, aut falso Molinam interpretantur aut, quum illius doctrinam exhibent, ab aliis etiam magnis theologis docebantur. Exemplo sit ea, quae primo loco ponitur. Est autem huiusmodi:

„In statu naturae lapsae potest homo cum solo concursu generali Dei efficere bonum opus morale, quod in ordine ad finem hominis naturalem sit verae virtutis opus, referendo illud in Deum, sicut referri posset ac deberet in statu naturali."

In hac propositione idem fere, quod in trigesima septima propositione Baii, affirmatur; est autem haec: „Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit." Comparetur sententia utraque et audiantur Bannesiani illius censurae defensores. Serry hoc ipso loco (l. 4. c. 20. Ed. Lugdun. 1770. I. 635.) famosam illam interpunctionem defendit, secundum quam extrema illa verba bullae, qua Baius damnatus est, sic interpretatur, ut nonnullas eius propositiones *in sensu auctoris* docere liceat. Has argutias qui adhibet, se ipse iudicat causamque quam tuetur. Res enim eodem deducitur, quo Iansenianorum illa iuris et facti distinctio, ut et haereses ab Ecclesia damnatae retineantur nec gloria obedientiae, quae illi debetur, periclitetur. Idem alia excusatione usus est, quam ab eo mutuatus Billuart de diversis rebus loqui docet Baium et Molinam, illum de bono naturali, hunc de opere verae virtutis [1]. Nec sic quidem se expedit. Molinae enim verba haec sunt: „Cum solo concursu naturali Dei, absque alio dono vel auxilio gratiae, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini *naturali* hominis accommodatum atque *comparatione illius* sit vere bonum ac virtutis opus; non tamen, quod fini *supernaturali* sit accommodatum quodque comparatione illius sit *bonum simpliciter ac virtutis opus* dici queat." [2] Acutiusne ille explicare potuit, bonum opus intelligi *naturale?* Praeterea attendas velim, verba quomodo detorqueant ut censores ita Billuart. Ille eadem sententia, qua dixerat hominem aliquid vere bonum atque honestum sine gratia facere posse *adhibita aliqua comparatione,* protenus adiecerat, quod compa-

---

dissensu perseverasse existimat. Propositionum quadraginta duarum quum nullum nisi descriptum exemplum cum ceteris monumentis scriptis reperire potuerimus, idque cum Serrio fere congruat, nos id hoc loco ponere omittemus.

[1] Summa S. Thomae, t. I. diss. VI. art 6. de scientia media. Ed. Paris. a. 1876. I. 215. Billuart in rerum narratione operi adiuncta Serrium secutus incertus est auctor veritatis.

[2] Q. 14. art. 13. disp. 5.

ratione aliqua bonum sit, id quoad finem *supernaturalem*, qui in hoc rerum ordine a Deo generi humano propositus est, *simpliciter bonum aut virtutis opus* dici non posse. Hoc postremum praetermittitur et illud *vere bonum et virtutis opus* in *verae virtutis opus* mutatur. Quodsi quis reprehendit, bonum naturale non solum bonum, sed virtutis opus dici, perperam agit; et minime omnium Thomistae id reprehendere possunt. Ipsi enim cum S. Thoma et Billuarto (de actibus hum. diss. 4. art. 6.) recte affirmant, actiones *in individuo, si ordo naturalis* consideratur, non esse *indifferentes,* sed aut *honestas* aut peccata. Bonum igitur naturale, quod homo deliberate agit, honestum est; si honestum, ergo et virtutis opus. At Serry rationem affert, quae si solida esset, actiones illas indifferentes poneret. „Baiana propositio," inquit, „idcirco ferulam meruit, quod in ea nihil boni naturalis ex solis naturae viribus proficisci sic diceretur, quod omne, quod agit peccator, peccatum esset." Quid, quaeso, est illud, quod *ex solis naturae viribus profectum* nec, ut Molina dicit, bonum virtutis seu honestum sit, nec peccatum? Nihil relinquitur nisi actio indifferens. Baiana igitur propositio *ferulam meruisset,* quia actiones indifferentes negasset, quod quum Thomistae faciunt, tum Billuart fuse demonstrat. Numquid hic ideo rationem Serrii non integre refert, an bonum vere honestum dici virtutis opus reprehendit? Sed neque id vituperandum fuit, quod e S. Thoma depromptum vere Thomisticum est. Docet enim ille planissime, hominem naturae viribus virtutes morales acquirere posse, sed imperfectas nec simpliciter veras. „*Virtutes,*" inquit, „*quae sunt hominis in quantum est homo* . . . non excedunt facultatem humanae naturae, unde eas per sua naturalia homo potest acquirere." (Q. 1. de virt. in comm. art. 9. in c.) Id quod illo loco fuse demonstratum in Summa breviter repetitur (I. II. q. 63. art. 1. et 2.). Priore loco sic naturales virtutes a supernaturalibus distinguit, ut priores *comparatas ad finem naturalem*, posteriores *simpliciter* appellet *virtutes.* Quod quidem in Summa exponitur. „Si illud bonum particulare," inquit, „sit verum bonum, puta conservatio civitatis vel aliquid huiusmodi, erit quidem *vera virtus,* sed imperfecta, nisi referatur ad finale et perfectum bonum. Et secundum hoc *simpliciter vera virtus* sine caritate esse non potest" (II. II. q. 23. art. 7. in c.). Idem docet I. II. q. 65. a. 2. Quod ne male intelligatur, ut et cum Aristotele et secum ipso et cum ceteris pugnare videatur, ad utrumque locum Caietanus annotat: S. Thomam loqui ut theologum, qui finem supernaturalem spectans virtutes naturales secundum aliquam con-

siderationem tantum virtutes appellet; has tamen esse ratione finis naturalis virtutes *simpliciter*. Ergo et doctrinam et verba Molina a S. Thoma mutuatus est. Et tamen condemnatur a censoribus, qui studium ingens S. Doctoris prae se ferant! At fortasse, quia virtutes vi naturae ad Deum referri posse scripsit, idcirco stomachantur. Idem tamen S. Thomas docuit, quum scripsit, hominem naturaliter Deum cognoscere et diligere posse, II. II. q. 171. a. 2. ad 3.: *Alio modo,* inquit, *est aliud supra naturam humanam, quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere Deum et cognoscere eum in speculo creaturarum.* „Ad horum evidentiam" Caietanus ingenue: *Potest homo naturae viribus Deum diligere, sed non meritorie.* Item Bañez: *Diligere Deum et cognoscere ipsum in speculo creaturarum . . . homo per naturam potest.* (Ad II. II. q. 24. a. 2. circa finem.) Non potest autem quisquam Deum cognoscere et diligere, quin actum ad Deum referat. Ac facilius est homini, actum honestum, qui iam sua natura ad Deum finem nostrum ordinatur, ad eum deliberate referre, quam eum amare. An qui ipso amore iustitiae natura duce magnam evitat iniustitiam, idem non poterit, si hanc iniustitiam cogitans conscientiae terroribus de supremo iudice admoneatur? Maneat igitur, illos censores studio S. Thomae et fidei integritatis, cum Molinae primam illam propositionem damnarent, et S. Thomae omniumque scholasticorum doctrinam damnasse et sententiam Baii sanxisse. Quapropter nemo offendetur, si reliquas propositiones diiudicare supersedebimus; censores quam viam ingressi sint, prima illa satis demonstrat. Ac supra (p. 264. 265.) uno in conspectu vidimus, quae Molinae doctrina esset, quae ei opiniones falso tribuerentur, quae ut novae immerito obiicerentur.

Iam vero 42 propositiones Paulus V. Cardinalibus, qui de congregatione erant, tradidisse videtur. De qua re scripta exstat, ut supra dixi, auctoritas Pinelli Cardinalis[1] exponentis, cur iudicio

[1] Id scriptum, ipsius manu signatum, quum tantae sit auctoritatis, hoc loco describemus:

„Beatissime Pater. Vidi propositiones datas a DD. consultoribus Congregationis institutae a Clem. VIII. fel. rec. super controversiis, quae ortae sunt de auxiliis divinis, de qua re mihi occurrunt aliqua, quae S. V. humiliter consideranda propono.

Negotium est maxime arduum, prout S. V. optime novit, ab omnibusque Universitatibus ac toto christiano orbe cum maximo desiderio exspectatur, quid de tota re a S. V. atque ab hac S. Sede decernatur.

Cum negotium sit gravissimum et undique maximis plenum difficultati-

censorum in tanta re fidendum non sit; alios Pontifex insignes theologos aliis locis degentes consuleret, hos interim censores di-

---

bus et ab Eccl. Catholica adhuc sit indecisum, multa eget consideratione, ne eius determinatione inter Catholicos et Religiosos oriantur novae contentiones atque scripta, quae maximam possint procedente tempore S. V. afferre molestiam atque catholicae fidei incommodum.

Hi DD. Consultores praesupponunt has 42 propositiones, quas proponunt condemnandas, esse propositiones Molinae et quae ex commentariis dicti Molinae habeantur, cum tamen in disputationibus (prout S. V. optime memoria tenere potest) tempore Clementis VIII. multa negarentur esse in operibus dicti Molinae, sed quia ego non sum theologus, sed canonista, circa hoc me remitto ad theologiae professores.

Cum variae sint DD. Consultorum sententiae super huiusmodi re et in qualificatione harum propositionum non conveniat inter illos, prout patet ex voto Epi. Melphitensis S. V. dato et ex sententia Archiep. Armachanensis, quae non convenit cum aliis, prout ab initio Episcopus etiam Aquilanus et Pater a Plumbino non consentiebat ceteris: patet negotium esse maximi ponderis et plurimas habere difficultates et per consequens maximam circa illud requiri consultationem.

Quod etiam confirmatur ex diversitate opinionum inter Card. theologos, qui inter se maxime sunt contrarii. Quare si hodie Romae coram S. V. Christi in terris Vicario propter gravitatem negotii diversae diversorum sunt opiniones, mature et consulto procedendum est super expeditione et praesertim his temporibus, ne detur occasio haereticis et aliis scribendi et alia faciendi, quae procedente tempore novos tumultus movere possent in Ecclesia S. Dei. — Hoc monuit saepe Reverendissimus D meus Card. de Perrone in Congr. coram Clem. VIII., asserens, quod nisi hoc negotium determinaretur, prout requirit gravitas ipsius, haeretici multa scribendi sumerent occasionem ad damnum s. catholicae fidei.

Neque, ut ingenue fatear, pro tenuitate ingenii mei omnes hi DD. Consultores mihi visi sunt inter disputandum adeo insignes ac excellentes theologi, ut tota haec moles iudicio illorum committi debeat.

Cum autem nulla praetermittenda sit diligentia in re tam gravi, putarem (quae humillime S. V. dixisse volui) optimum fore si insigniores theologi in toto terrarum orbe eligendi sine strepitu et secreto per litteras consulerentur, tam in Gallia quam in Hispaniis et Germania et in omnibus Universitatibus, quod maxime ostenderet prudentiam et sedulitatem S. V. in re tam gravi, dum consilia undique requirit ad maximam omnium in Republica Christ. determinationem.

Interim censerem, quod S. V, postquam habuit vota omnium DD. Consultorum, ipsos dimitteret, ut possint adire suas ecclesias quanto citius. Post omnem vero adhibitam diligentiam poterit, Spiritu Sto. assistente, S. V. decernere, quidquid ab eodem Spiritu illi dictabitur in honorem Dei sanctaeque fidei incrementum.

Expedire insuper censerem si S. V. praeciperet generalibus Dominicanorum, Iesuitarum ac aliarum religionum, ne donec ab hac S. Sede circa has

mitteret; theologos quaestionem agitare vetaret; libros Molinae prohiberet, dum correcti essent. Fatebatur autem, nonnulla reprehensa esse in Molina, quae Iesuitae multis allatis argumentis affirmarent aut a Molina non doceri, aut certe ab aliis quoque multis theologis catholicis proponi. Rogavit Pontifex etiam Aquavivam praesentem de illa causa ac nominatim de prohibendo libro Molinae, ut a Pinello suadebatur. Respondit Aquaviva commentariolo[1]: iniquum esse, Molinae librum, qui ab Inquisitoribus et compluribus academiis approbatus esset, prohibere; paratum se esse apud selectum coetum Cardinalium demonstrare, e propositionibus reprehensis alias ab ipso Molina non doceri, alias aliis multis theologis probari; quodsi liber ille legi vetaretur, id pro condemnatione totius Societatis de gratia doctrinae futurum adversariis.

Utrum hac brevi argumentatione motus sit Pinellus, an ipse suffragii sui vitium perspexerit, dicere non audeo; sed in ultima sessione congregationis, ubi res decidenda erat, Molinae libros prohibendos esse non censuit. Paulus V. praeter ceteros Perronium Cardinalem, insignem sane illius aetatis theologum, consuluit. Qui ut rectius de re tota existimaret, initio mensis Maii a. 1606. acta Concilii Tridentini, quae in arce S. Angeli asservabantur, ad eum transmisit, *ingentem molem,* ut ipse Perronius

---

controversias decernitur audeant eorum subditi aliquid tam in scriptis quam in concionibus et lectionibus tractare de huiusmodi materia sub poenis V. S. bene visis.

Addam etiam tempore Clementis VIII. quando de his coeptum est tractari in Congregationibus Cardinales Madrutium, S. Severinae, Dezam, Sarnanum et fere omnes censuisse prohibenda esse opera Molinae, donec expurgarentur, quorum omnium testis erit Reverendissimus D. meus Card. Asculanus, quae opinio quemadmodum semper mihi probata fuit, nunc praecipue probatur.

In disputationibus vero coram Clemente VIII. (prout S. V. optime memoria tenere potest) assertum est, nonnullas propositiones Molinae reperiri in aliis auctoribus aliosque scriptores easdem habere sententias, super quibus multa deducebantur et allegabantur.

Multa brevitatis causa omitto; haec tantummodo in honorem Dei atque obsequium S. V. dixisse volui, cuius pedes humillime deosculor.

Dominicus Ep. Ostiensis Card. Pinelli."

[1] Is inventus est cum iis scriptis, quae supra commemoravi. Cuius etsi subscriptio nulla apparet, tamen in indice voluminis praeposito generali Societatis Iesu tribuitur. Scriptura prorsus eadem est, quae in altero scripto, quod et ibidem invenitur et non solum in indice nomine Aquavivae notatur, sed etiam a Possino commemoratur. (V. infra p. 294.)

a. d. V. Id. Iulias a. 1606.[1] ad regem perscripsit. Urgebat Pontifex anno proximo, ut idem VIII. Cal. Aug. 1607. ad regem retulit; fixum enim deliberatumque ei erat, rem conficere, quod tamen non consulto summo illo veritatis catholicae propugnatore facere nolebat. Quod autem causam finire voluit, antequam ille, qui Iesuitis plurimum faveret, Roma proficisceretur, ostendit, se condemnare doctrinam Societatis noluisse.

Nec vero Pontifex Romae solum Cardinales theologosque, sed etiam externos consuluit. Scripsit ad S. Franciscum Salesium, clarissimum illud Ecclesiae lumen, qui inter omnes aequales et gloria sanctitatis, et theologiae scientia, et verbi exemplique ad convertendos haereticos efficacia eminebat. Dissuasit causae decisionem[2]. Etsi enim Societatis de gratia doctrinam, id quod postea demonstrabitur, omnino profitebatur, tamen eadem, qua plerique de Societate Patres, usus moderatione, utramque doctrinam suo frui iure cupiebat. Sedi Apostolicae placuit consilium, ut iam ostendemus. Omnibus rebus amplissime provisis Paulus V. finem imponere Congregationibus de Auxiliis constituit. De postrema sessione ipse scripto supra significato ita refert:

Die 28. Aug. 1607. in festo S. Augustini, Ecclesiae Doctoris, in monte Quirinali,

Fuit habita Congregatio de Auxiliis divinae gratiae, in qua interfuerunt Card. Pinellus, Asculanus, de Giuri, Blanchettus, Arrigonius, Bellarminus, de Perrone, de Bubalis et Sti Eusebii[3].

---

[1] Les ambassades et négociations de l'Illustrissime et Révérendissime Card. du Perron, fol. 493. In Meyeri Hist. l. 6. c. 22.

[2] V. supra p. 4. not. 3. Qui ob id ipsum consilium Paulo V. datum laudatur a Pio IX. in litteris Apostolicis, quibus Doctor Ecclesiae nominatur.

[3] Pinelli, Domin., nat. Genuae 23. Oct. 1541., episc. Firmanus 14. Aug. 1577., Card. tit. S. Laurentii in Pane et Perna 12. Ian. 1586, regnante Paulo V. episc. Portuensis, deinde Ostiensis et sacri collegii decanus. † 9. Aug. 1611.

Bernerius, Hieron., nat. Correggio 1540., O. Praed., episc. Asculanus 1586., Card. 17. Dec. 1586. † 8. Aug. 1611.

Anna d'Escars, Cardinalis de Givry sororis filius, nat. Lutetiae 30. Mart. 1546., O. S. B. ab octavo aetatis anno, episc. Lexoviensis 1. Mart. 1585., Card. 5. Iun. 1596., titulo a matre de Givry assumpto. In electionem venit ad Summum Pontificatum 1605., episc. Metensis 1608. † 19. Apr. 1612., sepultus Metis.

Blanchetto, Laur., nat. Bononiae 1545., Card. 5. Iun. 1596. † 12. Mart. 1612., sepultus Romae in templo domus professorum Soc. I.

Arrigonius, Pomp., nat. Romae 1552., Card. Diac. 5. Iun. 1596., archiepisc. Benevent. 1607., qua in urbe collegium fundavit Iesuitis. † 4. Apr. 1616. Neapoli.

Cardinalis Pinellus fuit in voto, che si debbono far maggior' diligenze: perchè se ben tre o quattro delli Consultori sono valenthomini, nondimeno non si fida in cosa tanto importante del giudizio degl' altri, et che però si facciano venir di Francia, di Spagna et Alemagna homini celebri et dotti, et si communichi anco il negozio con l'università: che si potria fra tanto, lasciando il punto principale, con una constitutione definire alcune proposizioni che non hanno difficoltà et pericolo di questa materia.

Il *Card. d'Ascoli:* che in questo negozio è venuto il tempo del parto, et però il travaglio è maggiore, che si ricordava d'haver letto nelli commentarii di Pio II. che fra Dominicani et Minoriti nacque una controversia de sanguine Christi, et Pio II. doppo haver fatto disputare alla sua presenza l'articolo, se ben lui et tutti (perchè tutti i Cardinali sentivano per li Dominicani), non volse decider l'articolo per non discreditare li frati minori li quali erano utili nella predicazione per l'impresa contra Turchi.

Cardinalis Pinellus fuit in voto, maiorem adhibendam esse diligentiam; nam, etsi tres quatuorve e Consultoribus sint viri strenui, nihilominus non posse fidi in re tanti momenti iudicio ceterorum; quare e Gallia, Hispania, Germania evocentur viri clari doctique, et cum Academiis etiam negotium communicetur: interim, omisso capite controversiae, posse aliqua Constitutione definiri aliquot propositiones istius materiae, quae nec difficultatem habeant nec periculum.

Card. Asculanus: Venisse in isto negotio tempus pariendi ideoque magis laborandum esse. Meminisse sese legere in Pii II. commentariis, inter Dominicanos et Minoritas controversia de sanguine Christi orta Pium II., causa coram disputata [1], quamquam et ipse et omnes (omnes enim Cardinales a partibus stetisse Dominicanorum) — noluisse tamen rem decidere, ne quam maculam aspergeret fratribus minoribus, qui utiles essent verbo Dei praedicando ad Turcas oppugnandos.

Bellarminus, Robert., nat. 4. Oct. 1542. Montepulciano, Soc. I. ingressus Romae 20. Sept. 1560., Card. 3. Mart. 1599., archiep. Capuanus consecratus 21. Apr. 1602. usque ad m. Mart. 1605. Cardinalatu se abdicavit 16. Aug. 1621. †. 17. Sept. 1621. in novitiatu Soc. Romano.

Du Perron, Iacob. Davy, nat. St. Lô in Normannia 25. Nov. 1556., Calvinista, postea Catholicus; episc. Ebroicensis, consecratus Romae 27. Dec. 1595., Card. 17. Sept. 1603., archiep. Senonensis Oct. 1606. † 5. Sept. 1618.

Buffalo de Cancellariis, Innoc., nat. Rom. 1566., episc. Camerin. 14 Mai. 1601., Card. 9. Iun. 1604. † 29. Mart. 1610.

Taberna, Ferdin., (S. Eusebii) nat. Milani, Card. 9. Iun. 1604., episc. Novarensis 1615. † 29. Aug. 1619.

[1] Iussit Pius II. se praesente a Card. Turrecremata Ord. Praed. et P. Francisco Rovere (qui fuit Sixt. P. IV.) de reliquiis pretiosissimi sanguinis disputari ac postea in hunc modum Fratres Minores liberavit: „Veritati fidei,“ inquit, „nullatenus repugnat affirmare, Redemptorem Nostrum ex sanguine praefato ob ipsius passionis memoriam aliquam partem in terris reliquisse“ (F. Collius, De sanguine Christi, libri quinque. Mediolani 1617. in 4⁰. libr. 5. p. 867.). Item Paulus V., ut infra videbimus, utramque opinionem (Praedicatorum et Franciscanorum) probabilem existimavit.

Che per questa ragione lui giudicava, che nella decisione la quale lui diceva che in ogni maniera si doveva fare secondo il voto dei consultori approvando le 42 proposizioni che havevano notate, che si havesse molta considerazione in non parlare delli padri Gesuiti, et però proponeva che quanto al punto principale della predeterminazione phisica si dovesse far una bolla particolare, nella quale si narrasse, che sopra l' interpretazione del Concilio Tridentino era nata controversia fra alcuni Theologi, perchè il Concilio dice che necessario requiritur quod *liberum arbitrium sit motum a Deo,* et che alcuni tenevano che *moveat physice, realiter et efficienter,* et che alcuni altri *congrue et moraliter,* et che però etc. Quanto poi alle proposizioni 42 cavate dal libro del Molina, che si condannassero come contenute nel libro del Molina.

Giuri fu di parere: che se ben l' articolo è difficile, nondimeno lui inclinava più à quella parte, che s' attribuisse maggiore potestate à Dio benedetto. Ma che lui conveniva ancora nell' istesso parere, che si consultasse meglio il negozio.

Bianchetto: che dalle parole del Concilio gli pareva si cavasse che senza l' aiuto del Signore non possiamo far niente di bono, ponderando quel che dice del dono della perseveranza, et una oratione della chiesa dove si dice: sine te nihil potest mortalis infirmitas, onde inferiva piacerli l' opinione de' Padri di S. Domenico. Ma per la gravità del negozio si facessero maggiori diligenze et avanti altri Cardinali et censori si vedesse, se Molina dica le 42 proposizioni.

Arrigone: il medesimo, et non li pareva fosse bene di sospendere il libro di Molina se ben da prima si pensava fare, nè dichiari proposizioni certe et risolute, perchè non sunt multiplicanda entia inutiliter et si darà occa-

Qua de causa censere sese, in definitione, quam omni pacto faciendam diceret secundum consultorum suffragia comprobando quadraginta duas propositiones, quas notassent, magna utendum esse consideratione, ne mentio fieret Patrum Iesuitarum; quare consulere se, ut de capite controversiae, h. e., de praedeterminatione physica bulla particularis edatur, qua exponatur, de interpretatione Concilii Tridentini natam inter quosdam theologos controversiam, quum illud Concilii, necessarium esse „quod *liberum arbitrium sit motum a Deo*", aliqui theologi defendant „de *physica, reali* et *efficienti*", alii quidam „de *congrua et morali*" *motione* intelligendum esse; et ob eam causam etc. Propositiones autem 42 e libro Molinae erutas ita condemnari placere, ut contineri illo libro definiretur.

Giuri censuit: Etsi difficilis sit quaestio, inclinari tamen sese ad eam partem, ut tribuatur maior potentia Deo benedicto. Accedere vero se etiam ad istam sententiam, ut causa diligentius retractetur.

Blanchettus: E verbis Concilii erui sibi videri, sine Dei auxilio nihil nos boni posse facere, si ponderentur ea, quae de dono perseverantiae dicantur, et quaedam Ecclesiae oratio, ubi dicatur: „sine te nihil potest mortalis infirmitas"; quare opinionem Patrum S. Dominici placere. Ob gravitatem tamen negotii placere, maiorem adhiberi diligentiam, et coram aliis Cardinalibus et censoribus examinari, doceatne Molina illas propositiones.

Arrigonius: Idem; nec videri suspendendum esse librum Molinae, etsi ea de re primum cogitatum sit; neve declarentur propositiones certae ac definitae, quia *non sunt multiplicanda entia inutiliter,* et sic occasionem of-

sione agl' heretici di scrivere contra dette proposizioni.

Bellarmino: che l' opinione della predeterminazione fisica è di Calvino et Luthero, et che li padri Dominicani sono degni di scusa perchè non hanno visto li libri degli heretici, che Bagnez ha parlato peggio che Molina, biasimando Sto Agostino in materia della reprobazione; che il libro di Molina è stato approvato da due università; che si potria far una bolla, dove si condannassero alcune proposizioni certe, nelle quali convengono l' una et l' altra parte, et le più difficili si lasciassero, come fece Celestino.

Ferone: che l' opinione della predeterminazione sarà accettata et sottoscritta dagli heretici per bene etc., che Calvino l' enunziò in sensu supposito, et in sensu supposito la dannava il Concilio Tridentino, dicendo nude che l' homo potest abjicere gratiam; si sforzò di mostrare, che l' opinione dei Gesuiti era lontana da' Pelagiani, con molti lochi di Sto Agostino, dove Sto Agostino mostra, che Pelagiani non ametrevano l' illuminazione nell' intelletto et preparazione nella volontà, ma solo la legge et dottrina esterna; che non si doveva in alcuna maniera sospendere il libro del Molina et più presto si doveva sospendere il Bagnez per le ragioni già dette; che si desse voce di non aver finito il negozio, ma di voler far maggiori diligenze, ma in effetto non si facessero; che si portasse inanzi il negozio, et si lasciasse sopirsi, che forse Dio farà che le parti s' accordino et varieghino meno.

Buffalo: che non faria altre diligenze perche facendole si metteria sotto sopra il mondo et non ci sarà degnità della Sede Apostolica, che gli pare a lui che si doveria venire a la definizione o in uno modo o nell' altro ovvero declarare che l' una et l' altra parte probabile.

St. Eusebio: che se l' opinione di

ferri haereticis, ut contra eas propositiones scribant.

Bellarminus: Opinionem praedeterminationis physicae esse Calvini et Lutheri; excusandos esse Patres Praedicatores, qui non viderint haereticorum libros; Bannesium peius locutum quam Molinam, quum S. Augustini de reprobatione doctrinam reprehenderet; librum Molinae approbatum a duabus Universitatibus; bullam edi posse, qua certae quaedam propositiones, de quibus inter utrosque constet, condemnentur, difficiliores autem omittantur, quemadmodum fecerit Coelestinus.

Perronius: Opinionem praedeterminationis physicae acceptatum eique subscriptum iri ab haereticis libenter etc.; eam enuntiatam a Calvino *in sensu supposito* et *in sensu supposito* damnatam a Concilio Tridentino, illis verbis: *Homo potest abiicere gratiam;* demonstrare studuit, sententiam Iesuitarum longe abesse a Pelagianis, multis locis allatis e S. Augustino, ubi ille probat, Pelagianos non admisisse illustrationem intellectus et praeparationem voluntatis, sed solam legem doctrinamque externam; nullo pacto prohibendum librum Molinae, sed potius Bannesii ob rationes iam expositas; significandum, non confectum esse negotium, sed adhibere se velle maiorem diligentiam; quamquam id revera non faciendum, sed negotium procrastinandum et sopiendum; fortasse enim facturum Deum, ut partes inter se reconcilientur minusque varientur.

Bubulus: Non adhibiturum maiorem diligentiam, qua sursum deorsum verteretur mundus; nec ita satis consuli dignitati Sedis Apostolicae; censere se definitione opus esse in alterutram partem aut certe declarandum, utramque sententiam probabilem esse.

Sti Eusebii: Si haeretica sit alter-

l' una et l' altra parte è heretica, che si venga alla determinazione, quando che no, che si lasci correre così ecc.

Noi: che In gratia del Signore il Concilio ha definito che necessarium sit, quod liberum arbitrium moveatur a Deo, et che la difficoltà sta an moveat physice vel moraliter et che se bene s' haveria da desiderare che nella chiesa non si fosse questa contenzione, perchè dalle discordie si prorompe spesso negl' errori et però era bene dichiararle bene. Tuttavia non vedevamo che adesso ci fosse questa necessità, perchè l' opinione de' Dominicani è molto diversa da Calvino, perchè i Dominicani dicono che la gratia non destruit, sed perficit liberum arbitrium et fa che l' homo operetur iuxta modum suum, i. e. libere, et li Gesuiti son differenti da' Pelagiani, li quali ponevano il principio della salute da noi, et loro tengono tutto il contrario. Però non ci essendo necessità precisa di venire a questa diffinizione, si poteva portar il negozio inanzi acciò il tempo ci consigliasse. Quanto alla proposizione, cioè di far una constituzione nella quale si dichiarassero quelle che non sono in controversia, non ci pareva bene, perchè non era necessario et si daria occasione agl' heretici di cavillare, et che se le proposizioni erano cattive, alcune di quella natura, il sant' Ufficio poteria procedere contro quelli che l' havessero tenute.

Che si potria però meglio pensare a questo particolare delle proposizioni et anco al conferire questo negozio con l' università et altri Theologi.

Che i Censori andassero alle loro residenze et restassero li secretari, il che fu approvato da tutti; che non si parlasse niente delle resoluzioni et de' discorsi fatti in Congregatione, ma solo si dicesse che poi daremo la resoluzione, che Censori et disputanti andassero via. Fermavamo anco le Censure di non parlare anco con consultori.

utra opinio, id placere definiri; sin autem, rem sini ac dimitti.

Nos: In gratia Domini definitum in Concilio *necessarium esse, quod liberum arbitrium moveatur a Deo;* difficultatem in hoc verti, *an moveat physice vel moraliter*, et quamquam optabile esset, ne in Ecclesia esset eiusmodi contentio — a discordiis enim saepe prorumpi ad errores ideoque bonum esse illas dirimi ac decidi: nihilominus non videre Nos nunc adesse istam necessitatem, quod sententia Patrum Praedicatorum plurimum differt a Calvino; dicunt enim Praedicatores gratiam *non destruere, sed perficere liberum arbitrium*, et eam vim habere, ut homo *operetur iuxta modum suum, i. e. libere;* Iesuitae autem discrepant a Pelagianis, qui initium salutis posuerunt fieri a nobis, illi vero tenent omnino contrarium. Necessitate igitur nulla urgente, ut ad definitionem veniamus, posse negotium differri, dum melius consilium tempus ipsum afferat. Propositionem autem illam, ut constitutio ederetur, qua declararentur ea, quae extra controversiam essent, non placere, quia nec necessaria sit et cavillandi occasionem offerat haereticis. Quodsi malae sint propositiones, de aliquot eius generis Sanctum Officium animadvertere posse in illos, qui eas defenderint.

Quae quum ita sint, amplius deliberari posse de propria illa quaestione propositionum deque negotio isto communicando cum Academiis aliisque theologis.

Censores in residentias redeant, maneant secretarii (id quod omnibus placuit); ne quid aut de consiliis captis aut de disputationibus habitis in congregatione loquantur; tantum dicant, Nos postea decreturos esse; Censores et Oratores discedant. Constituimus quoque Censuras ne cum Consultoribus quidem loquendi.

Haec rei gestae expositio dilucide explicat, quid ultima illa congregatio decreverit. Unus erat ex omnibus Cardinalibus, Asculanus O. Praed., qui doctrinam Molinae condemnandam esse censeret; alii duo ad Bannesianorum doctrinam inclinabant: Giuri, Blanchettus, nec tamen Molinistarum condemnabant. Illi autem, qui doctrinae amplitudine ceteros antecellebant, Bellarminus et Perronius, Bannesianorum doctrinam Calvino tribuebant, Molinam studiose defendebant. Unde apparet, quam falso vulgo existimetur, Molinae contrarium fuisse Bellarminum, et Molinam esse illum, cuius doctrinam in Controversiis contradicere Scripturae et traditioni docet. Acerbe Perronius de Bannesii doctrina iudicavit. Quod Clementi VIII. dixerat, id in sollemni conventu praesente Paulo V. repetiit: huius doctrinae definitionem libenter exceptum iri a Protestantibus. Atque haec de sententiis Cardinalium.

Quas quum illi dixissent, Pontifex locutus est, egregia certe moderatione: merito et Bannesianos a crimine Calvinismi et Iesuitas a Pelagianismo liberat; non de dogmate agi, sed de dogmatis explicatione; neutram partem condemnandam esse. Tantum vero abfuit, ut bullam promulgaret, ut ne ea quidem, quae constabant inter utrosque, id quod Bellarminus suaserat, definire vellet. Quodsi hac inducti controversia theologi errores docerent, praesto esse Inquisitionem. Quare Consultores discederent. Silentium omnibus severe indixit.

Hoc ultimum Congregationis decretum Pontifex ad Generales utriusque Ordinis misit, ut id cum suis communicarent. Formula autem a praeposito generali Societatis a. d. XIV. Cal. Oct. promulgata est huiusmodi [1]:

Nel negotio de auxiliis Nostro Signore ha fatto intendere ai disputanti et consultori, che possono tornare alle case loro, et ha detto, che a suo tempo la Santità Sua darà fuori la sua dichiaratione e determinatione, e frattanto ha ordinato molto seriamente, che nel trattare di queste materie niuno ardisca di qualificare o censurare l' altra parte, ordinando di più tanto a noi quanto alli Padri di San Domenico, che se alcuno mancherà in

In negotio de auxiliis facta est potestas a summo Pontifice quum Disputantibus tum Consultoribus, redeundi in patrias aut domos suas. Additumque, fore ut Sua Sanctitas declarationem et determinationem, quae exspectabatur, opportune promulgaret. Verum ab eodem SS. Domino serio admodum vetitum est, in quaestione hac pertractanda ne quis partem suae oppositam aut qualificaret aut censura quapiam notaret. Ad haec tam nostris

[1] Hoc cum reliquis scriptis, quae attulimus, reperimus; eius inscriptio haec est: „Decretum ultimum Congregationis de auxiliis Divinae gratiae.“

questo, sia punito severamente, intendendo Sua Santità che questo suo ordine si esseguisca inviolabilmente. Non mancherà dunque Vostra R[tia] di farlo osservare e dare particolar avviso, di quanto ella havrà esseguito nelli casi occorrenti acciò se ne possa dar conto alla Santità Sua.

quam Dominicanis Patribus iniunctum, ut severa castigatione plecteretur, quicunque adversus hanc legem deliquisset, quam vult modis omnibus servari. Quin optat etiam, ut verbis asperioribus, amaritiem animi significantibus, invicem abstineant. Quare Vestra Paternitas curabit haec observari moneatque nos singillatim de iis, quae in hoc genere contigerint, quo iuxta votum SS. Domini Suam Beatitudinem certiorem de omnibus facere possimus. Romae 5. Septembris 1607. *Claudius Aquaviva.*

Atque in hunc modum conclusae sunt celebres illae Congregationes de Auxiliis. Dubium esse nemini potest, quin nihil sit a Paulo V. in hac causa definitum. Idem Peña, quamvis rem definiri cupiens idque efficere omnibus modis conatus, fassus est, quum in Hispaniam rescripsit: „Certum est nihil a Domino nostro definitum esse.“ Idem praeterea S. Sedes postea identidem declaravit et illam Constitutionem, quam adversarii appellant, ulla fide dignam esse negavit.

Ingens fuit de hoc Pontificis consilio, quo finem controversiae imponebat, et Iesuitarum laetitia et moeror Bannesianorum, quum hi spem concidere viderent, quam proxime impletum iri pro explorato habuerant; illi consecuti essent, quod et ipsi et eorum patroni tot annos frustra rogaverant: doctrinam tamdiu continenter impugnatam ut Pelagianam iam Sedes Apostolica censura notari vetabat. Non erat illa quidem declaratio sollemnis absolutio, sed tamen liberatio quaedam et aliqua reorum victoria. Itaque summopere laetati sunt Iesuitae, etsi non ea, qua Serry dicit, levitate. Atque Aquaviva pro sua moderatione non modo officii violationem, sed ad tempus omnem publicam disputationem de quaestionibus controversis vetuit; noluit enim in ea re priores prodire Nostros: Patrum Praedicatorum exemplum exspectarent. Libros etiam edi prohibuit nec permisit, ut Lessii refutatio Avilae antea Romam missa aut Suaresii de illa controversia commentatio statim vulgarentur. Haec causa fuit, cur Lessii de praedestinatione et gratiae efficacia liber, quum revisus probatusque esset anno 1608., biennio demum post evulgaretur.

Non item Bannesiani se continuerunt. Impulit fortasse nuntius ex Hispania a suis missus. Illi enim Romam scripserunt

plurimos et sapientissimos in Hispania a sua doctrina deficere[1]. Placuit igitur a. 1608. Capitulo generali Praedicatorum, ut in Hispaniae provincia „quatuor Patres doctrina, eruditione, scribendi usu et peritia praestantes designarentur, qui omni studio in hanc unam curam incumberent, ut solidam et sinceram S. Thomae doctrinam modis omnibus propugnarent novasque doctrinas et opiniones exorientes comprimerent ac refellerent" (Serrii Hist. IV. 24.). Brevi (1611.) Romae editus est Alvaresii laudatissimum de recentiore *Thomismo* opus: *De auxiliis Divinae gratiae et humani arbitrii viribus et libertate ac legitima eius cum efficacia eorundem auxiliorum concordia.* Interea publica ex Hispania studia continuata sunt, ut a Sede Apostolica definitio pro Bannesianis impetraretur. Vix edito Lessii libello, *litterae ardentes*, ut ait Peña Societatis inimicissimus, Madrito allatae sunt ad legatum Regis Hispaniae, quibus urgeretur, ut habita cum PP. Praedicatoribus collocutione, rationibus petendae definitionis instructus, omni ope Pontificem ad eandem edendam propelleret. Colloquio inito cum P. Lemosio et Magistro Assistente Sacri Palatii omnia edoctus est, quibus perutilem esse definitionem suaderetur. Ipse Peña Pontificem monebat, ut, quod esset pollicitus, id aliquando praestaret declarationemque vulgaret. Atque hoc tempore P. Aquaviva videtur illud respondisse, quod Possinus narrat: interrogatum a Paulo V., num rem definiri cuperet, negasse se id optare; sibi satis esse id, quod datum esset; plus a Societate non requiri. Rationes exponentem, cur causam decidi non expediret, iussum eas scripto consignare. Haec Possinus. Et contigit nobis, ut huiusmodi scriptum inveniremus, quod, etsi nomine subscripto non distinguitur, tamen in indice voluminis, unde id deprompsimus, praeposito generali Societatis attribuitur.

Iudicavit P. Aquaviva, disceptationibus superioribus causam nondum ita instructam videri, ut diiudicari posset; rationem reddebat praeter ceteras, quod tot habitis disputationibus et congregationibus ipse Pontifex in quadam sessione S. Officii permisisset,

---

[1] Praedicatores Vallisoletani in litteris supplicibus a. d. VI. Cal. Dec. 1607. ad Pontificem missis ita scribunt: „Plurimi catholici sapientissimi deficientes animo ab incepto tramite defendendi veram salubremque doctrinam pedem avertunt." Serry l. 4. c. 20. Nec aliter Aquaviva in suo commentario, quem Pontifici obtulit, loquitur: „Questa opinione [della Compagnia di Gesù] s' è stesa e corroborata molto più dopo il decreto, sì che adesso è molto più comune, come si vede in varij religiosi di San Francesco, di San Agostino, del Carmine et altri." Reliqua testimonia infra ponemus.

ut nulla censura adversariorum addita alterutram sententiam defendi liceret, dum res a Sede Apostolica definita esset.

Admissus est a. d. VII. Cal. Aug. legatus regis Hispaniae. Pontifex, ut ipse scriptum reliquit[1], haec de causa illa vel dixit vel certe dicturus fuit, quae diligenter notari oportet:

Che si è travagliato molto in questo negozio.	Multum in eo negotio laboratum esse.
Che si da dispiacere molto che questi religiosi procedono con tanto fiero odio e cosi arrabiatamente fra loro.	Magnopere displicere, quod illi religiosi tanta acerbitate, odio, furore inter se agant.
Che noi non lo trascuriamo, ma che ci teniamo sopra fermo il pensiero.	Nos id minime negligere, sed mentem acriter eo intendere.
Che si è sopraseduto in esso per tre ragioni:	Rem dilatam esse ob tres rationes:
La prima per accertare bene et perchè il tempo insegna et mostra la verità delle cose, come quello che è gran giudice et censore delle cose.	Primam esse, ut res quam certissime constet, et quod tempus docere et verum ostendere soleat, iudex ille magnus aestimatorque rerum.
La seconda perchè sì l'una et l'altra parte conviene nella sostanza con la verità cattolica, cioè che Dio con la efficacia della sua gratia ci fa fare et facit de nolentibus volentes et flectit et immutat hominum voluntates, del che ci è questione, ma solo sono discrepanti nel modo, perchè i Dominicani dicono che predetermina la nostra volontà fisice, hoc est realiter et efficienter, et i Gesuiti tengono che lo fa congrue et moraliter, opinioni che l'una et l'altera si possono defendere.	Secundam, quod utraque pars congruat cum veritatis catholicae capitibus doceatque Deum gratiae suae efficacia nos ad agendum excitare et *facere de nolentibus volentes et flectere et immutare hominum voluntates*, de quo in hac causa agitur, discrepent autem explicandi modo, quum Praedicatores dicant, eum praedeterminare voluntates nostras physice, hoc est, realiter et efficienter, contra Iesuitae teneant, facere congrue et moraliter, quarum utraque sententia potest defendi.
La terza perchè in questi tempi in che ci sono tante heresie conviene molto conservare et mantenere la riputazione et credito di queste due religioni, e con discreditare una può seguire gran danno.	Tertiam esse, quod his temporibus, quum tot sint haereses, plurimi intersit, Nos existimationem fidemque utriusque religionis tueri ac defendere, nec possit alteriusutrius fama sine magno detrimento deminui.
Se si dicesse che converra sapere qual fede si ha da tenere in questa materia, si risponde che sia da seguitare et tenere la dottrina del Concilio Tridentino nella sessione VI de iusti-	Quodsi dicatur expedire, quid de ista re existimandum sit, recte intelligi, respondetur, sequendam tenendamque esse doctrinam Concilii Tridentini, cuius sessione VI. de iustifi-

[1] Haec ipsius manu scripta cum ultimae *Congregationis de auxiliis* relatione reperta sunt.

ficatione che è chiara et dilucida et in che consiste l' errore et heresia dei Pelagiani et Semipelagiani et quello di Calvino et insegna la dottrina cattolica che è necessario che il libero arbitrio sia mosso, eccitato et adjuvato dalla gratia di Iddio et può liberamente assentire et dissentire et non entra in questa questione del modo che opera la gratia, la quale fu tocca dal Concilio et fu lasciata come inutile et non necessaria, imitando in ciò Celestino primo, che avendo difinito alcuni questioni o proposizioni in questa materia disse, che alcune altre difficilioris et subtilioris [naturae] sicuti non audebat condemnare ita et nolebat adstruere.

Che Papa Clemente era pentito d' essersi ingolfato in questo negozio, et che dopo molti et molti anni di dispute non trovava il verso d' uscirne bene.

Che il Card. Monopoli che sapeva l' interno de suoi pensieri ci disse quel che disegnava fare et ci soggiunse che non saria stato niente, perchè avendo il Papa fatto molto studio in San Agostino aveva cavato quattuordici o sedici proposizioni in questa materia, et voleva ordinare, senza decidere l' articolo, che si tenessero quelle, il che era un far niente, perchè l' una et l' altera parte si fonda sulla dottrina di San Agostino.

Che se . . . l' intendere la sua . . . (?) opinione in materie teologiche ci sono molte controversie et quelle che non sono state definite dalla Sede Apostolica et alcune delle quali le diverse opinioni sono state tenute per probabili come quella an B. V. fuerit concepta in originali peccato et de sanguine Christi.

catione clare ac dilucide explicatur, in quo positus sit error et haereses Pelagianorum et Semipelagianorum et Calvini, atque exponitur illa doctrina catholica, necesse esse, liberum arbitrium motum esse, excitatum, adiutum gratia Divina et posse libere *assentire et dissentire;* tactam esse a Concilii Patribus quaestionem de modo motionis Divinae, [nec vero tractatam] sed tamquam inutilem ac supervacaneam praetermissam, Coelestini I. exemplo, qui quidem, quum aliquot quaestiones vel propositiones istius generis diiudicasset, dixerit, aliquas quasdam difficiliores et subtiliores se, sicut non auderet condemnare, ita nolle adstruere.

Poenituisse Clementem Papam, quod se in istud negotium immersisset, nec eum post perpetuas tot annorum altercationes invenisse, quo se verteret, quomodo se expediret.

Communicatum Nobiscum a Monopolio Card., qui illius consilia penitus perspecta haberet, quid facere statuisset; adiecisse autem, nihil eum ea re effecturum fuisse; eruisse magno adhibito studio quatuordecim vel sexdecim e S. Augustino de ista materia propositiones; eas neglecta controversiae proprietate voluisse proponere tenendas; sed id ad irritum casurum fuisse, quum in Augustini doctrina utrique inniterentur.

Si suam sententiam audiri placeret, multas esse in rebus theologicis controversias, quarum aliae definitae non essent a Sede Apostolica, aliae eiusmodi, ut sententiae contrariae pro probabilibus habitae essent, ut illa, „an B. V. fuisset concepta in originali peccato“ et de sanguine Christi [1].

---

[1] Est argumentum ad hominem, quum haec duo ideo a Pontifice commemorari videantur, quia a Praedicatoribus negabantur, a Regibus Hispaniae defendebantur; quorum inter omnes constat quantum fuerit et definiendae Im-

Che le definizioni si fanno quando qualche opinione è erronea et haeretica, et non quando non è tale.

Che noi teniamo in pensiero sempre il negozio et quando vedremo il tempo et il bisogno, faremo quello che sara conveniente di fare, et daremo fuori la nostra dichiarazione.

Che non abbiamo proceduto in questo negozio ex capite nostro.

Che se per occasione della disputa presente l' una et l' altra parte metteranno innanzi proposizioni male et degne di censure, il San Ufficio farà il debito suo.

Che il generale dei Gesuiti ha preso ... (?) di far accomodar il libro del Padre Lessio.

Definitiones edi, quum quaepiam opinio errorem haeresimve contineret, non aliter.

Nos animum in istud negotium semper intendere, atque, ubi tempus affuerit et necessitas, id acturos, quod expedire visum sit, et declarationem nostram promulgaturos.

Non nostram mentem in isto negotio secutos esse.

Quodsi occasione huius disceptationis alterutra pars propositiones malas dignasque reprehensione statuerit, a S. Officio provisum iri.

Praepositum generalem Soc. Iesu in se suscepisse, ut P. Lessii liber reconcinnaretur [1].

Haec Pontificis oratio ea confirmat, quae de suprema sessione congregationis supra diximus. Noluit quidquam definire, quod rem ad dogma pertinere non existimaret. Utrosque sua frui libertate voluit in sententia sua defendenda; utramque opinionem et hic et antea a crimine erroris vindicavit. Nec vero rem se neglecturum promittit, sed, quum opus sit, declaraturum. Quamquam nequaquam se definiturum controversiam, aut etiam definisse necdum promulgasse dicit. Voce utitur *dichiarazione*, ut in ultima sessione dixerat „risoluzione“ et in mandato familiis religiosis imposito „dichiarazione e determinazione“. Quae voces decretum vel declarationem sonant, nec necessario de condemnatione interpretandae sunt; ipsa utriusque opinionis permissio sic vocari poterat. Nec pro certo declarationem ullam pollicetur, sed quum tempus, magnus ille consilii administer, id necesse esse persuaserit, vel, ut in illo mandato breviter dicit, *suo tempore*. Etenim quum congregationem dimisit, et quatuor annis post, cum legato colloquens satis significavit, malle se definitionem non edere. Atque haec monumenta ipsius Pontificis manu scripta telam illam retexunt, quam Bannesiani ac Ianseniani confecerunt: illum Iesuitarum doctrinam improbaturum fuisse atque adeo bullam con-

---

maculatae Conceptionis studium et reliquiarum Sanctissimi Sanguinis Brugis cultus ac veneratio.

[1] Hoc loco Pontifex significat, non sibi videri errores in Lessii libro inveniri; errores enim ad iudicium Inquisitionis remittebat. Importunitatem declinat Hispanorum, qui illo potissimum libro pro argumento utebantur.

scriptam habuisse, sed publicis rationibus adductum eius promulgationem distulisse. Nituntur adversarii ad sententiam suam confirmandam actis congregationis, quibus S. Sedes negavit *ullam omnino fidem adhibendam esse,* et quadam constitutione, quam eadem repudiavit; haec enim illa est, quam Archiepiscopus Armachanus conscripserat, privatum opus nullius auctoritatis, quia a Pontifice non est receptum. Quibus rationibus motus sit, ut ita ageret, idem Pontifex et in colloquio cum legato habito et antea in supremo conventu plene perfecteque exponit. Quae quum per sese omnia satis illustrent, iniuste agunt adversarii, quum ad publicas civilesque rationes confugiunt. Quibus illum in tanta re eaque cum dogmate coniuncta motum esse, temere dicitur. Paulus V. interdicto Venetos puniverat, qua in re Iesuitae ita se obedientes praestiterant, ut anno 1606. urbe pellerentur: concludit Serry, noluisse Pontificem hac condemnatione eos maiore dolore afficere, ob eamque causam iudicii sui promulgationem distulisse. Sed cur noluerit eam definitionem edere, quae maximis sanctissimisque illius aetatis theologis, Francisco Salesio, Bellarmino, Perronio, Stapletoni, Suaresio, Lessio minime probaretur, quam unus ex omnibus congregationis Cardinalibus Asculanus suasisset: profecto a rebus publicis ac civilibus rationem repetere non est necesse. Una erat civilis potestas, quae omnem suam auctoritatem illi causae interponeret ac doctrinae Bannesianae definitionem flagitare ne conclusis quidem disputationibus per annos complures unquam desisteret. Sed hac regis Hispaniae interpellatione fracta non est Sedis Apostolicae constantia, atque apparuit, quam apud eam non pertinerent civiles rationes ad religionis controversias. Nec minus falsum est, quod addidit Serry, etiam Perronium Cardinalem civiles rationes secutum contra id, quod ipse probaret, egisse, propterea quod Henricus IV. inimicus Hispanorum Bannesianis faventium eum ita agere iussisset. Quod si ita esset, id in suis ad regem litteris, in quibus aliquoties de illa controversia loquitur, certe aliquando significaret; sed id nusquam fecit.

Urgebant tamen Pontificem, ut videtur, acerrimae contentiones, quae, ut ei legatus regis Hispaniae VII. Cal. Aug. a. 1611. praesens conquestus est, inter utrumque ordinem in illis locis agitabantur, ut aliquid decerneret. Calendis igitur Decembribus a. 1611. per Inquisitores vetuit quidquam de illa controversia nisi Sede Apostolica approbante typis impressum evulgari.

Supplicavit capitulum generale Praedicatorum a. d. III. Id. Iun.

1612. oblato Pontifici libello, 1. ut quaestionem aliqua definitione dirimeret, 2. ut Praedicatoribus de gratiae auxiliis scribere eius permissu liceret. Neutrum impetrarunt. Pontifex in suo consilio perstitit; nec libellus ille, quem reiecerat, timorem incussit Aquavivae, ne quando doctrina Societatis condemnaretur, quo timore pulsum Serry vult illum decretum celeberrimum de Societatis doctrina IX. Cal. Ian. anni 1614. promulgasse. Cuius decreti quae causa atque occasio fuerit, proximo capite explicabimus.

Urbanus VIII. a. d. XI. Cal. Iun. 1625. iterumque Calendis Augustis 1641. decretum Inquisitionis, quo Paulus V. libros de Auxiliis vulgari vetuerat, confirmavit. Quare in *Indicis librorum prohibitorum* editionibus positum est, ubi haec leguntur:

„Decreta de libris prohibitis nec in indice nominatim expressis.

§ 2. Libri certorum argumentorum prohibiti. 1. De materia auxiliorum divinorum libri, vel compositiones ex professo vel incidenter, aut praetextu commentandi S. Thomam, vel quemlibet alium doctorem, aut alia quavis occasione tractantes, impressi nulla obtenta licentia a Congregatione S. Officii.“ (Ed. 1877. p. XLIII.) Quum vero Iesuitae quererentur, quod Lemosii *Panoplia grätiae* contra hoc decretum Leodii a. 1676. edita esset, capitulum generale Ordinis Praedicatorum a. 1681. SS. Pontifici hunc supplicem libellum dedit: „Dominicana Religio, quae et S. Sedis et huius sacrae Congregationis Decretis hactenus obsequentissima fuit, magnaque semper existimatione Societatem coluit, exponit, multos in hanc diem de Divina Gratia libros prodiisse post Sedis Apostolicae interdictum, quorum pars maxima a Societatis scriptoribus edita est; . . . nullam tamen idcirco perturbationem in Ecclesia subortam esse. Quapropter nulla praefatis Patribus Societatis inest conquerendi ratio, quod in lucem prodierit Theologia P. M. F. Thomae de Lemos. . . Rogat itaque Praedicatorum Ordo Sanctitatem Vestram, ut vel Patribus Societatis silentium imponat vel in eos primum eiusdem Societatis alteriusve Instituti scriptores animadverti iubeat, qui hoc de argumento post Apostolicae Sedis interdictum prodiere.“ Res ad Congregationem S. Officii transmissa est, et paulo post affixum ad consueta Urbis compita hoc Magistri S. Palatii edictum: „Omnibus, ad quos spectat, notum facimus, qualiter N. A. Tinassius . . . Adm. R. P. F. Thomae de Lemos *Panopliam gratiae* . . . Leodii a. 1676. impressam publice Romae vendit a. 1681. In quorum fidem etc.“ Quo edicto opus amplissimum *de materia auxiliorum divinorum ex professo tractans, impressum nulla obtenta licentia a Congregatione S. Officii,*

Romae publice vendi significatur. (V. Serry, Hist. Congr. Praef. § 11.) Quid postea factum sit, Serry his verbis narrat: „Verum effectu caruit interdictum [Urbani VIII.], non ipsa duntaxat licentia privatorum, qui iugum licentius excusserint, sed et ipsa annuente Apostolica Sede, quae in Italia ipsa atque etiam Romae tritas illas de humani arbitrii libertate et physica praedeterminatione tractationes liberas facit.“ [1] Et reapse vix ulla maior theologia dogmatica exinde edita est, quin *ex professo vel incidenter de materia auxiliorum divinorum tractet, etiam nulla obtenta licentia a Congr. S. Officii,* et vel ipse S. Alphonsus Conc. Trid. explicationi tractatum de auxiliis divinis inseruit. Idcirco clarissimus Werner prohibitionem illam in hanc sententiam interpretatur, ut soli libri, qui iniquam adversariorum reprehensionem, convicia, censuras continent, ea proscribantur [2].

Nec solum Pontifices studiose caverunt, ne controversia retractaretur, inter utramque etiam familiam religiosam convenit idque aliquoties statutum est, ut odiosae altercationes arcerentur arctumque amicitiae foedus iniretur. Id in Hispania Philippi III. administer, Lerma dux, vehementer suasit. Romae Turci, magister generalis Praedicatorum, idem efficere studuit, et capitulum generale Praedicatorum Romae habitum a. 1644. illud decretum renovavit, quod aliud capitulum generale Valentiae 1596. statuerat: ut omnibus religiosis, ita imprimis Sociis Iesu amorem honoremque exhibendum esse, „ut viros apostolicos,“ inquiunt, „decet, quorum quamvis non una semper in sentiendo mens, voluntas tamen et cor unum ac anima una in Domino nunquam ut desit oportet.“ [3] Cui studio ne Societas Iesu deesset, octava congregatio generalis a. 1646. habita decretum suum duodecimum libentissime promulgavit:

„Quum Reverendissimus P. F. Thomas Turcus, Magister Generalis venerabilis Ordinis Praedicatorum, in generalissimo Capitulo, ad plurima et maxima eius Ordinis in Societatem nostram vetera merita illud novissimum pro sua in nos benevolentia singulari adiecerit, ut et Societatem universam et singulas eius personas, non sine honorifico testimonio, omnibus caritatis ac venerationis officiis suis religiosis colendam districte praeceperit: de-

---

[1] Serry l. 4. c. 25.

[2] In S. Thomae Aquinatis Vita III. 439.

[3] I. B. de Marinis, Constitutiones, declarationes, ordinationes capitulorum generalium O. Pr. Romae 1655. p. 315.

crevit generalis Congregatio, ut, quod iam a P. N. Generali piae memoriae Mutio ordinatum fuit, id nunc totius Societatis sensu et auctoritate districtius praecipiatur; ut scilicet nostri omnes, ubique gentium, de venerabili Ordine universo, de sanctis eius institutis, eximia doctrina ac praeclare gestis cum ea commendatione privatim ac publice loqui, cum eisque peramanter agere et mutuae hospitalitatis ceterisque omnibus caritatis officiis certare studeant, eo cultu ac veneratione, quae et minimam hanc nostram Societatem decet, et religiosissimae familiae, natu ac dignitate maiori, maxime debetur."

16. De ulteriore doctrinae de gratia explicatione.

Celebre Aquavivae decretum de doctrina Societatis paullo diligentius tractandum quaerendumque videtur, diversane a Molinae ac Lessii doctrina eo praescribatur. Sed ante de eius origine, argumento, auctoritate pauca dicemus.

Ut praeceptum de doctrina Societati sequenda daretur, quemadmodum ex Possini verbis mox intelligemus, auctor fuit Bellarminus, qui quum in ultima Congregationis de Auxiliis consultatione non impetrasset a Pontifice, ut solutioribus doctrinis quaedam tamquam moles obiiceretur [1], id postea a praeposito Societatis Iesu pro suis impetrare studuit. Cuius consilium, quum superioris non esset, nunquam movisset Aquavivam, nisi illud ut fieret, sua ipsius moderatio comprobaret. Fuerat ille admirabili constantia atque fortitudine, quum per decem annos Societatis doctrina accusaretur nec quidquam humani subsidii reliquum esse videretur; idem tum, quum liberata esset doctrina, admirabiliore fuit moderatione. Nam quum difficilis sit in discrimine fortitudo, multo difficilior est post victoriam modestia. Qua ille ductus et disputationes de controversia ab initio fieri vetuit, et librorum concertationem cohibuit, et Pontifici abundanter satisfactum Societati dixit iis, quae ad finiendam causam fecisset; eadem motus est, ut praecepto impediret, ne Societatis professores libertate ab Apostolica Sede concessa abusi ita humani arbitrii vires extollerent, ut de gratiae efficientia deminueretur.

Formulam decreti adumbratam, antequam promulgavit, in provincias misit, ut Patrum sententias cognosceret. De eadem Bovium, Episcopum Melphictensem, consuluit, qui in Congregationibus de Auxiliis amicissimum se Societatis praestitisset. Cui quum *res* probaretur, *vox* illa: *ex efficaci Dei proposito,* displicuit,

[1] Nullam ei iniuriam facturi esse videmur, si quod tum rogabat Pontificem, ut ea definiret, quae inter utrosque constarent, id in hanc sententiam interpretemur.

quod quaedam externa praedeterminatio ex ea derivari posset. Dubitarunt etiam multi Societatis professores de decreti formula et, ut eius differretur promulgatio, rogarunt. At plus valuit, ut Possinus Societatis scriptor ait, Card. Bellarmini auctoritas, quam praecipuorum ex tota Societate Iesu virorum dubitationes; atque ita decretum vulgatum est. Est autem huiusmodi: „Cum vel ad eam, quae in Constitutionibus tantopere commendatur, animorum coniunctionem et uniformitatem soliditatemque doctrinae vel ad bonam Societatis apud externos existimationem plurimum referat, in rebus praesertim gravioribus, nostris quantum fieri potest occasiones praescindere, novas subinde opiniones excogitandi, re diu multumque cum Patribus Assistentibus considerata ac Domino diligentissime commendata: visum est nobis serio statuendum graviterque mandandum, quod praesentibus pro officii nostri auctoritate et obligatione statuimus et mandamus, ut in tradenda divinae gratiae efficacitate nostri eam opinionem sequantur, sive in libris sive in lectionibus ac publicis disputationibus, quae a plerisque Societatis nostrae scriptoribus tradita ac in controversia de auxiliis divinae gratiae coram SS. Pontificibus piae memoriae Clemente VIII. et SS. D. N. Paulo V. tamquam magis consentanea SS. Augustino et Thomae gravissimorum Patrum iudicio explicata et defensa est. Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum re ipsa habet atque efficax dicitur, et eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, *aliis usurus*, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri; atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa faciamus, non tantum, quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia, quae procul dubio donum Dei est.“

Sed quoniam variae de hoc decreto opiniones exstiterant, in proxima congregatione generali (1616.) aliqua data est interpretatio, quam his verbis refert Possinus: „Cum difficultas aliqua inter viros doctos super decreto R. P. Claudii [Aquavivae] piae memoriae anni 1613. Dec. 4. de efficacia gratiae nata est, variis

varie id interpretantibus, R. P. Praepositus Generalis et qui ei assistentes erant et secretarius, qui decreto illi praesentes interfuerant et mentem R. P. Claudii probe perspectam habebant, itemque Patres ad id [a] congregatione deputati censuerunt non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere, Deum sua voluntate praedeterminasse vel praedefinivisse aliquod nostrum opus bonum independenter a cooperatione libera voluntatis, nec etiam quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis aut aliquis modus physicus in actu primo, qui non sit in gratia sufficienti, sed hoc tantum quod fuerit speciale beneficium Dei dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore et loco, quo per praescientiam conditionalium praescivit illum ea gratia bene usurum; quod beneficium non contulit alteri, v. g. Ioanni, cui dedit gratiam eo tempore et loco, quo praescivit sua culpa ea non usurum."

Est haec igitur certissimae auctoritatis interpretatio [1] illius de-

---

[1] In hac interpretatione ea omissa sunt, quae ad absolutam omnium bene factorum praedefinitionem pertinere videbantur, imprimis illa: *aliis usurus si haec inefficacia praevidisset.* Recte id quidem. *Ea* enim Aquavivae decreto sententia de gratia enuntiatur, quae in Congregationibus de Auxiliis a Societatis Patribus defensa erat. Erat autem constanter defensa doctrina Molinae, qui omnino improbaverat praedefinitiones absolutas; et causae patronus praecipuus fuerat Valentia, qui item aversabatur eiusmodi praedefinitiones. Ad quam sententiam illustrandam sine dubio multum valuit, quod ex omnibus provinciis ad congregationem legati Romam veniebant; e quibus certe multis non probabantur absolutae praedefinitiones; sed hi quoque quum id tenerent, quod unum Patrum Assistentium testimonio illo decreto Aquaviva intendisset, intelligitur, cur superiora verba vel non premenda vel omittenda censuerint. Et re quidem vera perambiguae sententiae erant. Sic enim poterant explicari: Deum omnia bene facta, etiam reproborum, ante praevisionem, ita praedefinivisse, ut ea, si opus esset, maximis atque adeo mirabilibus gratiis esset effecturus. Quod quidem haud scio an a nullo insigni Societatis theologo defendatur. Illi ipsi, qui ad Suaresium propius accesserant, ut Sylvester Maurus (Qu. theol. de Deo uno et trino. Romae 1676. q. 78.) et Viva (Cursus theol. disp. 2. de grat. q. 3.), illud „aliis gratiis usurus" de ordinariis, non de mirabilibus gratiis interpretantur. Lessius vero etiam in altera operis sui de praedestinatione editione (n. 86. p. 427.), quae sub illam congregationem generalem vulgata est, illud „aliis gratiis usurus", quod de absoluta praedefinitione intelligit, improbat nec tamen infitiatur gratiam congruam. Eadem, quae inter Lessium et Maurum, dissensio apud alios Societatis theologos invenitur. Alii enim illud Aquavivae decretum severe interpretantes quum nihilominus eiusmodi opinionem a Societate minime imperari viderent, vel remissum esse praeceptum arbitrati sunt, ut Platelius (p. 1. c. 4. § 2. n. 174.), vel eo *obligari* quemquam negarunt, ut Henaus sub ipsam decreti per Piccolominium

creti, data in illo ipso coetu, penes quem est summa in Societate legislatio, idque a testibus fide dignissimis; quam manifestum est etiam in redintegrando praecepto a. 1651. spectatam esse a P. Piccolomino. Itaque secundum eam explicationem accipiendum decretum, quod quidem in Institutum S. I. translatum non est. Quo si *id tantum* intelligitur „quod fuerit *speciale beneficium* Dei dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi gratiam eo tempore et loco, quo per praescientiam conditionalium praescivit illum ea gratia bene usurum, quod beneficium non contulit alteri, v. g. Ioanni, cui dedit gratiam eo tempore et loco, quo praescivit sua culpa ea non usurum": id *universi* Societatis theologi, etiam Molina et Lessius, nihil dubitantes admiserunt. Quod quidem de Molina supra demonstravimus (p. 235.). Sed Lessius quoque gratiam efficacem peculiare beneficium vocat, quod Deus libera benevolentia alteri largiatur, alteri non item.

Aliquot eiusmodi locos hic afferre placet. De praedestinatione et reprobatione, sectio 5. p. 435.: „Dicendum ergo, gratiam efficacem formaliter consideratam esse *maius beneficium* quoad aestimationem moralem, quatenus in ea censetur dari etiam ipse effectus. Qui enim confert causam, ex qua certo novit secuturum effectum, censetur re ipsa etiam dare effectum. Atqui in ipso nomine gratiae efficacis involvitur effectus secuturus. Quare non est mirum, gratiam efficacem formaliter consideratam, hoc modo esse *maius beneficium,* quam inefficacem. Gratia enim efficax etsi secundum se sit prior suo influxu in effectum, tamen propter ordinem ad effectum futurum praescitum, illum involvit et dicit gratiam cum effectu: inefficax autem effectum excludit et nihil est aliud quam gratia carens effectu. At quis sapiens non malit gratiam minimam cum effectu, quam maximam effectu

---

redintegrationem: „Illae," inquit, [litterae encyclicae P. Aquavivae] „non sunt translatae ad librum de *ratione studiorum* neque ad alium de *ordinationibus Praepositorum Generalium.* Unde dubitari potest, num hodie vim habeant haberentque a. 1626." Ceteri nostri theologi admissa vi decreti ita leniter illa verba explicarunt, ut ii quoque, quibus severe explicata displicuerunt, iis assensuri fuisse videantur. Velut Mayr (theol. schol. tr. II. disp. 4. q. 3. a. 3.) ut *communem* sententiam recentiorum (etiam Lugonis) defendit: „Praedestinationem, saltem ordinariam, alligatam esse certis mediis," quod illi decreto omnino contrarium esset, si de absoluta praedefinitione dictum existimaremus. Quare idem docet „praedefinitionem impedibilem . . . saltem per plures dissensus praevisos". P. Oliva prid. Id. Ian. 1664. litteris ad Societatem missis id unum monuit, ne in explicanda scientia media et gratia a communi Societatis sententia discederetur. V. Henaum l. c. n. 1282. p. 334.

carentem? haec enim non potest cedere nisi in perniciem. Iuxta hanc rationem gratia efficax etiam est maius auxilium, quia influit in opus, et re ipsa iuvat naturam ad producendum effectum. Inefficax non influit, nec iuvat effective cooperando, sed manet otiosa. Hinc patet, nos Deo infinitas debere gratias, quod ab aeterno nobis praepararit auxilia, quae sciebat ad fidem, iustitiam et statum salutarem capessendum fore efficacia, cum potuisset alia praeparare, quae inefficacia fuissent. Deinde semper rogandum ut in posterum quoque nos in omnibus ita regat, sicut novit expedire nostrae saluti.“ Denique asseverat: „Ex quibus constat, quo sensu distinctio *gratiae congruae* et *non congruae* admittenda sit: quam nunquam reiicere intendi, sed *totis animis et sensu et praxi semper sum amplexus.*“ Paullo ante dixerat: „Non nego quin posita praescientia conditionata peculiaris ratio gratitudinis oriatur, quod Deus eam gratiam adhibuerit, quam praesciebat fore fructuosam, cum posset alias adhibere, quae fuissent infructuosae. Infinita enim illi gratiarum et inspirationum suppetit varietas, et infinitae circumstantiae, cum quibus possunt conferri. Volendo itaque talem gratiam conferre tali loco, tempore, modo etc., hoc ipso censetur peculiari modo desiderasse ipsum effectum, quem sciebat secuturum, et ita peculiaris debetur gratiarum actio. Hac consideratione fatemur omnes electos peculiarem debere Deo rependere gratitudinem, quod cum infiniti gratiarum et providentiae modi ei suppeterent, dignatus sit cum illis eo uti, quem fructuosum fore praescivit“ (n. 96. p. 432.).

Docet igitur Lessius dupliciter considerari posse gratiam: 1. per suam ipsius vim atque naturam, atque ita eadem gratia in altero efficax esse potest, in altero inefficax, nec ita maius beneficium est gratia efficax inefficaci; 2. ut scientiae mediae aeternisque Dei de provisione gratiae decretis subiecta est, atque ita plurimum differt efficax gratia ab inefficaci. Itaque idem, quum dixisset gratiam ab homine fieri efficacem, ita pergit: „Haec omnia intellige de istis gratiis secundum se et conditiones suas physice consideratas. Si enim gratia efficax et inefficax considerantur moraliter, ut subsunt praescientiae effectus, sic magna est inter illas distinctio, ut supra saepius declaratum.“ Atque ex his eodem omnino modo, quo in Molina supra fecimus (p. 235), demonstrare licet, de efficacia gratiae veram inter Lessium et Bellarminum dissensionem non esse. Verborum sane differentia est. Bellarminus, qui e Romanis disputationibus intellexisset, quantopere adversarii illa enuntiatione, hominem gra-

tiam reddere efficacem, offenderentur, eam prorsus improbat; Lessius male explicari posse concedens distinctionem atque interpretationem adhibendam esse existimat. Item Suarez; qui non veretur concedere, si efficaciam gratiae intelligamus actus liberi effectionem, eam sine liberae voluntatis consensu esse non posse. Distinguit autem ordines *executionis et intentionis;* in priore nullam esse sine creata voluntate ac libertate efficaciam, intentionem vero sive praeparationem subsidii gratiae infallibiliter efficacis a sola voluntate Divina repetendam esse [1]. Denique quod Suarez gratiam efficacem maxime infallibilitate efficaciae distingui dicit, quam a scientia media derivat [2], item Lessius certissimam gratiae efficaciam a scientia media proficisci docet [3]. Vere igitur hic dicere potuit, se distinctionem *gratiae congruae* et incongruae „totis animis et sensu et praxi" amplecti.

Ripalda quoque, ut verborum, non rei dissensionem Molinae et Lessii a Suaresio et Bellarmino conciliet atque tollat, distinguendam esse docet vim gratiae propriam ac nativam ab ea, quam a Dei praevisione et amore habeat.

Idem, ut ostendat, omnes Societatis theologos de efficacia gratiae inter se omnino consentire, sic concludit: „Bellarminus et Suarez, explicantes efficaciam per scientiam conditionatam, illam considerant integre et plane, non solum quoad connexionem cum consensu, sed etiam quoad rationem specialis gratiae et doni prae auxilio sufficienti et quoad rationem medii intelligibilis secundum propositum praedestinationis certissime assequentis finem praefinitum a Deo, sub qua quidem ratione efficacia gratiae, *omnium theologorum Societatis* iudicio, respectum essentialem importat ad scientiam conditionatam consensus, sine qua Deus auxilium efficax non potest providere, neque ut speciale beneficium prae sufficienti, neque ut medium infallibile ac certum finis liberi efficaciter praefiniti." [4]

Ipse Ripalda ad Molinam et Lessium accedit. Sed ex eius testimonio rursus apparet, omnes Societatis theologos Aquavivae decretum (ita ut supra explicatum diximus in generali congregatione) admittere.

Idem, quod praestantissimi cuiusque Societatis theologi testi-

---

[1] L. 3. de auxiliis c. 14. n. 18. ed. Vivès XI. 231.
[2] L. c. n. 9. 10.
[3] De gratia efficaci c. 16. p. 347.
[4] De ente supernaturali disp. 113. sect. 5. n. 29.

monio demonstravimus, historia confirmat. Si Molinae doctrina diversa fuit a Bellarmini, Suaresii, Aquavivae *congruismo*, cur iidem illi tres Clemente VIII. regnante Molinam studiosissime defenderunt? Quorum tantum tamque constans studium quomodo esse potuit, nisi esset etiam animorum sententiarumque consensio? Eandem cognoscere licet ex litteris familiaribus. Est in tabulario Societatis Codex M. S. de controversiis Lovaniensibus, in quo plurimae Lessii ad Bellarminum epistolae, et varia Bellarmini de Lessii doctrina responsa, quae in vulgus exitura non putabat, denique illa Lessii defensio ipsius manu subscripta, quam in Historiae suae appendice Livinus de Meyer posuit. In quibus omnibus scriptis ne minima quidem cernitur differentia de gratiae efficacia; immo vero Lessius suam a Bellarmino Romae se accepisse doctrinam scribit litteris ad ipsum missis a. d. IV. Cal. Iun. 1587. et a. d. XVI. Cal. Iun. 1588.

Ipsum primum de Lessii doctrina deque censura Lovaniensium iudicium Bellarminus his verbis exorditur: *Nihil esse censeo in doctrina Patris Leonardi a Lovaniensibus notata, quod haereticum aut erroneum aut sapiens haeresim aut suspectum dici possit.* Nec minus suae doctrinae defensionem a Lessio ipso conscriptam, quam postea Livinus de Meyer Historiae subiunxit, laudavit: *Apologia,* inquit, *valde placet et videtur omnino Lovaniensibus exhibenda.* Eodem loco etiam monuit, ut iis doctoribus Lovaniensibus, qui suam auctoritatem appellarent, responderetur, a se iam pridem Lovanii defensum esse: gratiam efficacem esse „vocationem prout apti praevidebantur ad sequendum qui vocabantur." Brevi post, ut ante significavimus, ipse defensionem Lessii scripsit. In prima ad Bellarminum epistola, data a. d. IV. Cal. Iun. 1587., h. e., sub ipsa contentionum Lovaniensium primordia, Lessius et ab illo se primum doctrinam de scientia media (deque gratia efficaci cum illa connexa) audisse testatur, et, in quo posita sit gratiae efficacia, in hunc modum explicat: Deum suis inspirationibus ac motionibus ita afficere voluntatem, ut eam obsecuturam esse praeviderit; si duo eodem modo affecti sint, alterum consentire posse, alterum dissentire; hominis esse, efficacem reddere gratiam aut inefficacem. Ad eam epistolam assentiendo respondisse videtur Bellarminus a. d. IX. Cal. Aug.; Lessius enim gaudere se scribit, quod illius responso cessuri videantur doctores Lovanienses. „Accepi," inquit, „litteras R. V. (datas 24. Iulii) 30. Augusti, quibus multum fui recreatus, quod sperarem nostros Lovanienses iudicio R. V. et nostrorum theologorum, qui istic

sunt, conquieturos." (Litt. Lessii dd. 25. Sept. 1587.) Denique Bellarminum „in omnibus epistolis" sibi consensisse[1] idem Lessius initio eius epistolae dicit, quam ad illum IV. Id. Dec. 1588. misit. Porro a. d. IV. Id. Iul. 1590. scribens laetatur de vulgata Molinae Concordia. „Omnes illae sententiae," inquit, „quas boni isti heri suis censuris perstrinxerant, explicantur et defenduntur, adeo ut vix in modo loquendi interdum discrepet. Nam *gratiam efficacem eodem prorsus modo explicat, quo R. V.;* similiter et praedestinationem, praesupponens in utroque praescientiam conditionatam; auxilium sufficiens vult dari omnibus et in adultis esse potestatem reddere illud efficax vel inefficax." In eadem epistola timere se dicit, ne P. Valentia „a Patre Ludovico (Molina) et R. V. dissentiat", timere illud imprimis, ut consentiat, hominem posse gratiam praevenientem reddere efficacem. Sed in proximis litteris „Nunc intellexi," inquit, „non esse in ea causa metuendum, quod bonus ille Pater iam longe aliter sentiat". In litteris datis Idibus Iuniis 1591., quibus de nonnullis „libelli studiorum" propositionibus Bellarmini sententiam rogat, unam ipse sic explicat: „Sentio etiam non esse in mea potestate, ut Deus in tali tentatione det mihi gratiam efficacem, quamvis eam, quam mihi daturus est, possim facere efficacem," h. e., in mea potestate non est efficere, ut Deus in providendis ab omni aeternitate gratiis *eas* elegerit, quas effectum nacturas esse praevidebat, quamquam *eam*, quam aliquando habiturus sum, potero reddere efficacem. Est haec eadem illa, quam saepius commemoravimus, distinctio et varia consideratio gratiae, qua ad Bellarminum et Suaresium cum Lessio et Molina conciliandos utendum esse diximus. Ea interpretatio satisfecisse Bellarmino videtur; nam in ea epistola, quae proxima est illius codicis, missa a. d. III. Id. Iul. 1593. Lessius sibi placere scribit explicationem propositionum libelli studiorum; sibi gaudio ac voluptati esse, quod *illius iudicium sibi consentiat;* ita se fore securiorem. Iam vero omnes illae ad Bellarminum epistolae quum Lessii manu scriptae sint, apparet, eas ab illo diligenter asservatas esse; unde intelligi licet, quanta existimatione, quantaque caritate alumnum suum coluerit. Eandem aliis litteris significat, quas brevi ante

---

[1] Excipitur in illa epistola sola tertia Lessii propositio de Sacra Scriptura, quam Bellarminus improbavit, antequam ille sententiam distinctius explicavit vel correxit. Similes autem approbationes sibi ab Aquaviva allatas esse Lessius scribit ad Bellarminum.

missas, quam e vita decessit, Fuligatti vulgavit[1]: „R. V. satis multa iam scripsit non solum theologica, sed etiam legalia et, ut audio, etiam medica, ut nomen vestrum, quod ante constitutionem mundi scriptum fuit in coelo, exstet etiam scriptum satis luculenter in terris. . . Ego quia 70. annum excessi, non longe abesse possum a transmigratione in aliam regionem: ideo R. V. ex animo precor, ut transmigrationem meam Domino precibus suis commendet. Vale, Pater optime et amantissime."

In omnibus Bellarmini et Lessii missis acceptisque litteris, *una* est, quae ad hanc causam pertineat, sententiarum diversitas: de praedestinatione electorum ac bene factorum praedefinitione. Quae quidem a principio Societatis theologos divisit. Quorum alteri, ut Toletus, Maldonatus, Suarez dum Romae theologiam docuit[2], Lessius, Vasquez, Valentia adultos volebant post praevisionem meritorum ad gloriam praedestinari; alteri ut Suarez quum in Hispaniam redisset, ac postea Antoine, Deum prius ad gloriam certumque gloriae gradum eligere existimabant, deinde praedefinire opera bona, quibus eum gradum consequerentur, tum denique deligere eam gratiarum seriem, qua illa ipsa opera praestaturi esse praeviderentur.

Est haec aliqua dissensio, sed quae a principio fuerit. Vix nata in Hispania controversia de gratia, quum anno 1594. Socii apud Inquisitionem rogarentur, ut omnem de gratia doctrinam exponerent, illam esse differentiam opinionum non sunt infitiati[3]. Quam ante Molinae tempora exstitisse, et verba Lessii demonstrant, quae mox afferemus, et ipsa nomina magnorum theologorum veterum, quae posuimus, qui omnes ante vulgatam Concordiam docuerunt. Quisquis ea nomina praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita oppugnantium lustraverit, cognoscet, quam falso dici soleat, eam illo tempore communi consensu defensam esse. Indidem ratio repetenda est, cur prima *Libelli studiorum* adumbratio, qua praedestinatio ad gloriam ante praevisa merita commendari videretur, correcta sit, et cur Aquavivae decretum, cuius si verba premantur, eadem sententia sit, nec in *Rationem studiorum* translatum et in proxima generali Ordinis

---

[1] Rob. Bellarmini Epistolae familiares, Romae 1665. p. 245. ep. 111.

[2] Idem Lessius in litteris ad Bellarminum saepe dicit atque affirmat.

[3] Quos respondisse Henao refert (Scientia med. hist. propugnata n. 249. p. 77.): „Utrum vero praedefiniat Deus ab aeterno omnes actus liberos nostros, supposita scientia media, non est una inter nos sententia; plerique tamen affirmativam probamus."

congregatione in eam significationem explicatum sit, ut recipi ab iis posset, quibus contraria de praedestinatione et praedefinitione opinio probaretur. Ad nostram aetatem utriusque sententiae defensores in Societate inventi sunt. Nec vero tantum discidium est, quantum nostrae doctrinae adversarii solent existimare; quodsi maius esset, ut supra ostendimus (p. 34), alienum est ab eo capite controversiae, de quo maxime hoc loco quaeritur.

Quam non multum intersit inter utramque opinionem, hinc intelligas velim:

Non potest profecto magna esse adversarum partium dissensio, ubi utrorumque disputantium sententia utrimque agnoscitur esse probabilis; tum enim utrique fatentur, et quaestionem ipsam obscuram esse et graves esse in utramque partem rationes. Atqui Suarez, quo dubito an nemo fuerit acutior praedestinationis ante praevisa merita propugnator, contrariam sententiam esse *vere probabilem*[1] profitetur; rursum Lessius, huius contrariae sententiae defensor peracutus, eam *probabiliorem*[2] dumtaxat esse censet, et in libro de praedestinatione disputando se ac disserendo verum quaerere dicit; quod si repererit, praeclare secum agi, si secus, per ipsam veritatem obsecrare, ut refellatur. Atque haec ille. Propter ipsam igitur quaestionis obscuritatem, quum rationes in utramque partem distrahant peritos, recte Societas id, quod Ecclesia non circumscripsit, relaxandum existimavit. Quodsi auctore S. Augustino praedestinatio reponatur in praeparanda serie universa gratiarum efficacium, quae primam quoque gratiam praevenientem complectatur, eam quidem praedestinationem gratiarum, quae remotam gloriae praedestinationem contineat, *ante* praevisa merita fieri Lessius omnino affirmat. Quam doctrinam ab ipso Bellarmino acceptam[3] item ut in Concordia Molina explanat litteris ad Bellarminum missis a. d. XVI. Cal. Iun. a. 1588. „Ut etiam," inquit, „R. V. clare intelligat quid sentiam de praedestinatione, sciat me nunquam sensisse cum Catharino, . . .

---

[1] De auxilio efficaci l. III. c. 16. n. 8. Edit. Vivès XI. 142.

[2] Vigesima quinta propositio ex iis, quas tum, quum orta est controversia, proposuit, haec est: „*Probabilius* est, homines non eligi immediate et efficaciter seu absoluta voluntate ad gloriam neque gloriam alicui absoluta voluntate esse praeparatam ante praevisionem meritorum." In libro quoque de praedestinatione sect. II. ita inscribit, ut suam sententiam vocet probabiliorem.

[3] „Hanc totam fere de praedestinatione doctrinam ab illius ore in familiari colloquio accepi." Lessius in Apologia (Resp. ad praefat.).

sed *ita sensi, sicut mihi explicavit,* et iuxta eam explicationem in collegio Anglorum defendi sententiam P. Aug., in qua solum non sequebar illam de efficaci praeordinatione omnium voluntatum; placuit autem vehementer, praedestinationem nihil esse aliud quam praeviso, cum qua gratia homo esset salvandus, velle illam dare. Sentio ergo, et ex quo a vobis discessi, semper sensi, Deum, praeviso peccato originali, rursus statuisse, omnibus dare auxilium sufficiens propter Christum; deinde veluti in secundo signo considerasse infinitos providentiae et gratiae suae modos, quos cum singulis poterat servare, et vidisse cum quo quisque salvus fieret vel non fieret, licet omnes essent vere sufficientes, et tunc *ex mero beneplacito suo* cum his, illis, istis etc., voluisse servare eum modum, cum quo praevidebat salvandos, licet possent non salvari; cum aliis eum, quo praevidebat non salvandos, licet possent facile salvari; et in hac volitione Dei prius ratione puto fuisse efficaciter et absolute volitam gratiam, quam gloriam; gloriam tamen fuisse cur omnibus voluerit gratiam, etiam reprobis." Idem dicit in litteris Idibus Iuniis a. 1591. datis: „Satis est docere Deum praescire, cum quo providentiae modo quisque sit salvandus, et velle mecum uti hoc potius modo quam illo *pro sua libertate* etc., quod ego semper docui; itaque totum ordinem mediorum usque ad finem inclusive simul esse praevisum praescientia conditionali et simul etiam esse volitum, quamvis ego non video, quomodo divina scientia et voluntas non terminetur ordine quodam ad hanc obiectorum seriem et prius ad media quam ad finem; secundum nostrum modum intelligendi v. g. praevidet Deus, si tali tempore et loco me nasci fecerit a talibus parentibus, me baptismum consecuturum et in fide catholica educandum; et si tales occasiones tunc habuero, me religiosum futurum; si religiosus fuero, me perseveraturum; si perseveravero, salutem consecuturum etc.; hic praescientia conditionata prius ratione terminatur ad priora obiecta quam ad posteriora, quia posteriora non praevidentur nisi dependenter a prioribus; priora autem praevidentur independenter a posterioribus, similiter quum Deus totum hunc ordinem vult, voluntas terminatur prius ratione ad priora obiecta quam ad posteriora ob eandem rationem; posteriora enim non sunt absolute volita nisi dependenter a prioribus; neque puto libellum studiorum huic repugnare."

Itaque quum illam praeparationem gratiarum efficacium remotam esse dicat electionem ad gloriam, fieri autem ante meritorum praevisionem, parum differre inter suam opinionem et ad-

versariorum recte existimavit. Idem Bellarminus in defensione Lessii iudicat [1].

Nec vero omittendum est, quod omnes e Societate, quicunque praedestinationem ante praevisa merita fieri docuerunt, ei antecedere dicunt et scientiam mediam et sinceram Dei voluntatem omnes homines salvos faciendi gratiasque cuique sufficientes largiendi. Atque omnes Iesuitae detestantur illud, quod abusi scientia media Pelagiani docuerunt: illa bona opera praevisa vera eiusmodi merita esse, quibus Deus, si ea futura praeviderit, moveatur ad baptismum, gratiam, salutem homini conferenda. Quae quum ita sint, manet tamen illa de praedestinatione *immediata* ad gloriam dissensio.

Diversas de praedestinatione opiniones disputatio de praedefinitione bonorum operum consequitur. Praedefinitio autem quum sit duplex, una formalis, qua ipse per sese actus voluntatis creatae decernatur, altera virtualis, qua proxime ipsius gratiae largitio decernatur, remote ille actus, qui cum gratia coniunctus connexusque sit: aliquam omnes Iesuitae praedefinitionem defendunt. Formali autem hos auctores adversari Tannerus scribit (Theol. schol. t. I. disp. 2.): Gregorium de Valentia (t. I. disp. 1. q. 22. p. 3.; q. 23. p. 4.), Molinam (q. 14. a. 13. disp. 18.), Vasquesium (I. disp. 89. c. 10. et disp. 99. c. 3. et 7.); addendi sunt certe Lessius et Petavius. Alii Suaresium secuti tuentur praedefinitiones formales; ita Tannerus l. c., Sylvester Maurus l. c., Viva (Cursus theol. P. III. disp. 2. de gr. q. 3. etc.).

Alia est inter nostros theologos de efficientia gratiae praevenientis varietas opinionum. Alii dicunt, gratiam praevenientem moraliter, non physice efficere actum liberum; iidem diversam a praeveniente adiuvantem gratiam statuunt, quae physice actum

---

[1] Lessius ad Bellarminum prid. Non. Ian. 1589. ita scribit: „Sane si ab initio scivissem vos non probare sententiam illam de electione ad gloriam, non eam defendissem, quamquam in ea parum sit momenti.“ Bellarminus autem in Lessii defensione, quam Livinus de Meyer suae Historiae addidit, cuius exemplum nitide scriptum ipsiusque manu signatum in eo codice ms., cuius supra mentionem feci, continetur, sic ait: „Professor Societatis [Lessius] docet, electionem ad gloriam pendere ex praescientia meritorum. Ubi tamen est observandum, professorem illum mediate ponere electionem ad gloriam esse omnino gratuitam. Vult enim electionem ad gratiam efficacem cum perseverantia finali, quae infallibiliter ducit ad gloriam, esse omnino gratuitam, atque ita resolvit tandem electionem ad gloriam in meram Dei gratiam. Quare *longissime distat* haec opinio a sententia Pighii et Catharini et aliorum, qui praedestinationem pendere volunt ex bono usu liberi arbitrii praeviso.“

liberum efficiat. Alii, ut Molina, Lessius, Ripalda re differre praevenientem ab adiuvante gratia negant; illam physice etiam liberos actus efficere; duplicem esse *unius* gratiae efficientiam. Utrique Deum et physice et moraliter efficere actum liberum defendunt parumque refert, utrum nova aliqua gratia an nova eiusdem gratiae efficientia actus physice efficiatur [1].

Dicunt etiam de scientia media aliquam esse dissensionem,

---

[1] Audiamus Suaresium, qui *praevenientem* gratiam, qua praevenientem, physice actum deliberatum efficere negat. (De vera intelligentia auxilii efficacis. Opus posthumum. Lugd. 1655. Lib. I. c. 4): „Secundo declaratur ex aequivocatione illius termini: *efficacia physica.* Nam significare potest *vel* actualem efficientiam per influxum realem ac physicum, *vel* determinationem ad unum ipsius principii vel auxilii cum tanta vi naturali ac physica, ut secum necessario ferat vel determinet potentiam ad agendum. Quando ergo nos negamus efficaciam physicam in auxilio praeveniente, loquimur hoc posteriore modo; qui autem nobis illos errores imponunt, loquuntur de efficientia physica priori modo.

„Nos ergo secundum veram et catholicam fidem sentimus, Deum . . . vere, realiter et physice efficere actus nostros supernaturales ac determinationes ad illos. . .

„Respondemus, eandem gratiam praevenientem, quando cooperatur voluntati, transire in adiuvantem, satisque esse, quod sub hac posteriore ratione physice efficiat nostros actus, neque aliud colligi posse e citatis testimoniis [Scripturae].

„Est autem considerandum, quod ipsa gratia excitans, quam dicimus moraliter inclinare voluntatem ad consensum, realiter et physice fit a Deo in hominis voluntate, quia ipsamet excitatio est realis et supernaturalis effectus, cuius propria causa Deus est. Atque hoc in rigore satis est, ut dicere possimus, *Deum physice* facere ut velimus, quia per physicam efficientiam facit id, quo moraliter inducimur ad volendum, et quia ipsamet motio gratiae excitantis physice nos afficit, *quamvis ad ulteriorem actum non physice compellat.* Praeterquam quod causalitas moralis sufficit ad proprietatem et rigorem illarum locutionum: Faciam ut faciatis etc. Illae vero: Deus est qui operatur in nobis velle etc. de physica efficientia per gratiam adiuvantem et concursum Dei probe intelliguntur."

Idem antea docuerat de gratia l. III. c. 16. n. 3.: „Neque obstat, quod illa actio vel influxus [gratiae praevenientis sive moraliter agentis], quo fit actus deliberatus, *in se sit physicus et realis influxus;* nam *praecise* spectatus, ut est a gratia excitante, sic tantum est ab illa moraliter, et ita induit rationem moralis causalitatis, sicque denominat suum principium moraliter adiuvans. Ad eum modum, quo dixi in metaphysica, eundem influxum, prout est a causa finali, esse causalitatem finis, et prout est a principio activo, esse causalitatem efficientis: ita etiam in praesenti idem influxus gratiae adiuvantis, qui est *physicus* respectu alterius principii, moraliter est ab excitante gratia, et ratione illius sine ulla confusione vel verborum aequivocatione adiuvans denominari potest."

quum ea, quae aliqua conditione futura sunt, alii supercomprehensione voluntatis, alii ex ipsa rei veritate a Deo cognosci velint. Prius illud Molina docet; sed a Lessio, cum quo ei fuerat litterarum consuetudo, ita explicatur, ut re non dissentiat a ceteris.

„Non docent nostri," inquit Lessius, „operationes voluntatis futuras posse certo praesciri in potentia liberi arbitrii ut in causa, quasi ex vi cognitionis liberi arbitrii infallibiliter cognosci possit, quas operationes sit editurum, sed docent eas praesciri ex infinita vi divini luminis, quod non solum liberum arbitrium et omnia, quae ipsum praevenient, allicient vel impedient, comprehendit, sed etiam penetrat ad omnes eius operationes et effectus; non quia aliquid in eo vel in aliquo praevio videt, unde certo colligi possint; sed quia reipsa ab eo fient vel, data certa hypothesi, fierent. Itaque operationes futurae in libero arbitrio praevidentur a Deo, non ex vi cognitionis liberi arbitrii, sed quia in libero arbitrio absolute vel ex hypothesi exstabunt, et Dei vis infinita cognoscendi ad omne verum penetrat. Hoc ipso enim quo aliquid est, erit, vel facta aliqua suppositione esset, habet veritatem obiectivam; ac proinde intellectus divinus, ratione infinitae virtutis suae, se ad illud extendit. Sic Molina passim docet Deum cognoscere conditionales liberas, ratione infinitae eminentiae divini intellectus supra liberum arbitrium, per quam fit, ut non solum liberum arbitrium comprehendat, sed etiam penetret ad omnia ea, quae in ipso vel exstabunt absolute vel, facta quavis hypothesi, exstarent. Videatur disputatio 47. tota." [1]

Ad quam interpretationem confirmandam indicia in ipsius libro inveniuntur. Dicit enim Molina semel atque iterum, liberos actus non esse certos ex causis suis (p. 237.), unde sequitur, ut ex his (ex voluntate et quibus haec ad agendum excitetur) tamquam *ex ratione ac medio cognitionis* praenosci non possit. Immo „rationem" et conditionem praescientiae a rei veritate repetit, unde *„pendeat scientia Divina"*, quemadmodum quater clarissime docet (p. 228 ss.: „Non sumit," inquit, [Iustinus] „causam pro vera causa . . ., sed loquitur de *ratione*, quare illa [praescientia] sit, quatenus respectus rationis, quam scientia Divina habet ad res, quas novit esse futuras, *pendet* ex eo, quod illae ex suis causis sint futurae").

Venio nunc ad opinionem erroremque pervulgatum eorum, qui discrimen esse inter Molinismum et Congruismum de ipsa

---

[1] De gratia efficaci c. 16. n. 4. p. 347.

efficacia gratiae eiusque efficaciae modo existimant: Molinam docere, gratiam fieri efficacem consensu libere cooperantis; ceteros, convenientia et commensione quadam gratiae cum indole cuiusque, ingenio, studio, consuetudine, habitu, conditione, rebus, tempore; hanc alteram doctrinam ab Aquaviva praescriptam esse. Cuius erroris refellendi causa satis est ea repetere, quae supra demonstravimus. Ostendi (p. 235. 306.) qua ratione Molina et Lessius docerent, gratiam efficacem fieri consensu voluntatis, ut nihil differat eorum a Suaresii et Bellarmini sententia; ante (p. 16. et 17.) falsam Congruismi interpretationem refutaveram; nec huius ullum vestigium in Aquavivae decreto reperitur, uti attente legenti manifestum est. Eiusdem rei haec sit postrema atque evidentissima demonstratio. Iesuitae omnes, etiam Bellarminus, qui consilio suo auctor exstitit decreti Aquavivae (v. p. 236. n. 1.), fieri posse cum S. Augustino censent, ut si duo, libera praediti voluntate, prorsus eodem ingenio atque natura, eodem modo affecti, eadem Divina inspiratione excitentur eademque tentatione impellantur, alter resistat tentationi, alter succumbat, et omnes eius differentiae rationem cum S. Augustino a *libera voluntate* repetunt. Atqui si verum esset, quod vulgo de Congruismo opinantur, eadem esset in utroque congruitas gratiarum, quum et aequales inter se sint et cum ceteris rebus omnibus prorsus aequaliter conveniant; et tamen altera gratia congrua est, altera incongrua. Fatentur etiam ipsi Tournely [1] et Billuart [2], quibus nescio an nemo illum errorem studiosius vulgaverit, Congruismum ad Molinismum denique redire.

Societatis de gratia doctrina eadem fortuna usa est qua Bannesianorum. Illa ab initio a Bellarmino, Molina, Suaresio, Lessio, Vasquesio, Valentia, illis vere magnis theologis, ita explicata est, ut posteriores, quamvis praeclare de ea scripserint, velut Ruiz et Ripalda, tamen et doctrinam universam a superioribus explicatam tenerent, et partes ante variatas varie exsequerentur. Nam de praedestinatione et praedefinitione alii ad Bellarminum et Suaresium, alii ad Lessium et Molinam propius accedunt.

Eodem ferme modo actum est cum Neo-Thomismo. Nam ab ipso principio per Bannesium, Lemosium, Alvaresium illa doctrina

---

[1] Praelectiones de gratia Chr. q. 7. art. 4. concl. 3., q. 9. art. 2. Ed. Paris. a. 1739. t. II. p. 447. 674.

[2] Theolog. diss. V. art. 6. de gr. eff. Praenotanda. Ed. Paris. Palmé t. III. p. 142.

ita explicata est, ut ceteri tritis vestigiis insisterent. Quaedam duriora mollita sunt, at ratio ac structura universa constat atque ipsae etiam distinctiones, argumentationes, Molinismi accusationes, difficultatum solutiones manebant et quasi per manus tradebantur.

Tria sunt, quae utriusque doctrinae constantiam et effecerunt et explicant; quae iam supra commemoravimus: magnitudo ingeniorum, quorum vires omnes ad eam perficiendam ac defendendam ab ipso initio controversiae collatae sunt; praecepta Summorum Pontificum eam causam libris tractari severissime vetantium; denique utriusque Ordinis ad conservandam doctrinam disciplina atque decreta. De Aquavivae regula satis diximus; sed etiam Praedicatorum exstat de servando *Thomismo* decretum. Nam quum a. 1670. capitulum generale Ordinis Romae haberetur, placuit (admonit. 5.) ut theologiae professores „nedum doctrinam nostri Angelici Praeceptoris D. Thomae Aquinatis fidelissime sequantur, sed etiam a concordi et communiori nostrorum Thomistarum sententia, quae communi omnium iudicio creditur asserta a Sanctissimo Praeceptore vel ex eius principiis deducta, nullo pacto audeant recedere, praesertim circa materiam de gratia et libero arbitrio seu *physica praemotione.*“

Sed iam prima quasi aetate controversiae apud alios aliarum indicia doctrinarum exstitere, quum nec Bannesium sequi nec ad Iesuitas accedere vellent. Fuerunt qui ob rei obscuritatem de summa controversiae tacendum putarent. Si quid ex Suaresii et Ruizii disceptationibus concludi licet, ipsa Thomassini sententia iam tum nata est[1]. In academiis Parisina et Salmanticensi multis morales determinationes placuerunt, quibus certissimam gratiae efficaciam omissa scientia media satis explicari arbitrarentur; nam eam vim inesse indeliberatis gratiae excitantis motibus ad suadendum actum liberum, ad alliciendam trahendamque voluntatem, ut ductum gratiae certissime secutura esset; atque ita sine scientia media ex ipsa proprietate gratiae actus veritatem certissime cognosci. Quam suadendi vim gratiae actum certissime efficientem alii ex ipsius claritate ac suavitate derivabant, alii contra ex perfectissima convenientia gratiae cum studiis, affectionibus, consuetudine, conditione cuiusque. Qui omnes cum Iesuitis eandem dicebant gratiam efficacem et excitantem; cuius efficientiam propriam similiter explicabant; de infallibilitate efficientiae dissentiebant. Posse enim *aliquando* motus indeliberatos gratiae quadam

---

[1] V. supra p. 33.

suasionis necessitate actum liberum efficere, Iesuitae fatebantur; sed nec omnium gratiarum efficacium tantam vim esse docebant, quantam extraordinariis tribuerent; nec ex sola *morali suasionis necessitate,* quae illas gratias consequeretur, *summam ac Divinam* providentiae ac praedestinationis infallibilitatem derivari; nec eam gratiae efficaciam, quae ita semper raperet voluntatem, ut omnes certissime transvolaret difficultates, Sacrae Scripturae congruere, qua constanter ad pugnam omniumque virium contentionem excitaremur; nec denique, si tanta motio ac suasio gratiae ad omnia bona sive ob lapsae naturae imbecillitatem sive aliis de causis requireretur, gratiam sufficientem, quae tanta vi careret, vere dici sufficientem [1].

Levantur difficultates, non tolluntur, si cum Alphonso Lemoine, doctore Sorbonico, illam tantam vim gratiae ad actiones difficiliores referas, orationis autem gratiam intelligas sufficientem, qua qui utatur gratiam efficacem ad difficiliora praestanda consequatur. Ea doctrina deinceps plurimis probata est. De qua ut recte existimare possimus, vetus nobis et ante hanc controversiam pervulgata consideratio distinctioque gratiae cognoscenda est. Eius mentionem adhuc non fecimus, quia illa doctrina in disputationem non venit; nunc quum prodiit et iudicem se esse vult, quae controversiam Molinistarum ac Bannesianorum omissis scientia media et physica praedeterminatione dirimat, audienda atque examinanda est.

Distinctio *efficacis* et *sufficientis* gratiae tum, quum ortae sunt Molinistarum et Bannesianorum disputationes, communiter in scholas inducta est, quum illa appellatio antea perambigua fuisset et a multis improbata. Iam vero in illis Praedicatorum et Iesuitarum disputationibus illis nominibus haec certa sententia adiungebatur, ut efficax ea gratia praeveniens diceretur, quam effectus (actus liber) isque *infallibiliter* consequeretur. Superiores autem theologi illud vocabulum saepe aliter intellexerant (velut de magna gratia, quae opponitur parvae); ita perturbari multa necesse erat, nisi illud attenderetur.

S. Thomas de gratia efficaci et de sufficienti loquitur nec tamen gratiam ita dividit. *Auxilium sufficiens* appellat I. II. q. 106. a. 2. ad 2.: „Si quis post acceptam gratiam N. T. peccaverit, maiori poena est dignus tamquam auxilio sibi dato non

---

[1] Cuius opinionis refutationem v. apud Suaresium, de auxilio efficaci l. III. c. 10. p. 195 s. et apud Lessium, de praedestinatione sect. 6. n. 142.

utens; nova lex enim, quantum est de se, *sufficiens* auxilium dat ad non peccandum.“ *Vocationem efficacem* appellat In Rom. c. 8. lect. 6.: „Et etiam haec vocatio est *efficax* in praedestinatis, quia huiusmodi vocationi assentiuntur,“ ubi gratiam, quam effectus consequatur, intelligi manifestum est. Alia vis est eiusdem vocabuli In Ioann. c. 17. lect. 2.: „Oratio [Christi], quantum est de se, *efficax* est, ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum,“ ubi recte Billuartus (diss. V. de gratia efficaci, art. 6. Praenot.) aliud significari dicit: non id, quod sit cum effectu coniunctum, sed id, quod magnam habeat vim efficiendi, sive sequatur effectus sive alia re impediatur.

Hanc utramque verbi sententiam ab eo usurpatam videmus, qui, quod sciam, primus gratiam divisit in efficacem et sufficientem, Henrico Gorcumiense. Is quum studiis operam dedisset Parisiis, Coloniae theologiam docuit; sequebatur maximo studio S. Thomam eiusque Summam adiecto *Supplemento* absolvit; mortuus est anno ferme 1460. (V. Generi, Theolog. dogm. schol. t. I. p. 160.) De eo haec scribit Eckius, theologus ille Germanus: „Iuvat illam solutionem Henricus Gorcheim . . . studii Parisiensis alumnus, sed Agrippinensis gymnasii foecundus excultor; hic in tractatu huic materiae dicato . . . inquit, duplicem esse motionem Dei gratuitam: unam sufficientem, et illam Deus nemini denegat, aliam efficacem; sed illa adhuc potest intelligi bifariam: uno modo, ut sit genus motionis, quo specialiter moventur praedestinati, quae respersa quodam suavitatis odore, intima viscera animae foecundando deiformat et in coeleste desiderium transmutat; potest et alio modo dici motio efficax, quae assequitur voluntatem hominis actu ad eius consensum.“ [1] Extraordinariae illius gratiae exempla sumuntur a Maria Magdalena, Matthaeo, Paulo. Eam distinctionem probat Eckius. Ita efficax gratia modo ea dicitur, quae est cum effectu coniuncta, modo ea, in qua sit vis ac virtus inusitata. Priore significatione effectus saepe intelligitur *perfectus*, ut efficax dicatur ea gratia, quae effectum consequatur insignem; huiusmodi autem vocabant iustificationem; erat igitur gratia efficax vocatio illa *alta* sive *secundum propositum*, h. e., summa gratiarum qua efficitur iustificatio vel ea gratia, quae efficit ultimam praeparationem, cum qua ipsa necessario connexa sit iustificatio. Sufficientes igitur gratiae illae erant, quae ad sanctificationem remote disponunt. Ita Medina et e Parisiensibus

[1] Supra [p. 103 s.] totum locum ex ipso Henrici libro attulimus.

Gamachaeus illam distinctionem intelligunt. Qui omnes dicunt, hominem bene utendo gratiis sufficientibus consequi efficacem. Valentia autem gratiam efficacem intelligit eam, cum qua actus bonus perficiatur atque absolvatur, h. e., et praevenientem et adiuvantem.

Sin *altero* modo vocem accipimus, quo item et S. Thomas et Henricus Gorcumiensis acceperunt, locus est Adriani VI., quo secundum eam sententiam distinguuntur gratiae sufficientes et abundantes: „Eam misericordiam,“ inquit, „ut probabiliter teneo, viatoribus [etiam obduratis] exhibet Deus, quod *sufficienter* eis assistit et suam gratiam offert, qua pro extremo saltem virium laborando possent peccati indulgentiam promereri. . . Paucos invenies, qui ad extremum virium aliquid faciant. Ideo si debeant ad Deum carnalia corda, id est, peccatores converti, opus est plus quam sufficienti gratia, id est, Divina assistentia, sed *abundanti* et quae onus magna ex parte alleviet.“ Eadem illa Gorcumiensis distinctio apud alium Universitatis Parisiensis alumnum, in S. Ignatii libro exercitiorum, invenitur. In regula septima de discernendis animi motibus in exemplo Hispanico [1] gratiam *sufficientem*, quae semper adsit homini, opponit *intensae*, quae coniunctas habeat vehementiores animi motiones et consolationes, a qua ipse *de tempore triplici ad electiones recte faciendas magis opportuno* distinguit SS. Pauli et Matthaei vocationes. Haec tota distinctio a sola vi insita suavitateque gratiae excitantis ducitur. Idem docet defenditque Alphonsus Rodricius, qui in Societatem brevi post quam condita est, intravit, in admirabili illo de perfectione Christiana libro. In 10. capite primi tractatus *sufficientem* gratiam omnibus dari dicit; cum ea tentationem superari posse; *nihilominus*, inquit, *saepe evenit, ut eam cum hoc communi auxilio non superemus, nisi Deus addat aliud peculiare.* Addit, hanc peculiarem, *abundantem, efficacem* gratiam fidelitate in rebus minimis, oratione potissimum, impetrari. Huiusmodi distinctio a

[1] La septima: „El que esta en desolacion considere como el Señor le ha dejado en sus potencias naturales, para que resista á las varias agitaciones y tentaciones del enemigo, pues lo puede con el auxilio divino, el cual siempre le guida aunque claramente no lo sienta; porque el Señor le ha abstraido su mucho hervor, crecido amor y *gracia intensa;* quedándole tambien *gracia suficiente* para la salud eterna.“ Idem quod hic *gracia intensa* vocatur, in familiari eius epistolarum clausula dicitur *gracia cumplida*, h. e. perfecta et abundans (Cartas de San Ignacio de Loyola, Madrid 1875. I. 33. alibi); eidem acceptae docet posse resisti (l. c. 213.).

virtute cuiusque gratiae repetitur; quo autem maior gratia, eo certior effectus est. Et tanta est hominis imbecillitas, ut, etiamsi minoribus gratiis vincere tentationem possit et aliquando vincat, tamen nisi illis magnis atque abundantibus non sit semper victor evasurus nec virtutem semper conservaturus. Minoribus autem bene usus maiores consequetur et in usu virtutum perseverabit.

Atque ita S. Ignatius et P. Rodricius, praeceptores illi vitae bene agendae, quorum doctrina omnes Societatis Iesu alumni usque ad hodiernum diem formantur, inter se consentientes docent. E quo ipso concludi licet, idem ab omnibus Societatis theologis defendi, id quod nullo negotio probare possumus. Sed quoniam id Molinismo negatum esse volunt, Molinam eiusque doctrinae patronum minime omnium rigidum, Lessium dico, ab huiusmodi crimine vindicemus.

Tournely scribit: „Gratia sufficiens ad sensum Molinae sufficit ad singulos pietatis actus *immediate* exercendos.“ [1] Quod nec Molina nec Moliniani unquam dixerunt, immo vero illam opinionem ita stultam esse putarunt, ut eam nemini unquam theologo in mentem venisse dicerent. Nam Lessius „Secundo dicimus,“ inquit, „praedictam assertionem non ita accipiendam, quasi Deus det omnibus in actu secundo tale auxilium, quod *immediate sit sufficiens ad fidem vel poenitentiam concipiendam* (id enim manifeste falsum est et *nemo Doctorum tam imperite illud unquam intellexit*), sed quod omnibus det aliquod initium, nempe aliquam inspirationem, cui si quis obtemperaverit, ulterius iuvabitur.“ In eiusmodi initiis gratiae, cui si quis obtemperaverit, amplius iuvetur, Lessius semel atque iterum numerat orationis gratiam. Imprimis perseverantiam nisi constanti oratione impetraturi non sumus, et quidem non quoquo modo *sufficientem,* sed *magnam atque efficacem* gratiam rogare debemus, quae nos ita moveat atque impellat, ut superatis difficultatibus omnibus constanter perseveremus (de praedest. n. 78. p. 424.). Datur autem gratia aliis „parce“, aliis „copiose“, aliis „uberrime“. Potest etiam Deus ab usitato providentiae ordine declinans quodam miraculo gratiae tantis hominem praevenire inspirationibus, ut non honeste agere non possit (l. c. n. 142. p. 455.).

Similis est doctrina Molinae. Qui alias gratias praevenientes tam remissas esse docet, ut vix animadvertantur, alias tam acres

---

[1] Cursus theologici scholastico-dogmatici et moralis tom. II., de gratia Christi, q. 6. art. 4. Conclusio secunda, ed. Colon. 1752., II., 392.

ac vehementes, ut mirifice delectetur animus, taedium pellatur, caritas inflammetur, cor et caro in Deum vivum exultent, pennae velut aquilae et vires assumantur, quibus via mandatorum sine difficultate curritur. „Satis suaviter equitat, qui ab Omnipotente portatur." De qua gratia tota disputatione 44. quaestionis 14. articuli 13. disserit. Quo autem altius vim praevenientis gratiae extollit, eo magis imbecillitatem atque languorem premit naturae, quae tanto illustrata lumine fidei, tanta roborata vi sanctificantis gratiae et caritatis (qua tamen adiutus leviora agere possit) nihilominus sine peculiari Divinae gratiae auxilio graviores superare tentationes atque in virtutum usu perseverare non queat; „auxilia vero particularia, a quibus perseverantia pendet, confert maiora vel minora iustis, prout cautius ac maiori cum animi submissione se gerunt." (Cf. disp. 17. et ss.) Remissae et vehementis motionis distinctio, quae eadem apud veteres et hac controversia superiores theologos est gratiae sufficientis et efficacis et a Molinistis quoque admittitur, quamquam non hoc ipso nomine appellatur, tum ad vim insitam virtutemque gratiae, tum vero etiam ad effectum spectat; quo enim maior gratia est, eo certiorem esse effectum necesse est. Quamobrem Valentia[1] et post eum Lessius[2] tria genera distinguit gratiarum efficacium: aliquando, plerumque, semper efficientium id, cuius causa datae sunt. Nec vero solus Suaresius[3] est, verum etiam Ripalda *Molinista*, qui propositionibus defendant, posse gratiam tam vehementer hominem ad bene agendum inclinare, ut propter ipsam vim propriam gratiae non possit non facere id, ad quod impellatur; cuius rei confirmandae causa Ripalda aliquot ex S. Augustino locos affert, quibus ipsis postea Tournely et qui eum secuti sunt, Molinianos oppugnaverunt.

Iam vero in hac distinctione gratiae vel remissius vel vehementius excitantis, vel certius vel incertius efficientis id, cuius causa collata est, ea doctrina innititur, quam Habert, d'Argentré, Tournely in schola sua celeberrima communiter defensam esse testantur. Quidam ei etiam alteram illam distinctionem gratiae vel remote vel proxime ad iustificationem praeparantis adiungunt. Sed constat inter utrosque: gratiam *efficacem* et *sufficientem* genera esse *excitantis*, quae hominem supernaturaliter illustret atque

---

[1] Disput. 8. q. 3. p. 4. Edit. Venet. 1600. p. 923.

[2] De praedest. p. 433.

[3] L. III. de auxilio efficaci c. 10. Edit. Vivès XI., 198.

ad bonum impellat; nullam esse inter utramque essentialem differentiam; eam quam dicunt sufficientem ad effectus faciliores atque imperfectos, ad orationem potissimum pertinere et nullis adiunctis aliis gratiis praevenientibus per se satis virtutis ad illa conferre; saepe etiam cum effectu coniunctam esse; ea si quis bene utatur, gratiam efficacem ad difficiliora opera praestanda atque ad conversionem dari. Cuius sententiae cum Societatis doctrina consensionem et Iesuitae premunt et clarissimus quisque magister Sorbonicus fatetur [1]. Item utrique docent, quantum illa et a Iansenianorum et a Bannesianorum rationibus distet. Nihilne igitur inter Sorbonicos et Nostros interest? Responderi potest in utramque partem. Si ea, quam diximus, distinctio ita statuitur, ut superioribus aetatibus erat usurpata, ut gratia simpliciter dividatur in remissam et magnam, remote vel proxime ad iustificationem praeparantem, omnino illi nobiscum consentiunt; dissentiunt, si eam ad posteriorem controversiam dirimendam quidquam valere arbitrantur. Nam 1. duas distinctiones diversas confundunt; aliud enim olim *efficax et sufficiens* accipiebant, aliud in hac controversia; 2. supremam illam dignamque providentia Divina infallibilitatem in actibus humanis cognoscendis sua doctrina non explicant; nam probabilis illa coniectura vel divinatio vel persuasio, quae ex maiore quadam vi gratiae derivatur, nunquam potest certissimam Dei scientiam efficere, atque etiam rara et inusitata est ea gratia, cuius virtuti resisti vix possit; 3. ficta et commenticia est in gratia efficaci faciliorum ac difficiliorum operum distinctio, ut ex ipsis scripturae locis, quos huius doctrinae defensores afferre solent, ut gratiam *ab intrinseco efficacem* probent, satis intelligitur. Velut Calonne, uberrimus, ut opinor, nostra aetate huius doctrinae explanator ac patronus, hos e Novo Testamento locos usurpat: Eph. 2, 10 „creati in *bonis operibus,* quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus"; Hebr. 13, 21 „aptet vos *in omni bono*"; Eph. 1, 11 „*omnia* operatur secundum consilium voluntatis suae"; Phil. 2, 13 „operatur *et* velle *et* perficere"; I. Cor. 4, 7 „*quid* habes, *quod non* accepisti?" Hi enim loci *universim* de *omnibus* actibus supernaturalibus dicti sunt; quibus si probatur gratia *ab intrinseco efficax*, probatur de actibus

[1] Tournely ex Haberto (Theol. Gr. PP. l. II. c. 6. n. 1.) haec affert: „immo PP. Iesuitae [didicerunt] a Doctoribus Scholae Parisiensis, cuius fecundissimo gremio ortum suae doctrinae, incunabula ac incrementa debere se non inviti agnoscunt."

facilioribus *et* difficilioribus. At alterum falsum esse existimant; ergo neutrum demonstrant. Nec ea sententia e SS. Patribus, maxime Augustino, eruitur. Ex hoc quae afferunt, nihil ostendunt (quemadmodum Billuart contra Tournely, quem ceteri sequuntur, scripserat) nisi hoc: non omnem gratiam sufficientem ad omnem actum proxime sufficere, orando autem uberiorem gratiam impetrari posse, quod quidem, ut ait Lessius, nemo theologus negat. Sed idem Augustinus a gratiae efficacia distinctionem facilium et difficilium actuum omnino removet. „Quia *omnia* bona," inquit, „*et magna et media et minima*, ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae voluntatis" (L. I. Retract. c. 9.). Nec 4. ita declinari sententia media potest, id quod praecipuus illius doctrinae patronus, Tournely, facile concedet; hic enim e studiosissimis eius defensoribus est nec iis assentitur, qui eam evitare conentur. Quum enim Deus, ut ex plurimis Scripturae Patrumque testimoniis elucet, actus et bonos et malos aliqua conditione futuros certissime praenoscat idque in dubium vocari plane non possit, quaerendum est *quomodo* id fiat. Quam quaestionem si quis fide contentus omittere velit, omittat. Sin de ea controversia, quae inter Molinistas et Bannesianos intercedit, diiudicare vult, quaestionem de scientia media praetermittere non potest; eo enim denique tota illa controversia evadit, eo potissimum spectat, ut quaeratur: internusne nexus ac necessaria colligatio sit inter actus liberos naturae creatae et motionem Divinam eos antecedente, ita quidem, ut Deus *omnes* actus liberos, etiam conditione aliqua futuros, ex illa ipsa motione certissime perspectos habeat [1]. Id, quicunque illam doctrinam amplexi sunt, negare coguntur; relinquitur, ut scientiam mediam admittant. (V. supra pag. 36.) At si qua est scientia media, ex ea omnis gratia cum effectu coniuncta et in facilibus et in difficilibus rebus certissimam efficaciam nanciscitur; quam annecti solis gratiis potentibus et quasi invictis parum constanter dicitur. Nec denique 5. illa doctrina hominis congruit naturae. Ut ab iis ordiar, in quibus Molina consentit: sunt tenues gratiae motus, qui observari vix possint, sed tamen ad aliquid boni faciendum excitent. Quotiescunque igitur homo ita excitatus aliquid boni agit, gratiam sequitur, gratia movetur; nam tum quoque Moliniani docent gratiam esse, quae praeveniendo moveat atque alliciat et bonum per hominem, suadendo atque efficiendo, operetur. Quibus

[1] Vide supra p. 33.

gratiis tenuibus ac tenuissimis illae potentes opponuntur, quae luminis claritate et motus suavitate vel trepidatione timoris hominem prorsus capiant atque propellant. Inter utrasque innumerabilis est multitudo ac varietas gratiarum et effectuum ex iis pendentium. Horum autem effectuum consecutio quam magis minusve certa sit, etiam ex infinita differentia impedimentorum metiendum est, quia permagna gratia, quae quietum animum certissime permoveret, vi atque impetu cupiditatum vel tentationum, quas diabolus aut occasio excitavit, ita impediri potest, ut anceps ac dubia sit exspectatio eventus. Id experti omnes scimus; minime enim tantam esse in rebus difficilibus vim ac vehementiam gratiae experimur, ut ad consensum veluti trahamur; nec raro usu venit, ut quis dubitet, tentationi vehementi consenserit necne.

Sed de hac doctrina Molinae adversaria satis dictum est. Cuius summa capita, unam eandemque esse gratiam efficacem et sufficientem; distinguendas esse gratias tenuiores, quae communiter dentur, et magnas, quae rarius, cum Societatis doctrina congruunt. Discrepantia oritur, ubi haec distinctio adhibetur, ut omnis infallibilitas gratiae efficacis inde explicetur. Eo usque pauci progressi sunt ea aetate, de qua scribimus. Fuerunt autem tum ex Sorbonicis, qui nostram doctrinam amplecterentur ac profiterentur. In quibus fuit imprimis Duval, summa inter suos auctoritate. Alter Universitatis Parisiensis alumnus, quem Ecclesia Doctoris dignitate ornatum voluit, S. Franciscus Salesius, nostras rationes aperte probat ac sequitur. Cuius dilucida ac suavis oratio quum magnam sibi in hac quoque causa auctoritatem conciliaverit, quumque ipse tunc a summo Ecclesiae doctore consultus sententiam dixerit, eius doctrinam praetermittere hoc loco non debemus.

Is igitur eam formam doctrinae nostrae, quae a Lessio proposita adversariis liberior ac solutior videtur, omnino professus est. Id et in litteris, quarum mentionem supra intulimus (p. 4. n. 3.), satis significat et ipse nos ad suum de amore Dei opus remittit. In cuius operis libro III. cap. 5. praedestinationem *post praevisa merita*, quae cum Thomismo recentiore stare nullo modo potest, docet ac profitetur. Hunc enim statuit esse ordinem actuum favorumque Divinorum:

„Voluit [Deus primum] salutem eorum omnium, qui volent praebere consensum donis et auxiliis gratiae et favoris, quae illis praepararit, obtulerit et dispertierit ea intentione.

„Hos autem inter favores voluit vocationem primum locum

tenere eamque taliter voluit esse contemperatam nostrae libertati, ut eam vel acceptare vel pro nostro libitu reiicere possemus. Iis autem quos praevidit eam acceptaturos, voluit motiva ad poenitentiam incitantia conferre; iis vero, qui obsecundaverint huiusmodi incitamentis, statuit caritatem elargiri: et iam habentibus eam decrevit dare auxilia gratiae ad perseverandum in illa; iis demum, qui bene usuri sunt Divinis hisce auxiliis, statuit perseverantiam finalem una cum amoris sui gloriosa beatitudine conferre. . .

„Et haec series et ordo effectuum providentiae Divinae sic ordinatus fuit cum consequentia et cohaerentia, quam habuerunt ad invicem in aeterna Dei voluntate. Quod S. Mater Ecclesia testatur, quando in una sollennium suarum orationum praefatione sic Deum affatur: ‚Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse *praenoscis*‘ — quasi fateretur profitereturque gloriam, quae est cumulus et fructus misericordiae Divinae adversus homines, solum iis collatum iri, quos Divina sapientia *praevidit* vocationi obtemperaturos fidemque vivam, quae per caritatem operatur, suscepturos.“

Non potuit ille clarius enuntiare, sibi praedestinationem *post praevisa merita* probari. Iustificationem enim, perseverantiam, aeternam beatitudinem ex hominis consensu pendere dicit; ideo ea bona nisi praeviso consensu non decernit; ordinem illum, quo omnia dona in rei veritate conferantur et ad consensum liberum accommodentur, eundem esse aeternorum Dei decretorum. Quibus verbis illud fundamentum eorum, qui praedestinationem post praevisa merita impugnant: esse in praedestinatione alium *executionis* ordinem, alium *intentionis*, cum Lessio evertit. Iam vero quod ille hoc loco dicit, compendiaria contractio est eorum, quae ante disseruerat.

In II. libri nono capite de natura agit gratiae excitantis, quae sit in nobis sine nobis. Deinde decimo capite demonstrat Divinam inspirationem aliquando a nobis recusari atque abiici, nosque uni eidemque gratiae consentire et dissentire et remissius vel alacrius obsequi posse, atque adeo, si duobus diversa dona collata sint, eum, qui plus gratiae acceperit, resistere, alterum, qui minus acceperit, consentire posse. Quas propositiones Bannesianis omnino contrarias praeter cetera ex illo Scripturae loco, quo Moliniani uti solent, de Corozain et Bethsaida probat, cuius interpretationi haec subiungit:

„Christus certe ostendit clare et *omnes* Christiani simpliciter intelligunt, futurum, ut Iudaei in iusto Dei iudicio condemnentur, idque facta comparatione eorum cum Ninivitis: eo quod illi *multis a Deo provocati beneficiis, iis nec amore ullo nec poenitentia aliqua* responderint, hi autem, qui *parum receperunt favoris, plurimum amoris* rependerint."

Cuius rei confirmandae causa S. Doctor SS. Augustini, Thomae, Francisci Seraphici, Theresiae dicta affert.

„S. Augustinus," inquit, „hisce nostris discursibus sua ratiocinatione, quam instituit libro 12. de Civitate Dei c. 6. 7. 8. et 9., plurimum affert luminis. Nam licet proprie et peculiariter loquatur de Angelis, tamen hoc in puncto homines pares iis facit. Agedum, postquam capite 6. duos homines per omnia aequales in bonitate omnibusque in rebus, etiam eadem tentatione exagitatos proposuit, supponit unum potuisse tentationi resistere, alterum eidem succumbere."

Quam argumentationem S. Thomae sententia confirmat, qui doceat, *gratiam in angelis iuxta varietatem naturalium donorum fuisse impertitam*, nihilominus Luciferum cecidisse, perseverante in bono cum minoribus gratiis innumerabili multitudine aliorum Angelorum.

S. autem Francisci Seraphici haec sunt verba (c. 11.):

„Si Deus alios illos peccatores, de quibus tu loqueris, tanta gratia et misericordia praevenisset, quanta me praevenit, longe gratiores et accuratiores erga largitorem in eius servitio futuri fuissent, quam ego sim. Et si is me singulari suo favore destitueret, in multo abominabiliora, quam illi, prolaberer peccata." Addit ille: „Vides, Theotime, iudicium illius, qui vix fuit homo, sed Seraphim in terra. Scio, scio equidem satis, eum ex humilitate sic locutum esse, sed credebat se ipsissimam enuntiare veritatem, sat aperte indicans, aequalem gratiam pari misericordia duobus peccatoribus exhibitam per unum eorum utilius ad salutem posse adhiberi quam per alterum. Porro habeo oraculi loco sensum et iudicium magni istius in sanctorum scientiis doctoris, qui educatus in schola Crucifixi nonnisi inspirationes Divinas spirabat. Hoc deinceps S. Francisci apophthegma ab *omnibus* tenerioris devotionis amatoribus laudatum, repetitum receptumque est. Nec inter eos defuere, qui assererent eodem sensu S. Paulum dixisse, se *primum,* i. e. *maximum* peccatorem esse" (I. Tim. 1, 15.).

Manifestum est S. Doctorem longius Lessio ceterisque Societatis theologis progredi, quum dicat, non modo gratias aequales,

sed etiam *aequali misericordia* collatas effectum in altero nancisci posse, in altero non item.

Deinde S. Theresiam loquentem facit, quae quidem notitia interioris vitae fuit maxime insignis. Sed satis superque ex illo libro deprompsimus. Unum addere placet. Ille, quem Ecclesia non solum inter sanctos retulerit, sed etiam inter omnium fidelium Doctores, quem in officio praedicet *tutum et planum iter* ad Christianam perfectionem demonstrasse, omni asseveratione docet, si duo parem gratiam acceperint, fieri posse, ut alter obsequatur, alter non item, et ad *omnium* sanctorum *omnium*que Christianorum consensum provocat. Id Bañez sophisma appellat, fructum ignorantiae, viam quae vergat ad Pelagianismum. Utram ingrediamur viam, utrum sequamur ducem, S. Franciscum Salesium, Ecclesiae Doctorem, an Dominicum Bannesium?

17. Quomodo excitata controversia revixerit.

Apostolicae Sedis decretis studiisque superiorum utriusque Ordinis et conventuum generalium sopita visa est concertatio. Et quieverat annos complures, quum repente eodem fere tempore et in Gallia et in Hispania et in Belgio excitata est. Cuius id culpa factum est? Nec Praedicatores nec Iesuitae primi ad arma rediere: quidam ex Ordine Carmelitarum discalceatorum, P. Antonius de Matre Dei, Salmanticae in suo „Cursu theol. Salmant.“, et Oratorii Parisiensis Pater, Gibieuf, in libro „De libertate creaturae“ anno 1630. ad Molinae per 30 censores Romanos condemnationem provocarunt. E quorum consensu Serry indicium veritatis apparere dicit; scripsisse eos *nullo inter se collato consilio, sed uno aspirante veritatis studio* [1]. At verum minime fuit, quod scripserant; ipse Serry initio libri enumerat, quicunque unquam censores interfuerint congregationibus, ponit autem nomina omnino 17 eorum, quibus aliquod aliquando examen de Molinae libro creditum sit, e quibus Bovius certissime illum absolvit. Mirari debemus, quid utrumque nullo collato cum altero consilio ad eandem fabellam divulgandam moverit. Respondent litterae Iansenii; ad Iansenianos, qui tum controversiam suscitarunt atque agitarunt, convertere animos debemus.

Proprium semper fuit ac peculiare magnis haeresibus, ut non solum multos e sinu Ecclesiae Catholicae ad se raperent, sed intra ipsam errores affines seminarent. Nec mirum; nam illae late propagari non possunt, nisi ad ingenia vitiaque aequalium sese applicarunt. Ea autem Ecclesiae filiis vel cum ceteris communia sunt, vel saltem consentanea ac propinqua. Tempestas enim quum ramos ab arboribus avellit, reliquam omnem frondem concutit, et vapores mali, quum morbos pariunt mortemque afferunt multis, etiam superstitum valetudinem aliqua contagione afficiunt. Sic

[1] Praefatio §. 3.

errores Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, non solum a corpore Ecclesiae plurimos divellerunt, sed ipsam magnopere perturbarunt. Item Protestantium secta errores affines Baianorum et Iansenianorum proseminavit. Quae affinitas et in similibus de libertate ac gratia opinionibus cernitur, et in contemptu atque abiectione traditionis catholicae, quae erat ipsa Patrum theologia per Scholasticos explicata, aucta, amplificata. De Baio supra (p. 182) diximus. Sed eodem animo fuerunt illius amici atque discipuli, maxime Iansonius, qui odium *Scholae* transfudit in Iansenium. Is, quum studiis operam daret Lovanii, primum inter aequales locum obtinebat. Ubi ad theologiae studium in collegio Hadriani VI. accessit, cui tum Iansonius praeerat, eius in se oculos convertit. Sperabat ille, se adolescentem ingeniosum, civem suum, suis opinionibus imbuere posse. Paucos igitur menses secum in collegio commorantem ita sibi amicitia ac familiaritate devinxit, ut ei addictus fuerit, quoad vixit, eiusque iniquam studii theologici rationem amplexus sit. Nam in Gallia, quo Lovanio se contulit, cum Vergerio, quo studiorum socio illic usus erat, hac singulari ratione pertractantem S. Augustini scripta invenimus. Arctius sine dubio, postquam Lovanium rediit, se ad Iansonium applicavit. Cuius consuetudinis et Iansonii de carissimo alumno exspectationis evidens testimonium est in huius litteris [1] a. d. X. Cal. Mai. 1622. datis: „Solsti [Conrius archiepiscopus Armachanus] me inscio ad senem [Iansonium], qui est maximus aetate Latomae [academiae Lovaniensis], venerat. Is ei exposuit, de Boëtio [Iansenio] quid sentiret; quem ita mirifice delectavit, ut per unam alteramve horam laetitia gestiret nec continere voluptatis significationes posset. Qui discedens illi mandavit, ut Quinquarbro [Iansenio] diceret, ut veritati [quam suam Augustini interpretationem vocabat] adhaeresceret neve Pacuvium [Iesuitas] timeret.“ Valerius quoque Andreae significat, quanta quamque concors fuerit magistri discipulique coniunctio [2].

---

[1] Lettres de M. Corn. Iansenius à M. Jean Duverger de Haurane par Fr. du Vivier, Cologne 1702. p. 68. Quam editionem cum fictorum nominum interpretatione quidam ex illius laudatoribus vulgavit.

[2] Biblioth. Belg. p. 149.: „Pari felicitate palaestrae deinde theologicae nomen dedit haesitque lateri Iacobi Iansonii gentilis sui, viri in omni pietatis ac scientiae genere vere eximii, quem ut parentem observabat et apud quem paene filii loco erat.“ Coepisse Iansenium theologiae studium Lovanii in collegio Hadriani VI. ibique imbutum esse Iansonii rationibus, testimonium est in libro qui inscribitur: Haeresis Iansenianae praeclusa effugia, parte II.

Quare mirari non debemus, Iansenium eam viam ingressum esse, qua Iansonius Baium secutus praecesserat: ut solitarium in uno Augustino studium collocaret et scholasticos fastidiens contemneret; idque ipsum didicisse, quod in Baio Ecclesia damnarat: nos libera eligendi potestate ab omni necessitate soluta carere.

Quodsi affinis est Protestantismo Iansenismus, fieri non potuisse videtur, quin in illum Ordinem offenderet, quo Divina Providentia ad Protestantismum scientiae armis propugnandum usa potissimum erat, nec solum de singulis erroribus, quos Baius et Iansenius Calvinum secuti docuerant, sed etiam de ipsius disciplinae ratione disceptari necesse fuit: ut traditionem theologiae per *Scholam* propagatam illi impugnarent, hi defenderent. Quod factum esse compertum habemus. Saepe Lessius in litteris familiaribus ad Bellarminum missis conqueritur, Iansonium sociosque non solum pergere illa, quae Ecclesia in Baio proscripserit, docere, sed imprimis scholasticos despicatui ducere [1]. Miratur rem Romae negligi malumque aliquod futurum prospicit. Id de Ian-

---

p. 104. Idem dicit Tournely, De gratia Christi I. 321; et Leydecker, Protestans, De Corn. Iansenii vita, l. 1. c. 1. et 2. Amicus quoque ipsius, Otto Zylius, testatur eum Lovanii ad theologiam accessisse.

[1] „Persuasum habent, se omnes universitates Italiae et Hispaniae correcturos et saniora dogmata docturos, quas putant pelagianizare. . . Ipsi modo a doctrina suorum maiorum [in universitate Lovaniensi] recesserunt, scholasticos reiecerunt et nihil sibi praeter Augustinum reliqui fecere, quem sibi soli videntur intelligere. . . Hanc autem tragoediam excitavit in nos Michael [Baius]“ (Litterae 25. Sept. 1587.). „Putant Societatem errare et academias Italicas et Hispanicas πελαγιανίζειν et se solos σωφρονεῖν“ (Litt. 26. Ian. 1588.). „Hanc unam [propositionem, qua asserimus omnibus pro loco et tempore dari auxilium sufficiens, ut possint vitare peccata et pervenire ad fidem, poenitentiam et salutem] asserunt in sua Antapologia profectam esse ex officina Fausti, Galliarum Episcopi, et DD. scholasticos eius lectione fuisse deceptos, quod miror ego ab Illustrissimis Dominis [Cardinalibus] tolerari; notant enim aperte omnes DD. scholasticos ignorantiae et erroris in quaestione, quae pertinet ad fidem. . . Itaque vehementer mirantur multi, cur videatur istis Dominis [Cardinalibus] adeo difficile censere de istis propositionibus et earum contradictoriis; quodsi metuunt, ne Facultas haec laedatur, si statuant de istis propositionibus ex veritate, faxit Deus, ne aliquando Ecclesia ab ipsa laedatur“ (Litt. 13. Iun. 1591.) Plura addere possumus, sed satis dixisse videmur. Ut Lessius, ita P. Manaraeus, quum retulisset, plures in Belgio propositiones Baii erroribus affines ab eius amicis proponi, se timere non dissimulavit, nisi eiusmodi licentiae Roma occurreretur, „ne ex his seminibus doctrinae producerentur aliquando, quae difficilius evellerentur“ (Litt. P. Manaraei ad P. Aquavivam 11. Sept. 1591. in Codice MS. saepius laudato).

senio verum fuisse, dolemus omnes; quantis fluctibus calamitatum illa haeresis Ecclesiam inundavit! Opinabatur Iansenius Ecclesiam per scholasticos ad Semipelagianos errores deductam esse; ergo ut depravatam per saecula Augustini doctrinam in veterem dignitatem splendoremque vindicaret[1], suum „Augustinum“ scripsit. Quo libro maxime Molinam et Iesuitas aggressus est, quos primos contrariae sententiae propugnatores esse arbitrabatur. Nescire se dicit, quo fato evenerit, ut semper cum Iesuitis sibi luctandum sit[2]; in eam autem opinionem venire, ut Deum eius rei auctorem putet, a quo impelli videatur, ut, ubicunque versetur, calamum in Iesuitas acuat[3]. Dilexerat Iesuitas aliquando atque in Societatem ingressurus fuerat. Qua igitur re motus tam acre tamque perpetuum in eos certamen suscepit, quos non posset non magni aestimare? Credo, quia studiorum disciplina ac ratione utrorumque nihil poterat esse magis contrarium.

Plus quam in dictis ac ratiocinationibus in factis argumenti esse solet, illis potissimum, quae saecula complectuntur. Factum autem esse nemo negat, ut Baiani ac Ianseniani, quum pugnam contra traditionem theologiae, quae e schola proficisceretur, inissent, summum impetum in Societatem Iesu converterent. Unde nihil certius concluditur, quam quod rebus omnibus disceptationi-

[1] Iansenius Nonis Aprilibus a. 1621. de „Augustino“ scribens intimo suo sic ait: „Sa doctrine est si peu connue parmi les sçavants non de ce siècle seulement, mais de plusieurs siècles passez. Car pour vous parler naïvement, je tiens fermement, qu'après les Hérétiques il n'y a gens au monde qui aient plus corrompu la théologie que ces Clabaudeurs de l'Ecole, que vous connoissez“ (p. 31.). Alia testimonia e maximo eius opere sumpta apud Tournely, De gratia I. 327 s.

[2] 96. lettre de Jans. 1631. p. 239.

[3] 66. lettre du 14 Mai 1627: „Il semble que Dieu veuille que partout où je me trouve mes travaux se tournent contre Gorphoroste (Molinistes).“ Subsidia anquirit „pour rembarrer les Gorphorostes“ (37. lettre, 8 Juillet 1622. p. 112.). Quum vero piis sodalitatibus et animarum cura plurimum proficere apud studiosam adolescentiam Iesuitas videret, Oratorianos sibi benevolentia devinctos Lovanium ascire iisque adolescentes in manus tradere constituit: „Je songe à leur faire tomber entre les mains toute la jeunesse avec le temps“ (60. lettre, 12 Oct. 1626. p. 175.). Eodem consilio effecit, ut a Facultate Lovaniensi apud Praedicatores sacri rosarii sodalitas litterarum studiosis institueretur: „Si les Jacobins sachent à bien s'acquitter des exercices de piété, ils mettront les Jésuites presqu'en chemise“ (3e lettre, 4 Févr. 1619.). Nihil mirum quod curis pugnisque perpetuis valetudinem suam affectam queritur: „Concertatio assidua,“ inquit, „cum Chimeris, quas nosti, infirmitatem mihi peperit“ (23e lettre, 11 Févr. 1622. p. 49.).

busque exponendis supra intelleximus: Societatem et arcte illam scholasticorum traditionem tenuisse et constanter explicasse.

Minus autem in illa secta roboris fuit, ab Ecclesia praesertim iam paene confecta, quam ut sola praelium sustineret. Quaesivit igitur atque invenit, quos sibi foedere coniungeret: primum legis civilis doctores in senatu Parisiensi et consilio publico Bruxellensi, quibus quodammodo innatum esset odium in omnem spiritualem iurisdictionem eiusque tamquam arcem ac praesidium, Sedem Apostolicam; deinde Bataviae Protestantes, quorum prelis usa ingentem molem libellorum ac calumniarum per Europam dispergendo venena sua effudit, quibusque persuasit, ut Iesuitas expellerent, quo grave vulnus Ecclesiae in illis locis inflictum est; denique regum Ministros incredulos rerumque publicarum perturbatores, a quibus adiuta et in Gallia atque Belgio et in Hispania, Italia, Lusitania, Austria, postremo omnibus locis ad internecionem pugnare cum praecipuo adversario, Societate Iesu, et ea traditione atque auctoritate, quam illa tuebatur, instituit. Nec vero sola agebatur traditio theologiae, sed fides, philosophia, ipsa denique studia humaniora. In his omnibus litterarum partibus Ecclesiastica consuetudo Societati propugnanda fuit; id quod ea moderatione praestitit, qua conditor parensque Ignatius regulas eius, vitam, actionem impressa esse voluit. Itaque et scholasticam theologiam studiosissime coluit, et positivae notitiam adiunxit. Et in scholastica quidem theologia veteris scholae S. Thomae de gratia et libertate traditionem quum firmissime teneret, eam ita magis explicare studuit, ut quaestionis theologicae difficillimae expediendae viam non prima ostenderet, sed tamen complanaret. Magnorum scholae doctorum sententiis, non solis verbis ac litteris inhaesit. Philosophiae rationem veterem quum summi faceret, omni virium contentione ad scientiam naturae tum efflorescentem incubuit eiusque mirificos progressus admirata est. In studiis humanitatis more maiorum educationem pueris Christianis convenientem cum gentilium auctorum tractatione coniunxit eamque scholarum veterum rationem ita tuita est, ut nec ad vitae quotidianae usum omnia dirigeret, nec pietati exaggeratae aures daret[1]. Eo pugnandi genere magnas res Societas effecit, sed eodem in virorum religiosorum incurrit offensionem. Quae quanta esset, praeter cetera Bannesianorum controversia demonstravit. Acces-

[1] V. quae ea de re P. Pachtler in „Stimmen aus Maria-Laach" disputavit a. 1879. et 1880. et praeclarum Caroli Daniel S. I. librum: Des études classiques.

serunt magnarum societatum obtrectationes atque adeo quorundam Sociorum a recto itinere aberrationes. Quibus omnibus rebus abusi Ianseniani socios sibi pugnae asciverunt; imprimis autem — ut ad propositum redeamus — temporis opportunitate tum usi sunt, quum de gratia concertatio exarsit.

Iansenianorum primus ac praecipuus error in hoc versabatur, ut ademptam primo peccato humanae voluntati omnem eligendi optandique potestatem dicerent hominemque vera necessitate compulsum indeliberate eum sequi motum, quo vehementius vel a mala cupiditate vel a gratia incitatus esset. A quo errore quantum distet sententia Bannesianorum, evidens est. Hi enim hominem, sine eligendi facultate, necessitate compelli ad agendum prorsus negant; affirmant autem veram in quaque re et plenam manere potestatem aliter atque cupiditas aut gratia impellat agendi. Cur Dei praedeterminatio necessaria sit, rationem petunt non ab imbecillitate peccantis, sed a conditione omnis creatae naturae, quae nisi adiuvante prima causa nihil agere possit. Nihilominus Ianseniani formulis [1], distinctionibus [2], argumentationibus Bannesianis se tegere conati sunt, ut nihil aliud agere viderentur, nisi communem adversarium, Molinistas, exagitare.

Peropportune accidit Iansenio, quod amicus eius, Gibieuf, Oratorii Pater, libro de Divina et humana libertate conscripto pervulgatam scholae libertatis definitionem impugnavit eamque alia praepostera commutavit. Neque enim recipi Iansenii error prius potuit quam libertas arbitrii obscurata est. Laetabatur *glaciem rumpi* [3] a Gibieuf, libroque summopere delectatus eum cum

---

[1] Imprimis illa: Gratia per se efficax, gratia versatilis.

[2] Illa potissimum abusi argumentatione, quam quidam Bannesiani ex condemnatione Semipelagianismi ducunt, quum pro concesso habent, illos haereticos gratiam ad initium fidei necessariam esse non negasse.

[3] 89. lettre, 8 Avril 1630. p. 229.: „Il sera bon que Semiriste (Gibieuf) rompe la glace.“ De eodem libro in epistolis 82. et 85. loquitur Cuius etsi non omnia sibi probentur, id tamen, de quo potissimum agatur, se comprobaturum dicit. Id autem, quod et ipsi et Vergerio placuit, fuit negatio illius libertatis definitionis, quam e philosophia Peripatetica mutuati scholastici communem fecerant. Atque etiam dogma, h. e., doctrinam Iansenianam, Vergerius in approbatione dicit a Gibieuf, ne quem offenderet, *obscure* significatum esse. „Indifferentiam,“ inquit, „quam non Platonica, i. e., Divina, sed *Peripatetica* disceptatio in puram putam libertatem induxit, hic auctor ita eliminat, ut mirum sit eam *aliquot retro saeculis adolescentiori scholae usque adeo placuisse.* Licet, ne quid eruditioribus viris detrahatur in eorum operibus, quod hic propalatur *dogma delitescat velut in semine* vel tamquam e silice. non mentis

Vergerio approbavit. Sed idem, cui tanta cum Gibieuf necessitudo intercederet, brevi ante quam Patres de S. Carmelo *Cursum theologicum* ediderunt, Salmanticam venerat ibique, quidquid poterat, contra Iesuitas molitus erat. Eum Doctores Lovanienses Madritum miserant, qui suas in Societatem querelas Regi persuaderet. Ea usus opportunitate Universitatum Hispaniae professores societate et foedere sibi adiungere studuit [1]. Nihil igitur admirandum est, fabellam eandem de 30 censoribus simul Lutetiae et Salmanticae venditam esse. Sane nec Gibieuf nec Antonius a Matre Dei, quam falsum esset, quod audissent ac narrassent, sciverunt. Nec cautiores fuerunt quidam Praedicatores, qui mox praeeuntem sectati sunt. Nam Duacenses a. 1634. Alvaresii „Historiae Pelagianismi" alteri editioni, Lemosium appellantes, ascripserunt: triginta iudices cum Clemente VIII. et Paulo V. Pontificibus existimasse, a *Thomistis* contra Molinistas veram SS. Augustini et Thomae doctrinam propugnari [2]. Nec eo loco se continuit Ioannes a S. Thoma. Is enim a. 1637. e Pennae commentariis quaedam attulit, quibus Salmanticensium narrationem confirmaret, et quod Iesuitae per annos sex siluissent, pro argumento veritatis habuit [3].

Ita illi temere Sedis Apostolicae edictum, ne quis Molinistarum doctrinam notaret, vel transgressi sunt vel declinarunt, quum ad Consultorum Romanorum censuras, quas et hi tanto consensu tulissent et Pontifices non infirmassent, provocarunt, et quam hi molem irruentibus fluctibus obiecerant, eam illi perruperunt. Iam etiam libri contra Societatis doctrinam vulgati

---

contentione tamen, sed attentione, non praeiudicando, sed obaudiendo, excudendum. Tanti vero interfuit, non ignorari, nihil ad nostram, quae vel bona vel mala est, voluntatem illam aequalem animi librationem pertinere, ut ex hac potissimum hallucinatione in vitam animi, quae gratia est, ἀμφισβητήσεις, quae theologorum animum etiam nunc distrahunt, dimanarint." Quomodo ille pro Iansenianis „ruperit glaciem" ex hoc loco intelligi licet: „Docet [Augustinus] *libertatem arbitrii opponi* limitationi et servituti, *non* universim *necessitati*, nec tam importare indifferentiam, quam eminentiam . . . eius forma, quantum ex eius [Augustini] dictis elicitur, debet esse *amplitudo* creatis rebus supereminens." Et: „Respondeo Divum Augustinum significasse vitam Dei generationemque Filii eius itemque praescientiam rerum esse actiones liberas, etsi cum immutabilitate et necessitate coniunctas" (L. I. cap. VIII. p. 51.)

[1] Eum Salmanticae fuisse e compluribus eius ad Vergerium epistolis intelligitur; idem narrat Henao in „Scientia media historice propugnata."

[2] Serry, Praefat. p. V.

[3] Disp. 20. in I. p. art. 6. p. 688.

sunt, et in Gallia quidem a. 1644. Tolosae (scriptum erat: Venetiis a. 1607.) quidam tacito nomine (qui erat Reginaldus Ord. Praed.) „Quaestionem theologicam, historicam et iuris pontificii“ edidit, adhibitis, ut Serry censet, commentariis Iacobi Le Bossu. Est autem hic libellus locis mutilatis vel depravatis contextus, scriptus per manifestam Pauli V. et Urbani VIII. decretorum iniuriam. Quamobrem Reginaldus falsum et locum et annum („Venetiis 1607.“) libro inscribendum censuerat, quamquam locos e libris, qui post a. 1607. editi erant, in suum inculcavit. Sed ad eum se applicarunt, quicunque postea rem illam contra Societatem Iesu tractarunt.

Iesuitae, ubi tacendo culpam fateri dicebantur, diutius tacendum non putarunt. Sed praeclaris Ripaldae et Annati refutationibus nihil profectum est. Sopitus ignis erupit, iamque ii, qui eum ad id tempus clam excitaverant, in publicum prodierunt. Ianseniani, Sacrae Sedis iudicio condemnati, eo dolo uti coeperunt, ut Molinianam „haeresim“ tollendam conclamarent. Iis igitur nihil poterat esse acceptius censuris illis, quae Actis ac Diariis Pennae, Lemosii, Coronelli, Le Bossu continebantur, et illa bulla, qua Paulus V. Molinam condemnasse dicebatur. Huius quidem editor Iansenii „Augustini“, Libertus Fromondus (Vincentius Lenis), mentionem facit in eo libro, quem contra Petavium et Dechamps, Patres Societatis, conscripsit [1]; qui se vidisse bullam dicit, „qua 50 Molinae propositiones proscribantur omnisque controversia pro SS. Augustino et Thoma contra Petavium et Ricardum (Dechamps) decidatur; ea si promulgaretur, debellatum fore.“ De quinque Iansenii propositionibus quum ageretur, Ianseniani quoque, ut mox videbimus, illam censuram appellare nunquam destiterunt. Qui cur illas contentiones excitarint, facile est rationem reddere. Nam plurimum eorum intererat, ut renovata controversia discordiam inter adversarios suos, theologos catholicos, atque imprimis familias religiosas sibi invisas accenderent. Atque etiam se latere posse et controversiam theologicam in alium campum traduci sperabant. Haeresim autem suam gratiae a se efficacis integumento velabant, tuebantur, proseminabant. Neque enim illis mendaciores unquam religionis depravatores videntur exstitisse. Itaque mirari non debemus, etsi Iansenius suo libro ut omnes scholasticos, ita S. Thomam impugnaverat, eius autem sectatores *Thomismum*

[1] „Theriaca adversus Dion. Petavii et Antonii Ricardi [Dechamps] libros de libero arbitrio“ (Parisiis 1648.).

ridebant, nihilominus simulasse Iansenianos, se cum *Thomistis* S. Thomae gratiam efficacem tueri. Postremo Molinismum insectantes odium illius ordinis, quem inimicissimum suum habebant, explere eumque vulnerare atque conficere posse videbantur.

Deceperunt illi fallaciter iurando, religiose profitendo, maxime autem turpiter mentiendo, illam a se gratiam efficacem S. Thomae defendi, primum Praedicatores, deinde Iesuitas, denique curiam ipsam Romanam. Quod nulla cum infamia factum est eorum, quos deceperunt. Rectissimum quemque animum affirmatio mendax facillime subire solet. Maiorem autem illis inferas iniuriam, si eos ad Iansenii errores propendisse arbitrere. Quod dum studiose cavemus, quid postea gestum sit, narrare pergemus [1].

Omnes fere Galliarum Episcopi ab Innocentio X. communiter petierant, ut iudicium Apostolicum de illis quinque propositionibus ferret, quas non Iesuita nescio quis, sed Facultatis theologicae Parisiensis syndicus Cornetus e Iansenii libro excerpserat. Pontifex statim Prid. Id. April. congregationem Cardinalium constituit eisque 13 Consultores e variis religiosis Ordinibus adiunxit, in his Praedicatores duos (P. Vincentium Candidum, Magistrum s. palatii, et P. de Pretis, Commissarium s. officii), magistrum generalem Ordinis S. Augustini Vicecomitem, denique Wadding e Fratribus minoribus et Pallavicinum e Soc. Iesu. Illi per annos amplius duos consultarunt. Interea circumcursando, adulando, machinando Iansenianorum emissarii, quorum dux erat St. Amour, circumvenire Pontificem conati sunt. Flagitare instituerunt, ut disputare sibi cum adversariis liceret, quemadmodum de Auxiliis disputatum esset: id Pontifex repudiavit, nihil enim isto modo profici. Tum se defendere *Thomistarum* gratiam a se efficacem, negligere autem Iansenium simularunt. Iesuitas callidissimo artificio omnem de gratia a se efficaci doctrinam illis quinque propositionibus conclusisse, ut hoc fidei dogma illis condemnatis labefactarent. Mense autem Februario anni 1652. scripto Pontifici oblato asseverarunt: 1. tantum *versatilem* gratiam sufficientem liberoque subiectam arbitrio, qualem Molina defendisset, a se

---

[1] Rapin, Mémoires sur l'Église et la Société, la Cour, la Ville et le Jansénisme, publié par L. Aubineau, Paris 1865. Vol. alterum. Rapin amicus erat Albizii, qui aliquando secretarius fuerat congregationis ad Iansenii quinque propositiones examinandas institutae, quo administro ipsa acta ei exscribere licuit.

impugnari, 2. id unum in illis quinque propositionibus defendi, quod ad gratiam efficacem pertineret, 3. nihil se Iansenium curare, nec eius librum tueri. Quibus artificiis quum alios theologos, tum insignes Dominicanos, praesertim P. Reginaldum et utrumque illius Congregationis consultorem, fefellerunt, ut hi damnationem quinque propositionum, quas iam pridem a S. Thoma damnatas esse Billuart merito dixit, impedire conarentur. Qui proscriptis quinque propositionibus intelligere potuerunt, quantopere a Iansenianis delusi essent. Et reapse Stephanus Dechamps Soc. I. (l. 2. de haeresi Iansen. disp. 6. c. 9.) negavit, „acriores esse Iansenianismi adversarios illis theologis, qui vel in ipsa familia Dominicana vel e scholis eorum profecti doctrinae copia ingeniique acumine praestarent." Quinimmo Ianseniani aliquando questi sunt, quod illi sibi plus nocuerint, quam vel ipsi Moliniani [1].

Sed Ianseniani, ut diximus, saepe visi sunt doctrinam Bannesianorum a sua plurimum discrepantem profiteri. Fraude enim ac simulatione illa secta sustentabatur, fovebatur, propagabatur. Etenim edita bulla quum Summus Pontifex regesque Galliae et Hispaniae omni studio ad illam haeresim exstirpandam incumberent, Ianseniani, ut se tuerentur, ita se obtemperare simularunt, ut de sententia minime desisterent, seque *Thomisticis*, quemadmodum supra diximus, verborum formulis ac distinctionibus tegerent. Sed quoniam in plurimis libellis, ut Molinianos calumniarentur, perpetuo actis Lemosii vel Pennae utebantur atque etiam aperte ad ea provocabant, Innocentius X. a. d. IX. Cal. Mai. 1654. sollemniter declaravit, eiusmodi actis *nullam omnino fidem esse adhibendam* [2]. Nihilo secius illi libellis Molinismum exagitantes a Sede Apostolica proscriptum esse mentiebantur ipsosque Iesuitas circumvenire studebant, ut suam „Thomismi" simulationem comprobarent. P. Ferrier consensit, ut colloquia cum Lalane et Girard apud Choiseul Convenensem Episcopum haberet. Illi se paratos ostenderunt *Thomistarum* doctrinam amplecti. Nihil P. Ferrier amplius requirebat. Sed ubi instare coepit, ut id, quod pol-

---

[1] Apud *Quesnellum* litterae *Walloni* repertae sunt, in quibus haec leguntur: „16 Sept. 1702. Ces gens-là font plus de tort à la vérité et à la bonne cause que des Molinistes declarez." Liv. de Meyer, praef. art. 5.

[2] Manifestum est, non publicam tantum iuris auctoritatem illorum actorum, quam nemo defenderat, hoc decreto negari. Serrii cavillationes, cuius tota Historia in illis innititur, facile est refutare. Sed quoniam non vacat nobis, id eo securius omittimus, quod ad rem propositam non fere pertinet, verane illa sint an falsa, diiudicare.

licebantur, exsequerentur atque omni ambiguitate abstinerent, declinarunt idque negarunt, quod ante confessi erant. Ille aliquando fraudem perspexit nec vero prohibuit, quominus in vulgus spargeretur, approbatam ab ipsis Iesuitis doctrinam Ianseniano-rum, et quaedam propositiones divulgarentur, haeresis veneno infectae, de quibus inter utrosque convenisse dictitarent.

Fraude aliquanto maiore in „pace Clementina" usi sunt eadem adhibita simulatione gratiae a se efficacis Thomistarum. Alexandri VII. formulam, secundum quam iurare iussi erant, se quinque propositiones ita condemnare, ut a Iansenio essent intellectae, quatuor Episcopi Ianseniani litteris pastoralibus, usurpata iuris et facti distinctione, enervarant atque adeo sustulerant. Pontifex litteras reprehendit ipsosque rege consentiente officio privare instituit. Omni igitur exitu ad evadendum praecluso, sese paratos esse simularunt, *sine exceptione* formulae subscribere. Quid igitur fecerunt? Pontifici et Episcopis, qui pacem conciliarant, se sincere et sine ulla exceptione subscripsisse nuntiarunt et hac una conditione veniam a S. Sede impetrarunt. Sed quum subscriberent, processus verbales, quos diligenter occultabant, confecerant, quibus iuris et facti quaestionem distinguebant: de facto non fidem ab Ecclesia, sed silentium officiosum requiri; ita condemnandas esse propositiones, ut eas Ecclesia intellexisset, sed id ad SS. Augustini et Thomae gratiam per se efficacem non pertinere. Interim illi processus verbales celabantur, iter Romanum a regni administris diligenter servabatur, ne quid de tanta iurandi temeritate Romam exiret. Qua *pace* composita ad subscriptionem Ianseniani, in quibus fuerunt ipse Arnauld et religiosae Portus Regii, convolarunt.

Pace aliquamdiu fruiti sunt. Tanto studiosius libellos atque etiam opera ampliora contra Molinismum, gratiam *versatilem* solutamque Iesuitarum de moribus doctrinam divulgarunt. Quorum omnium numerus iniri vix potest. Nec responsa deficiunt aut responsorum impugnationes. Artificio autem illo, quo se gratiam a se efficacem propugnare simulabant, in certamen revocati sunt Bannesiani. Ita tanta librorum moles accrevit, ut omnis scriptio theologiae in hac una de gratia controversia verti videri possit. Praecipuam disputandi materiam Iansenianis acta Congregationum de Auxiliis suppeditaverunt. De quibus quum primi Arnauld et Quesnel (libro: „Tradition de l'Église") scripsissent, tandem amplissimum volumen conflatum est Augustini Le Blanc, quod inscribitur: Historia congregationum de auxiliis auctore

Augustino Le Blanc, S. Th. Doctore, Lovanii 1699. Haec, si quidquam aliud, veterem controversiam accendit materiemque igni perpetuam admovit; ex hoc enim opere arma sibi acerrimus quisque nostrae doctrinae adversarius comparavit. De eo igitur paullo videtur uberius dicendum esse. Quod invitus quidem facio; sed quum hic liber etiamnum magna apud eruditos auctoritate potiatur, nisi hanc convellere contigerit, nihil fecisse nobis videmur.

„Mysterium" eius originis (ut quidam initiatus loquitur [1]) apertum est, quum Quesnellus Bruxellis publice comprehensus eiusque tabularium introspectum est. Etsi ipse evasit, tamen scripta eius iudicii exercendi argumenta Archiepiscopo Mechliniensi subministrarunt. Sententia in eum lata praeter cetera haec continet: „Quesnellum concurrisse ad impressionem Historiae Congregationum de Auxiliis sine ulla approbatione Censoris ordinarii et non exspectata Censura nostra." [2] Archipraesulis procurator in *Causa Quesnelliana* (art. XXII. p. 468 ss.) rationes latae sententiae exponit et P. Livinus Meyer in praefatione Historiae Congregationis de Auxiliis et primo capite Historiae Vindicatae ex litteris ablatis Quesnelli breviter narrat, quomodo illud opus confectum vulgatumque sit.

P. Norbertus d'Elbecque Ord. S. Domin., cui familiaris consuetudo cum quibusdam Iansenianis intercedebat, qui se *cursorem Thomistarum* ipse appellabat, ipso iam anno 1692. cuidam Ianseniano Parisios nuntiavit, Romae quoque ab homine docto Historiam Congregationum de Auxiliis scribi. Amicus ille Parisiensis brevi post, litteris datis a. d. IV. Cal. Nov. 1693., rerum copiam septem voluminibus congestam P. Norberto obtulit eundemque

---

[1] Du Vaucel in litteris ad Quesnellum missis a. d. IV. Non. Aug. 1698: „Je sçavais le mystère touchant l'ouvrage du Sr. Banneretti." Hoc fictum nomen erat Serrii. Nam Quesnellus caverat, ut in omni litterarum communicatione falsis nominibus uterentur, quemadmodum Iansenius fecerat in litteris ad Cyranum. Contigit autem, ut in illorum interpretationem veniretur, et „Causa Quesnelliana sive motivum iuris pro procuratore curiae eccl. Mechliniensis actore contra P. Quesnellum" (Bruxellis 1724.), quo scripto Archiepiscopus suam in Quesnellum sententiam explicavit ac defendit, p. 319. plus 200 pseudonyma interpretatur.

[2] Haec tota sententia habetur in appendice Causae Quesnellianae et apud Liv. de Meyer, Praef. art. 6. p. XXXIV. Serry illam operam iudicio demonstratam a Quesnello praestitam esse negat: bibliopolam se inscio librum Quesnello ostendisse, ut resciret, quanta eius vendendi spes esset. Quesnellus ipse audacius omnia negat in suo „Motif de droit" p. 165., nihil prorsus se ad libri editionem contulisse nec cum ullo typographo locutum esse affirmat.

postea consilio adiuvit. Ille scriptor Romanus ipse fuit P. Hyacinthus Serry Dominicanus. Qui ex actis Pennae et Lemosii et Coronelli, additis rebus a Iansenianis subministratis, amplissimum volumen Historiae confecit. Quam scriptam ad *cursorem* misit, ut in Belgio typis ederetur. Is eam Serrio inscio ad Quesnellum familiarem suum detulit. Magna Romae laetitia exstitit, sed accessit timor, ne ille Oratorianus suas opiniones Iansenianas operi aspergeret. De quo timore Vaucel Iansenista Roma ad Quesnellum sic scribit: „Heri ad Minervam occurrit mihi P. Massoulié; is magnopere se gaudere significavit, librum de Banneretti [P. Serrii] in Tuis esse manibus. Idem de P. Reginaldi libro locutus est, de quo nihil admodum audiverat, ex quo istuc missus est. Thomismum quum pro aris focisque tueatur, non dissimulavit timere sese, ne qua in utroque opere immutares, quae suae scholae rationibus minus consentanea essent, ac duriora quaedam ingereres, quae in malam interpretationem possent incurrere. Quem ego securum esse iussi.“ Nec timore caruit Serry gavisusque est, quum Quesnellus propositionem a Iansenio improbatam: gratiam a se efficacem ante ipsum originale peccatum necessariam fuisse, non delesset. Immo vero adeo ei Quesnellus satisfecerat, ut ei facultatem aliqua mutandi in quibusdam apologiis Historiae suae ipse concederet. Pro labore autem in Historiam impenso Norbertus familiaris duodecim exempla ei obtulit [1].

In litteris du Vaucel, quas commemoravimus, significatur, Reginaldi quoque magnum opus De mente Concilii Tridentini a Quesnello in Belgica editum esse. Id primo Roma ad Arnaldum missum est, qui pretium missionis libens solvit. Rem non confectam Quesnello Oratoriano, qui dux Iansenianorum eo mortuo fuit, reliquit. Vulgatus est liber sex septemve annis postquam Iansenianis traditus erat. Alius praeterea liber, Acta Lemosii, cura Iansenianorum de nostra controversia editus est. Nam P. de Viaixnes O. S. Bened., horum actorum editor, plurimum illis favit ob eamque causam a Ludovico XIV. in vincula coniectus est; praefationem Quesnellus scripserat, sed eam censores edi non sunt passi.

Quum Bruxellis Historia Congregationum tota typis descripta

---

[1] „Mons 12 Juin. M. de Frêne [Quesnellus] mérite assurément bien dix exemplaires et plus pour ses peines. C'est pourquoi je lui en offre très-respectueusement et avec mille actions de grâce une douzaine.“ Causa Quesnelliana p. 471.

esset, eius divulgandae venia impetrata non est. Quesnellus facile se expedivit. *Moguntiam* vel *Lovanium* libro inscribendum curavit. Metuebant etiam, ne liber in Indicem referretur [1]. Quare auctoritatem sibi splendidis approbationibus comparare studuerunt. Quesnellus ipse praescripsit [2], quales eas esse oporteret, et quibus rationibus in iis impetrandis satisfaciendum esset censoribus. Nec veritus est ipsarum approbationum verba immutare.

Sed iudicem eius praestat audire illius criminis argumenta proponentem. Procurator curiae archiepiscopalis Mechliniensis in Causa Quesnelliana (p. 471 ss.) typis vulgata de Quesnelli opera ad Historiam collata ita scribit (p. 471.):

„*P. d'Elbecque* se signans *Le Postillon des Thomistes* scribit nomine Patris *Serry* qui embryonem operis istius conceperat, *Quesnelli* Secretario Montibus 12. Iunii (annus non additur). *M. De Fresne mérite assurément bien dix exemplaires, et plus pour ses peines. C'est pourquoi* (p. 472) *je lui en offre très-respectueusement, et avec mille actions de grâce une douzaine.*

„Certe *dignus est operarius mercede sua;* donum illud satis meruerat improbus *Quesnelli* labor, quo embryoni illi lineamenta dederat artificio satis insigni expressa, multumque foetum illum discordiae, conquisitis ex Gallia monumentis, auxerat, et sub ementitis rationibus approbationes ei sollicitaverat, quas ad sensum suum mutavit, vel, si ita velit, politas magis reddidit: 1. Aug. 1699. ita scribebat Quesnello D. Navaeus: *Je vous dirai en un mot, que le R. P. Verdin a donné l'approbation dans les termes les plus magnifiques qu'il a pû. Nous vous l'enverrons quand nous avons nouvelle assurée du R. P. Henri. . . M. le Théologal donnera aussi la sienne avec bien du plaisir.* Interim placeat notare quomodo pro auctoritate sua approbationes illas immutarit Quesnellus. 1. Augusti 1699., ut iam diximus, dare adhuc debebat D. Denis Theologalis approbationem suam, et uti prostat in historia impressa, data fuisset 7. Martii 1699.; sed ostendimus in originali, ut Quesnellus loco 8. Augusti manu sua substituerit 7. Martii. Approbationem P. de Hondt, Presbyteri Oratorii Be-

[1] De qua re Vaucel Roma ad Quesnellum sic retulit:

6 Déc. 1698. Quelsquels additions que vous y mettiez, il sera difficile de la sauver de la censure, à cause de certaines rubriques que l'on a icy.

13 Déc. 1698. La *Causa Arnaldina* échappera sans doute plus aisément la censure que l'Opéra du Sr. Banneretti.

Revera Inquisitores Hispaniae librum notarunt.

[2] Apud Livinum de Meyer, Praef. Art. 2. p. 11. 12.

rulliani, qui non erat librorum Censor, praefixam isti historiae, totam confecit et manu sua exaravit Quesnellus, uti per autographum eius probavimus.

„In approbatione vero, quam ad opus illud dedit P. Verdin Minimus, cum approbator scripsisset: ‚*Historias Congregationum de Auxiliis Divinae Gratiae* 4 hisce libris ab Eximio Domino Augustino le Blanc, S. Theologiae Doctore, fideliter expositas diligenter et cum singulari animi aviditate attente pervolvi, in quibus animadverti auctorem radiis et amore veritatis perfusum, perspicacissime earundem malignos depravatores detegentem ac refutantem, etc. Datum Leodii die S. Ignatio sacra 1699.‘: sic immutavit Pater *Quesnellus:* ‚Ad Laudem Gratiae omnipotentis, Apostolicae Sedis honorem et Augustinianae Thomisticaeque Scholae defensionem, prodit tandem in lucem integra ac sincera Historia Congregationum de Auxiliis Divinae Gratiae 4 hisce libris ab Eximio Domino Augustino le Blanc S. T. D. fideliter exposita, in quibus videre est auctorem radiis et amore veritatis perfusum, perspicacissime eiusdem Historiae malignos etc. Datum Leodii ultima Iulii 1699.‘ Iudicio P. Agathangeli varia addidit Quesnellus, titulumque libri ab approbatore scriptum immutavit. Hunc etiam eius Secretarius inscribere debuit approbationi P. Henrici, qui certo Historiam illam non legerat, uti ex praecitata epistola D. Navei facile fuit eruere. Imo [p. 473.] cum omnes illae approbationes circa idem plane tempus, quo opus illud sub praelo Bruxellis gemebat, concessae fuerint: videmus Theologos illos Quesnelli iudicio et confictis motivis (consignatis sub eodem n. 114.) detulisse, ne visa quidem Historia illa; atque insuper tanto clarius apparet, Quesnellum hac in parte excessisse, cum non tantum Decretum Regii Senatus contempserit, verum et eluserit statutum Sacrosancti Concilii Tridentini, volentis, ut ab Ordinario Dioecesis, *in qua impressio fiet,* approbatio praevie habeatur; imo ne quidem habuerit censuram alicuius Theologi, qui totum opus mature pervolverat, et tota lege perspecta iudicium de Historia illa tulerat.

„Profecto tanta Ecclesiasticorum et Regiorum Decretorum contemptrix arrogantia gravi meretur poena reprehendi: nam, ut habetur proverbiorum cap. 16. v. 5. *Abominatio Domini est omnis arrogans,* et si in ullo casu, in hoc obtinet regula iuris: *Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.*“

Quesnellus elegit, qui librum reviserent, eos viros, in quorum scriptis auctoritatibus aliquantulum immutare atque corrigere

sibi licere videretur. D. Denis, theologalis, Leodii ea docebat, quae ab academiis Lovaniensi et Duacensi publice notarentur; Quesnellus officiose promisit, se illum defensurum esse, id quod brevi post praestitit libro, quem „Iustification de la doctrine de M. Henri Denis" inscripsit. Ita ille, si qua de re dubitaret — de nulla autem dubitavit —, aliquid necessario indulgebat. Pater autem Henricus a S. Ignatio librum Leodii vulgavit a. 1709., quam „Ethicam amoris" appellavit; ei fictam vulgandi facultatem vicarii generalis Leodiensis praescripsit, quam nec impetrarat unquam nec impetraturus esse videbatur, quia manifesti errores Ianseniani in eo continebantur.

Sed mutata etiam quaedam esse in illo opere a Iansenianorum duce tum in illis litteris satis significatur tum ex universo libro intelligitur.

Fierine potuit, ut P. Dominicanus in Societatem Iesu talia ederet convicia, qualibus ille liber deformatur? Nam de ipsis etiam astrologiae superstitionibus Iesuitae insimulantur! [1]

Comma quoque famosum in extrema bulla contra Baium edita defenditur [2]; sed eundem usum habebat, quem posterior facti iurisque distinctio Iansenianorum: ut post tot Pontificum decreta liceret *Propositiones damnatas* ita defendere, ut eas earum auctores intellexissent.

Atque etiam hoc in Historia ostenditur, Calvinianos *Thomistarum* disputationibus usque adeo emendatos esse, ut vel mitigatis vel correctis pristinis erroribus *ad Ecclesiae doctrinam saltem in eo capite* [de gratia] *paene convolarint* [3]. Cuius rei exemplum praeter alia illud Petri Jurieu affertur: „Gratiam praevenientem,

---

[1] Lib. III. c. 7. p. 382. 383. et IV. c. 5. p. 608.

[2] Legi constat in extrema illa bulla ab obstinatis quibusdam Baianis et Iansenianis: „quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, etc." Id Serry (l. IV. c. 16. p. 678—681.) pro veritate luce clariore defendit et scriptorem appellat „Documentorum ad historiam Academiae Duacensis pertinentium" („Mémoires importans pour servir à l'histoire de la Faculté de théologie de Douai"), quem librum illa academia statim ob errores Iansenianos et *calumnias* in eo propositas publica reprehensione notavit. Eius autem auctor ipse fuit Quesnellus, ut in iudicio demonstratum est. Qui quum idem mendacium in opus Serrii inculcasset et pro re exploratissima proposuisset, paullo post (1700.) ad hunc ipsum librum „omnium approbatione ac laudibus commendatum" provocat in „Justification de la doctrine de Henri Denis" p. 56. Atque in hunc modum illa secta et existimationem sibi et sectatores conciliavit.

[3] L. III. c. 46.

determinantem, atque etiam *irresistibilem* profitentur Ecclesiae nostrae. Credimus scilicet, nos ad singulos actus bonos Spiritus Sancti gratia praeveniri et ad bonum speciali efficacia determinari, quae in electis victrix semper sit. Firma porro fide profitemur, eam Divinae Gratiae energiam, qua voluntas ad bonum *necessario* determinatur, *libertatem* minime laedere.“ [1]

Quae ipsa nuda est Calvini sententia, eo differens a Iansenismo, quod gratia in electis semper victrix esse dicitur. Haec causa fuisse videtur, cur illi ad Ecclesiae doctrinam *paene* accessisse dicerentur; emendati autem existimantur, quod in principale dogma Iansenii, cum *necessitate* stare *libertatem,* aperte consentiunt.

Hos aliosque eiusdemmodi locos si non ab aliquo ex Praedicatoribus, sed a Ianseniano scriptos esse dixerimus, nihil profecto de illorum honore detraxerimus.

Ea, quae hactenus diximus, satis demonstrant, quam sit incerta „Historiae“ auctoritas. Quae enim mendacior unquam secta fuit, quam Iansenianorum? Quesnellum ipsius amici de quibusdam commonuerunt. Eadem tamen in Historia Congregationum vel ipse rursus posuit vel intacta reliquit. Hennebel ad eum scripserat, Vianen epistolam P. Lupi suo nomine signatam et in Quesnelli „Apologie historique des deux censures de Louvain et de Douai“ vulgatam (p. 464.) pro sua non agnoscere. Nihilo minus eadem cum verbis ipsis, quae ille reprehenderat: *adeoque et imprimi,* adscripto etiam nomine Vianeni conspicitur in Historia (l. I. c. 9. p. 60.). Item ille monuerat, quod in Apologia (p. 471.) dictum esset, legatorum academiae Lovaniensis narrationem earum rerum, quae Romae gestae essent, Belgicae administratori a legatis (atque ita etiam a Vianen) traditam esse, hunc reclamare, quod illam se invito a solo Lupo traditam diceret. Idem tamen mendacium in Historia (l. I. c. 10. p. 69.) repetitur. Alia falsa quamquam ab amicis monitum scripsisse Quesnellum, P. Livinus de Meyer in Hist. Congr. de Aux. (praef. art. 7. p. XXVIII.) demonstrat; idem omnem errorum telam duobus voluminibus dissolvit. Talis est laudata illa Serrii Historia congregationum de auxiliis. Falsum est, quod auctor negat Quesnelli opera librum editum esse; id enim iudicis sententia probatur; falsum nomen urbis in fronte libri positum; depravatae approbationes; *nulla omnino fide* digna Acta Coronelli, Pennae, Lemosii, unde res in

---

[1] De natura et gratia cap. 9. Ed. Roterodam. p. 119. Vocem „irresistibilis“ Serry vel potius Quesnellus scriptura distinxit.

Historiam translatae sunt; postremo tota conspersa atque intertexta est erroribus, criminationibus, depravationibus [1]. Ac tamen ex hoc armario argumenta suae causae sibi depromere adversarii consueverunt ad Societatis de gratia doctrinam impugnandam. Quam autem misere perturbati animi tam diuturna contentione fuerint, vix ulla res alia clarius demonstrat, quam quod magni theologi, velut Billuart, illud opus summis laudibus praedicant studioque acerrimo defendunt.

Supra dixeramus brevi post vulgatam Serrii Historiam Acta quoque Lemosii, e quibus magnam partem derivata est, a P. de Viaixnes edita esse. Is nominis Augustini Le Blanc simulationem patefecit. Sed haec illa sunt acta, quibus Innocentius X. *nullam omnino fidem esse adhibendam* declaravit.

Contra utrumque (Lemosium et Serrium) scripsit Livinus de Meyer. Opus inscripsit „Historiae controversiarum de divinae gratiae auxiliis sub summis Pontificibus Sixto V., Clemente VIII. et Paulo V. libri sex, auctore Theodoro Eleuthero“ (Antverp. 1705.). Serrius autem quum alteram sui operis editionem cum Apologia item Antverpiae edidisset, ille a. 1715. hanc sui defensionem addito nomine vulgavit: „Historiae controversiarum de divinae gratiae auxiliis sub summis Pontificibus Sixto V., Clemente VIII. et Paulo V. ab obiectionibus R. P. Hyacinthi Serry vindicatae libri tres.“ Utrumque volumen iterum 1742. Venetiis editum est.

P. Livinus merito non illis actis congregationum confidit a S. Sede non agnitis, sed amplissimam molem affert scriptorum, ad dogmatis rationem potissimum pertinentium, quae ante ignota fuerant, ut et ad historiae scriptionem et ad veritatis explicationem non parum adiumenti attulerit. Ipse Serry non fere audet infitiari genuina esse illa, quae afferuntur; sed eorum vim ad rem propositam demonstrandam extenuare solet. Multa P. Livinus ex Possino mutuatus est nec tamen ita singula persequitur, ut illo possis carere. Nonnunquam subirate pugnat, sed immoderatis criminationibus a Le Blanc lacessitus facile excusatur.

Duo illa maxima Serrii et Meyeri opera librorum turba comitata est. Nam de historia congregationum de auxiliis plus triginta annos litigarunt scriptores, atque adeo ante editam Serrii

[1] Negat tamen Serry, Historiam suam vel in apice minimo posse falsitatis convinci, Réponse aux questions importantes, p. 400.

Historiam pugnari coeptum est. Nec vero quidquam allatum est gravis argumenti, quod apud illos non invenias.

Ad Meyeri „Historiam vindicatam“ Serry non respondit. Nam ut illum „responsionis honore dignaretur“, se voluerat ex tabulis congregationis refutari, ne in illud Scripturae offenderet: „Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam.“ Conditioni satisfieri non potuit, quod acta genuina a S. Sede edita non erant, ceteris vero fides omnis abiudicata. At Billuart *iustissimas rationes,* cur ille tacuisset, approbans responsum illud fastidiosum et indignam Scripturae usurpationem divulgavit [1]. Ipse temperare sibi non potuit, quominus Serrii Historiam libro illo: „Le Thomisme triomphant“ (1725.) defenderet. Eo permagnam excitavit indignationem multorumque calamos acuit. Mortuum enim Fenelonem aggressus est; nec vero illius librum legerat atque ea narravit, quae ille nunquam dixisset; fateri coactus est, se ab amico deceptum [2]. Idem accenso iam certamine hoc alterum opus emisit: „Apologie du Thomisme triomphant. On iustifie aussi par occasion l'Histoire des Congrégations de auxiliis du P. Serry contre les chicanes de ses adversaires.“ (Liége 1731.)

„Historiae“ scriptione Serry gratiam iniit Quesnelli atque Iansenianorum [3]. E quibus Codde, Sebastensis Archiepiscopus, vicarius Apostolicus Bataviae missionum et schismatis in illis locis auctor, ut familiaris eius Krys Brigodio Quesnelli amanuensi a. d. VI. Id. Ian. a. 1700. nuntiavit, in hunc modum scripsit: „Historiam Congregationum de Auxiliis opus esse plane insigne, cuius fructus ad finem saeculorum permansuri essent.“ Idem, quum eodem anno cum Krys iter Romam faciens Patavium venisset, temperare sibi non potuit, quin Serrium, qui in ea urbe docebat, inviseret. A quo audivit, *quanti Quesnellum eiusque sanctissimam familiam faceret.* Errare enim non videmur, quum Binerum [4] secuti compendium illud *le P.,* quod Krys in litteris de itinere Patavino a. d. XV. Cal. Ian. anni 1701. ad Brigodium missis usurpat, *le P. Serry* interpretamur. Idem ille alteris ad Brigodium

---

[1] Diss. 6. art. 6., de scientia media, § 8.

[2] Cuius laudator P. Labye in „Vita auctoris“, quae compluribus Billuarti editionibus praemittitur, id non potest non fateri. „Alter,“ inquit, „amicus textum primae Epistolae D. de Fénélon ad Quesnellum adulteratum sibi subministrat. Noster auctor in fide sui amici aetate et eruditione venerandi textum allegat.“

[3] Meyer, Hist. Praefat. Art. III. IV.

[4] Apparatus eruditionis t. VIII. (1762.) p. 382.

litteris datis III. Non. Iun. 1702. narrat, quae inter Serrium et Coddium necessitudo esset, in hunc modum: P. Serrium nihil optare ardentius, quam ut *Historia Congreg. de Aux.* denuo typis describeretur; litteris ad P. Rivium (d'Elbecque) magnopere laudasse D. Godefridi scripta [quae Coddii scripta postea a Pontifice damnata sunt]. Cum Quesnello erat ei familiare commercium litterarum. Ut primum famosus ille *casus conscientiae* Clementis XI. litteris (datis prid. Id. Febr. 1703.) proscriptus est, imminuenda proscriptionis vi *Iansenianorum familiam* consolari tentavit. Sic enim V. Non. Mart. (1703. vel 1704.) ad Quesnellum scribit: „non ob factum Iansenii [h. e., distinctionem Iansenianam *iuris et facti*] illum proscriptum esse; nihilominus bonos illos Patres factum intellecturos.“ Sic ille iudicii ecclesiastici de illo casu conscientiae tamquam nervos intercidit idque litteris ad Quesnellum, illius machinationis auctorem praecipuum, qua Ianseniana iuris et facti distinctio in Ecclesia stabiliretur. Idem longius progressus est. Promulgata Bulla *Unigenitus* quid fecerit, Albertinum, illius et in religione socium et in professoris munere Patavii successorem, exponentem audiamus.

„Hyacinthus Serry,“ inquit, „haud certe ex prava animi sententia — quod avertat a me Deus ut vel suspicer — sed ex sola systematis sui praeoccupatione *theologiam supplicem* ad Sedem Apostolicam dedit, in qua declarari sibi postulat, quomodo Quesnellii sui propositiones damnaverit. . . Eadem sola animi praeoccupatione etiam Eusebius noster Eraniste in opere, quo celeberrimam Benedicti XIV. Encyclicam ad clerum Gallicanum vindicat (Epist. 4. ed. Lugan. 1757. p. 110.), eandem Constitutionem „Unigenitus“ *alogam* vocat, ne dicam ineptam: La Bolla „Unigenitus“ (inquit) non si spiega con maniera chiara e precisa, nè quanto al vero legittimo senso delle proposizioni dannate, nè quanto alle censure o qualificazioni, che a ciascuna proposizione convengono, sicchè restiamo incerti e dubbiosi e intorno all' oggetto della sua decisione e intorno alla qualità del vizio, che corrompe ogni proposizione.“

Abest plurimum, ut id, quod Serry fecit, factum putemus ab Ordine Praedicatorum, quo fortiorem nec Ecclesia defensorem, nec haeresis hostem habuit; sed illud praetermittendum non fuit, ut et quam nulla fide digna esset Serrii Historia, cuius auctoritate in hodiernum diem eruditi viri uti soliti sunt, demonstraremus, et quantas insidias, insectationes, iras Ianseniani adversus Molinianos instruxissent, excitassent, fovissent, incendissent, in-

telligeretur, et appareret, quam turpiter actum esset cum quibusdam theologis, quod cum religiosorum Ordinum et Scholae inimicissimis Societatem Iesu tantis clamoribus et conviciis exagitarent. Quae consensio causa fuit, cur illi, ut ab Apostolicae Sedis censuris se defenderent, tanto studiosius illam veterem, falsam, saepe repressam cantilenam redintegrarent, suam haeresim doctrinam esse *Thomistarum.* Sed ea occasio fuit Sedi Apostolicae, ut alia edicta, quae ad hanc controversiam, quam agimus, pertinerent, promulgaret.

Clemens XI. ab examinandis Quesnelli propositionibus Iesuitas removerat, ne ansam offerre videretur Iansenianis de iudicii iniquitate conquerendi. Ergo Praedicatores asciverat. Nihilominus conclamatum est, illa Bulla S. Thomae doctrinam de gratia a se efficaci damnatam esse. Noailles, Cardinalis et Archiepiscopus Parisiensis, caput reluctantium, quum Card. Orsinus Ord. Praed., amicus eius, Pontifex electus esset, ad eum scribens hac usus est excusatione: se ideo illi Bullae refragatum esse, quod timeret, ne quis eam ita interpretaretur, ut SS. Augustini et Thomae doctrina proscribi et scholae Thomisticae libertas constringi videretur. Cuiusmodi excusationibus ut occurreret [1], Pontifex Pipiae, magistro generali Praedicatorum, mandavit, ut libello sibi oblato de malevolis hominibus (Quesnelli sectatoribus), qui Bulla *Unigenitus* proscriptam esse doctrinam Thomistarum calumniarentur, expostularet. Quo facto Benedictus XIII. a. d. VIII. Id. Nov. litteris brevibus — quarum haec sunt prima verba: *Demissas preces* — consolatus est Praedicatores de illa querela, quod SS. Augustini et Thomae doctrina proscripta diceretur; calumniam illam esse Bullam eo consilio interpretantium, ut ipsi fides derogaretur. „Magno igitur," inquit, „animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris, de gratia praesertim per se et ab intrinseco efficaci ac de gratuita praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis et quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino et Thoma se hausisse et verbo Dei summorumque Pontificum et Conciliorum decretis et Patrum dictis consonas esse *Schola Vestra commendabili studio glorietur.*"

Postulatum erat a Pontifice magno studio, ut pro illis verbis: *commendabili studio gloriatur,* substitueretur: *iure gloriatur;* scilicet

---

[1] Haec ipsis verbis refero Patris Bauer, qui de ea re disseruit in „Stimmen aus Maria-Laach" VII. 496.

rem praedicari, non personam, *Thomismum* laudari, non *studium* Thomistarum cupiebant. At Pontifex nihil nisi defendere illam scholam ab obiecta suspicione alicuius cum Quesnelli doctrina consensionis et notae Ecclesiasticae inflictae, minime vero illam controversiam Molinianam dirimere voluit, num eadem esset *Thomistarum* ac SS. Augustini et Thomae doctrina, num illa recta esset ac vera, contraria autem falsa necne. Idem propositum fuit Bullae, cuius initium est *Pretiosus*, qua idem Pontifex plus duobus annis post, a. d. VII. Cal. Iun. 1727., Praedicatores defendens quodam loco (n. 30. al. 41.) vetuit doctrinam Thomistarum ulla macula aspergi, quasi cum erroribus a Sancta Sede proscriptis, nominatim Iansenii et Quesnelli, consentiret, omnesque theses ac libros, quibus id affirmaretur, condemnavit.

Sed quum essent, qui his scholae Thomisticae laudibus contra Societatis Iesu doctrinam de gratia abuterentur, Clemens XII. a. d. VI. Non. Oct. 1733. confirmatis Clementis XI. et Benedicti XIII. Constitutionibus *nihil detractum esse voluit ceteris catholicis scholis diversa de gratiae efficacia sentientibus* [1].

Doctrinam Bannesianam 18. saeculo insigni laude defenderunt Billuart et Card. Gotti; prioris Theologia, ut fuit praestantissima, ad illam propagandam non parum valuit. Inter eius adversarios, ut omittam Eusebium Amortum Ord. S. Aug., eminet Tournely, Doctor Sorbonicus. Eum *Molinaeum Doctorem* Billuart appellat, quo honore sane dignus est, etsi aliquam cum Molina controversiam habuit. Quod quidem tanto minus mirum videri debet, quod Ianseniani tot adversus Molinismum et Probabilismum calumniis omnium existimationem iudiciaque occupaverant, ut in ipsa Societate essent, qui et constantem Nostrorum de gratia doctrinam studiosissime defenderent et Molinam desererent; in quibus fuit P. Daniel. Eadem vulgari opinione deceptus Tournely, quemadmodum supra vidimus, praecipua contra Molinianos propositione eam illis sententiam tribuit, quam ipsi inter stultissimas abiecerant. (Praelect. de grat. Chr. q. 7. art. 4. 2ª conclus. ed. Paris. tom. II. p. 431.)

Diuturnae illae atque acerrimae cum Iansenianis discepta-

[1] „Mentem tamen eorundem praedecessorum nostrorum compertam habentes, nolumus aut per nostras aut per ipsorum laudes Thomisticae scholae delatas, quas iterato nostro iudicio comprobamus et confirmamus, quidquam esse detractum ceteris catholicis scholis diversa ab eadem in explicanda Divinae gratiae efficacia sentientibus, quarum etiam erga S. Sedem praeclara sunt merita.“

tiones quum omnium theologorum oculos ad gratiae efficaciam convertissent, fieri non potuit, quin plurima de ea conscriberentur et maxime variae sententiae de illa quaestione ab Ecclesia non definita proponerentur. Sed quoniam illae omnes conflatae e superioribus videntur, ne a proposito longius digrediamur, eas singulatim hoc loco exponere omittemus. Praecipuas breviter enumerabimus; sunt autem hae: 1. Doctrina Bannesianorum; 2. Societatis Iesu; 3. moralium praedeterminationum, quae vim certumque effectum aut a gratiae excitantis claritate ac suavitate aut a perfecta cum voluntatis cuiusque studiis atque affectionibus convenientia mutuantur (v. supr. p. 317.); 4. doctrina Lemoine, quam Tournely sequitur, ad quem se S. Alphonsus Ligorius [1] applicavit (v. supr. p. 318. et 323.); 5. Augustinianorum, quae illud cum Iansenianis commune habet, quod voluntas delectationem victricem ac potiorem sive gratiae sive cupiditatis sequi dicitur, in eo differt, quod *moralem,* non veram atque propriam necessitatem statuit; 6. Thomassini (v. supr. p. 33.); 7. eorum, qui ob mysterii obscuritatem nihil certi statuendum, sed cum D. Augustino dicendum censent, gratiam *miro et ineffabili* modo, salva tamen libertate operari.

Reliquum est, ut tristem finem controversiae impositum, quum et Ordines religiosi et theologiae gymnasia ad tantum tempus obruta iacuerunt, breviter commemoremus. Et pauca quidem prius de quadam eius rei in Austria anticipatione dicenda sunt.

Ibi enim quum contraria doctrina antea fuisset pervulgatissima, octavo decimo saeculo *Neo-Thomismus* in PP. Benedictinorum academia Salisburgensi acriter defendi coeptus est. Discessit enim illa theologiae schola tum florentissima a Card. Sfondrati, abbatis principis ad S. Galli, qui inter alios auctor illius primumque decus fuerat, via ac vestigiis. Non magis ille sincere in *Nodo praedestinationis* Societatis doctrinam contra *Neo-Thomismum* tuitus erat, quam posteriores theologi Salisburgenses studiose „omnes sententias omniaque pronuntiata Thomisticae ratiocinationis, ut et

[1] Nec vero illi in mentem venit, ut pro theologis haec docte explicateque scriberet; populariter enim, Tournely sequens, ut et ipse dicit et utrumque inter se comparanti manifestum est, quid de variis doctrinis sentiret, exposuit. Quod autem in huiusmodi libro illum insignem auctorem secutus est, id ei vitio vertere nemo debet. Summae quaedam eius sententiae: *omnem gratiam sufficientem sine alia gratia praeveniente ad aliquem actum satis dare virtutis, non vero ad opera difficiliora, ob eamque causam hominem oratione uberiores petere gratias debere*, cum Molinianis praeclare congruunt: id quod supra satis demonstravimus.

superioribus saeculis et maxime septimo decimo in Galliae atque Hispaniae scholis Praedicatorum proposita erant, defenderunt"; „quarum scholarum universa doctrina tamquam per manus tradita ad Germaniae Benedictinos translata est" (Werner, Geschichte der katholischen Theologie. München 1866. p. 92.). Gravius est affecta Societatis doctrina altera parte saeculi octavi decimi, postquam Gerardus van Swieten multum posse apud Mariam Theresiam imperatricem coepit. Is *„in disciplinam scholasticam maximeque eius propugnatores Iesuitas* petulanter invectus, eos ab adolescentium institutione, cui plurimis in locis praefecti erant, summovere cum sodalibus adiutoribusque suis conatus est." Haec prospere successerunt. Maria Theresia a. 1759. Iesuitas administratione nuperrime confirmata studiorum theologiae ac philosophiae privavit, eam ad Simonem Stockium canonicum Societati aperte inimicum detulit. Is effecit, ut theologiae via ac ratione tradendae munus Augustinianis et Praedicatoribus committeretur, illis quidem dogmaticae, his eius, quam scholasticam vocabant. Ita Gazzaniga ex Ord. S. Dominici, vir insigni doctrina, in Universitate Viennensi docere coepit. Is Molinismum aggressus est. „In tertiae partis ‚Praelectionum' (Viennae 1770.) dedicatione Simonem Stockium Thomismi in Universitatibus Viennensi, Pragensi, Olmuciensi, Strigoniensi, Oenipontana, Friburgensi instauratorem praedicat; quam instaurationem redintegrationem intelligit verae castaeque rationis tradendae fidei morumque doctrinae, imprimis vero excitationem veteris, genuinae ac tamquam domesticae in Ecclesia de quaestionibus probabilismi sententiae, et sincerae SS. Augustini ac Thomae Aquinatis de Divina gratia et praedestinatione doctrinae" (Werner, l. c. p. 197. 198.).

In Stockii locum successit Rautenstrauch abbas Benedictinus. Is se illis, qui rationem studiorum in Austria emendandam susceperant, liberioribus in religione sententiis commendaverat. In conficienda vero ratione studiorum, quam a. 1774. Maria Theresia confirmavit, id secutus est, ut omnes *sordes scholasticas* e theologiae scholis amoveret ac futuros theologos iis rebus solis institueret, „quarum in cura animarum, atque ita in rei publicae emolumentum usus esset." Atque ex his rationibus studia in Austria dirigi coepta sunt deventumque est ad ea tempora, quibus miseriora ac leviora theologia catholica nunquam vidit. „Circumscriptio," inquit Werner (l. c.), „atque deminutio omnis potestatis ecclesiasticae, et maxime Pontificiae, imprimis proposita fuit illius aetatis studiis, et magna, immo vero summa causa

exstitit, cur a Iesuitis, qui Ecclesiae utilitati uni omnium maxime serviebant, animi abalienarentur.“ Cum studiis Gallicanis coniuncta ac colligata fuerunt Ianseniana, atque ita ingens in *Molinismum* invidia exarsit. Sed Gallicanismus et Iansenianismus viam pararunt philosophiae erroribus. Neo-Thomismus ille, qui in Austriae Universitatibus potestate civili parumper adiutus effloruit, brevi exstinctus est et theologia ad omnem doctrinae novitatem ac levitatem, et ad falsae scientiae ratiunculas traducta. Idem fere, quod in Austria, omnibus locis evenit. Permisit Deus, ut Societas Iesu communi tot inimicorum incursione opprimeretur. Dispertitis collegiis ac missionibus aliarum doctrinarum patroni ad tempus sane brevissimum aucti sunt. Sed quidam etiam Protestantes fatentur, exstincta Societate Iesu illud propugnaculum perruptum esse, quo Ecclesiae auctoritas, constitutio, traditio, doctrina a profanis illorum temporum studiis atque erroribus defendebatur; tum vero fluctus publicae perturbationis ingruentes facile scholarum instituta vetera ac religiosorum domicilia proruerunt traditamque theologiae atque omnino scientiae rationem intercisam summoverunt, et recentis levitatis erroribus etiam ad sacerdotes populumque fidelium aditum patefecerunt. Quorum fluctuum impetus etsi brevi retardati sunt, tamen terra vastata non statim recreabatur. Ita intelligitur, cur optimi doctissimique viri, qui scientiam ecclesiasticam in suum dignitatis locum restituturi essent, quia ad tantum opus interrupta omni traditione theologica soli nullaque disciplina informati, immo vero recentium temporum opinionibus studiisque capti atque affecti accesserunt, summis ipsi implicati erroribus Hermesianismum, Guentherianismum, Traditionalismum, Liberalismum theologicum procrearint. Adversus hos philosophiae ac theologiae errores Societas Iesu a Pio VII. restituta inter primores pugnavit ac pro sua parte elaboravit, ut theologia et philosophia scholastica reviresceret. Quantum eius theologi hac in re profecerint, supra (p. 7.) significavimus. Quod qui consideraverit, aliquos quorundam errores lapsusque facile ignoscet, et fatebitur, Societatem Iesu hodie quoque id unum constanter sectari, ut scholarum disciplinas ex veterum rationibus tractandas suscipiat, dum eas simul explicando amplificare ac rerum novitati temporumque vicissitudini accommodare conetur.

Cuius doctrina, ab alumnis superioris *scholae Thomisticae* vel Parisiensis vel Salmanticae formata, alia non fuit atque communis et antiqua; quae constanter explicata ad magnam illam quaestionem reconciliandae cum libertate gratiae traducta est. Ea re-

conciliatio et antiqua fuit et nova, quia et e vetere Schola ac maxime D. Thomae doctrina derivata nec tamen eadem perspicuitate aut ab illo aut omnino a veteribus proposita erat. Cui ab initio duo genera adversariorum occurrerunt: alterum illorum *Scholae* inimicissimorum, Baianorum et Iansenianorum; alterum eorum, qui omnem aversati novitatem *scientiae mediae,* quae nova videbatur, doctrinam et, quae ab ea repetebatur, illius quaestionis enodationem detestati sunt. In horum concentum adversariorum ceterorum convenit vociferatio. Nec vero solam de gratia doctrinam accusarunt; fuerunt, qui omnia litterarum genera complecterentur, ut et de moribus solutiorem doctrinam, et in philosophia ac theologia nimiam ratiocinandi libertatem, et in studiis humanitatis rationes parum Christianas sectari diceremur.

Sed et has criminationes communes et illas gravissimas Societatis eiusque doctrinae accusationes, quas a principio huius nostrae disputationis commemoravimus, a rei veritate quam longissime aberrare, historiae inquisitione satis, ut confidimus, demonstravimus. Quamquam in huiusmodi controversia, quae saecula complexa sit, e singulorum erroribus de universa doctrina existimandum non est. Carolus Wernerus, litterarum theologiae existimator intelligentissimus, de nostrae Societatis theologis in hunc modum iudicavit: „Quum acerrime lacessiti essent,“ inquit, „magna in plerisque apologiis ac defensionibus aequitas ac moderatio necessario respondentium praedicari debet. Qui si quid erat erratum a quopiam, id non sunt infitiati“ (Franc. Suarez, Ratisbonae 1861., p. 378.). Atque etiam Pius IX. et scholarum studia Societatis et doctrinae praestantiam praeclare commendavit. Sic enim scribit in litteris, quibus Patribus nostris gymnasium Senogalliae, in patria sua, administrandum tradidit: „Nihil potius, nihil antiquius habere dignoscuntur [sodales Societatis Iesu] quam singulari cura, studio, industria, consilio, labore et maiorem Dei gloriam ubique promovere et sempiternam hominum salutem procurare, et *sanam* tueri ac propagare *doctrinam* et iuventutem pietate ac litteris imbuere cum maximo christianae et civilis reipublicae bono, ornamento atque praesidio.“ (In Actis Pii IX. PP. p. 526.) Sed id, quod hoc loco Summus Pontifex scribit, ipsi Ecclesiae inimici confirmant, quum tanto furore inflammati eo potissimum studia omnia conferunt, ut Societatis scholas tollant atque evertant.

APPENDIX.

DOCUMENTA PRAEVIA.

Leonardi Lessii de Controversia Lovaniensi librum editurus, documenta quaedam praemittenda censui, quibus et illud opus et Lovaniensium doctrina in eo refutata melius intelligerentur:

1. *Assertiones*, quas S. Theologiae Facultas Lovaniensis ex Lessii dictatis excerptas dixit et censura notavit;

2. *Summam controversiae* ex *Iustificatione seu defensione* eiusdem *censurae (Antapologia)*, contra Lessii *Apologiam* scripta et Parisiis a. 1683. typis mandata;

3. *Propositiones* ex dictatis Iacobi Iansonii, Professoris Lovaniensis, excerptas, quas Leonardus Lessius Romam miserat;

4. *Censuram ad* [has] *sententias Lovanio missas*, quam Bellarminus scripsit;

5. *Sententiam Bellarmini de controversia Lovaniensi.*

Propositiones Iansonii, censuram et sententiam Bellarmini ex codice ms. tabularii S. I., qui *Flandr. Controvers. Lovaniae 1587—1594.* inscribitur et illum quoque Lessii librum continet, accurate describendas curavi. Quidnam vero celebrem S. I. theologum ad opus exarandum impulerit, supra p. 188. et 189. fuse enarravi; ibidemque notavi, ipsum hanc Antapologiae refutationem iam d. 17. Oct. 1588. Nuntio Apostolico tradidisse, ut Romam ad S. Sedem mitteretur. Quocirca, quum *Concordia* Molinae a. 1589. foras data sit, luculentissimum doctrinae, quae ante Molinam in Societate Iesu de gratia et scientia media tradebatur, testimonium in Lessii libro hucusque nondum edito continetur. Quod testimonium ita edam, ut ea, quae ibi de sacra Scriptura dicta sunt, neque approbare neque improbare velim. Etenim haec omnino secundum SS. Concilii Vaticani definitionem diiudicanda sunt; iam vero gravissimi theologi inter se dissentire videntur, utrum tertia Lessii propositio, etiam deleta parenthesi *(qualis forte est II. Mach.)*, quam ipse deleri voluit, cum doctrina Vaticana omnino concordet necne. Quam difficillimam quaestionem disceptare mediocritati meae nec licet nec lubet.

Eminentissimus Card. Franzelin: „De sententia," inquit, „mere hypothetica, ut eam Bonfrerius [cum Lessio] explicuit, Concilium [Va-

ticanum] non loquitur. Revera si tantummodo dicitur, librum humanitus scriptum, cuius in omnibus et singulis veracitatem Deus postmodum revelatione publica revelasset, posse dici sacram Scripturam et habiturum auctoritatem divinam, lis potest esse de verbis, dummodo agnoscatur diversitas huiusmodi libri a Scriptura divinitus inspirata, quam accepit et habet Ecclesia" (De div. traditione et scriptura, II. ed., p. 373.). Hanc vero diversitatem Lessius identidem agnoscit; *sentit et semper sensit,* omnes s. Scripturae libros, quos S. Tridentina Synodus recensuit, divinitus inspiratos esse, et hanc inspirationem cum revelatione esse *modos,* quibus *summa auctoritas primae veritatis* omnibus illis libris *applicaretur,* ideoque proximam continere rationem, cur pro sacris et canonicis sint habendi. De *facto* igitur, i. e. de canonicis V. et N. T. libris, idem videtur sentire, quod Vaticanum docet: eos libros pro sacris et canonicis habendos esse propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem. Sed praeterea putat, alia ratione, quae tamen nunquam facta sit, summam illam auctoritatem s. Scripturae propriam alicui libro obtingere posse, *de* qua *sententia mere hypothetica Concilium non loquitur.* In naturam s. Scripturae inquirens ultimam eius rationem a proxima distinguit: ultimam rationem esse *summam auctoritatem primae veritatis nullo modo dependentem ex* [alia] *Scriptura vel traditionibus, sed immediate tantum a Spiritu Sancto,* proximam autem rationem esse modos, quibus summa illa auctoritas alicui libro applicetur, quosque tres enumerat, revelationem propheticam, inspirationem, approbationem. Ideo existimavit, librum divinitus tamquam omnibus suis partibus verissimum approbatum *recte* s. Scripturam dici posse, quia ei suprema illa auctoritas vere obtingeret. Nihilominus, quum is liber ea divinae originis dignitate careat, qua omnes et singuli s. Scripturae libri reipsa sunt ornati, Lessius non gravatur, si quis huic libro appellationem s. Scripturae deneget, dummodo agnoscat, eum parem cum s. Scriptura auctoritatem divina illa approbatione consequi. *Videtur mihi,* inquit, [talis epistola] *parem sacrae Scripturae auctoritatem habitura, sive quis eam velit appellare Scripturam sacram sive non; nam quaestio videretur de nomine.*

Alii theologi tertiam Lessii propositionem alia ratione defendunt, de qua videatur libellus periodicus „Stimmen aus Maria-Laach" VI., 287. et 288.

Alii vero hanc sententiam cum Concilii Vaticani doctrina non posse conciliari contendunt, qua de re disserit illustris S. I. theologus Ioseph Kleutgen in opusculo vere egregio, quod cum Lessii libro hic edere nobis contigit.

ASSERTIONES A FACULTATE LOVANIENSI CENSURA NOTATAE.

De Scriptura Sacra.

1. Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium singula eius verba inspirata esse a Spiritu Sancto.

2. Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae.

3. Liber aliquis (qualis forte est secundus Machabaeorum) humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura sacra.

De praedestinatione et reprobatione.

1. Augustinus definit, quod Praedestinatio est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Quae definitio valde bona est, si intelligatur de praedestinatione hominum, quae supponit servitutem et peccatum, et de certitudine ex praescientia, non ex mera praeordinatione.

2. Deus post praevisum peccatum originale habuit voluntatem dandi Adamo et toti eius posteritati sufficientia media contra peccata, et auxilia ad consequendam vitam aeternam, ergo dat illis sufficiens auxilium ut possint reverti.

3. Tota Scriptura plena est praeceptis et exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum; atqui Deus non praecipit impossibilia, ergo dat illis sufficiens auxilium ut possint converti.

4. Dices Deum quidem omnes vocare ad poenitentiam, sed non secundum propositum, aut non illa vocatione, quae est sine poenitentia.

Respondeo, hoc videtur alienum a bonitate Dei, quia non hoc esset serio, sed delusorie vocare, si vocaret aliquem non ex intentione ut convertatur. Augustinus autem (ut in scholio additur) propositum Dei accipere videtur, ut idem sit quod illo modo quo novit illum secuturum.

5. Iubentur omnes baptizari, ergo Deus quantum in ipso est vult omnibus dare gratiam baptismi.

6. Hunc locum, Deus vult omnes homines salvos fieri, id est, vult omnes salvos fieri qui salvi fiunt, non videtur exponere Augustinus (I. Tim. 2. Epist. 107. et de praedest. sanct. c. 8.) secundum intentionem Apostoli, et sex ampliusque argumentis dicta interpretatio oppugnatur.

7. Deus voluit dare Christum in redemptionem pro omnibus nullo excepto, ergo omnibus praeparavit sufficientia remedia per Christum. Prob. cons. quia eatenus est Christus omnium Redemptor, quatenus per ipsum dantur omnibus sufficientia auxilia quibus resurgant a pec-

catis; si enim non darentur sufficientia, verus non esset eorum Redemptor, quia neque quoad sufficientiam, neque quoad efficaciam.

8. Ut peccator possit converti, non est necessarium ut recipiat utrumque auxilium (praeveniens scilicet et concomitans) in actu secundo, sed satis est ut accipiat auxilium praeveniens in actu secundo, et tunc vere habet auxilium sufficiens ad actualem conversionem.

9. Concomitans concursus specialis seu supernaturalis ita praeparatus est peccatori, sicut concursus naturalis et generalis praeparatus est potentiae naturali, verbi gratia potentiae videndi. Et infra: Deus non dat ipsa opera bona, nisi quatenus per gratiam praevenientem dat nobis auxilium sufficiens et paratus est dare concursum gratiae concomitantis in actu secundo, si velimus.

10. Augustinus ubicumque dicit nos non tantum gratia egere qua possimus, sed etiam qua faciamus, intelligendus est de supradicto concomitante concursu, quod scilicet non possimus facere sine auxilio gratiae concomitantis; alioqui dictum eius non esset universaliter verum. Nam ut faciamus non requiritur efficax excitatio, quae voluntatem infallibiliter determinet, qualis forte fuit in Paulo, Magdalena aliisque nonnullis dum converterentur; sed sufficit multo minor, quae plenissimam relinquat libertatem.

11. Quod dicit Augustinus (De dono persev. c. 14.), eis qui non sunt a perditionis massa segregati non adhiberi dicta vel facta divina per quae possent credere si audirent ea vel viderent, cum grano salis accipiendum est, ut intelligantur non accipere in actu secundo illa auxilia cum quibus Deus noverat eos de facto convertendos, quod certissimum est de omnibus qui non convertuntur.

12. Ad illud quod ex cap. 6. de praedest. Sanctorum obiicitur, ubi Augustinus docet hunc nolle credere, quia eius voluntas non praeparatur a Domino, quod tamen erat necessarium ut credere vellet: respondetur valde improprie dici, quod is cui sufficienter proposita est fides, ideo nolit credere, quia eius voluntas non praeparatur a Domino.

13. Est quoddam perseverantiae donum consistens in quodam speciali auxilio et protectione, qua Deus ita protegit et munit quosdam, ut fere indeclinabiliter et infallibiliter in gratia perseverent usque ad mortem, quod quibusdam conceditur, ut forte Apostolis post acceptum S. Spiritum et (ut in scholio additur) iis qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud est perseverantiae donum, quod consistit in quodam auxilio et protectione qua Deus ita adest, ut possint in gratia perseverare si velint, et hoc donum est necessarium ad salutem, et datur omnibus iustis immediate in actu primo.

14. Indurati et excaecati habent sufficiens auxilium ex parte Dei ut convertantur. Et infra: Omnes infideles semper et ubique habent sufficiens auxilium ad salutem ex parte Dei.

15. Omnia loca Scripturae s. quae significant, esse impossibile

quosdam converti, intelligenda sunt, ut impossibile accipiatur pro eo, quod est valde difficile.

16. Parvuli ex parte Dei habent remedium sufficiens contra peccatum, praesertim in nova lege. Nam Christus pro omnibus mortuus est, et pro omnibus instituit sacramentum in remedium peccatorum, nemine excepto. Atque id *(quod in scholio additur)* ex Epistola B. Cypriani 59. satis aperte colligitur.

17. Quod applicatio talis remedii (Baptismi videlicet) his vel illis ob aliqua impedimenta occurrentia fiat impossibilis, non est Deo imputandum, quia non ordinat ut non possit applicari, vel ut talia impedimenta occurrant, sed tantum permittit secundum communem cursum rerum, sicut permittit peccata.

18. Omnes infideles semper et ubique habent sufficiens auxilium ex parte Dei, seu in actu primo. Si enim facerent quod in ipsis est, et quantum possent secundum praesentem dispositionem naturalem, vel supernaturalem quam habent, Deus illuminaret eos, ut credere possent vel converti.

19. Qui invincibiliter ignorat fidem, tenetur ad praecepta naturalia, id est, ad Decalogum, ergo habet auxilium morale sufficiens ad illa explenda, quia Deus neminem obligat ad impossibile; alioquin videtur accedere ad sententiam haereticorum, qui dicunt, per peccatum originale amissum liberum arbitrium ad bonum.

20. Sententia, quae dicit eos qui salvantur, non efficaciter electos ad gloriam ante praevisionem bonorum operum, vel applicationis remedii contra peccatum, videtur maxime probabilis. Tenent autem hanc sententiam omnes Patres Graeci, adeo ut communiter dicatur sententia Graecorum. Et in scholio: Quanquam diversa sententia Augustino tribuatur, non puto tamen esse Augustini. Nam ubi de hac re loquitur, non exprimit utrum loquatur de immediata electione ad gloriam, an de mediata quae est ad gratiam. Item, an loquatur de electione absoluta et efficaci, an de conditionata, id est, si gratiae fuerint cooperati, quomodo intelligendas esse promissiones divinas docet Tridentinum Concilium sess. 6. Quod si tamen contraria sententia esset D. Augustini, non admodum referret.

21. Deinde probatur aliis pluribus testimoniis (Apoc. 3.), Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, ergo corona potest amitti. Cui respondet Augustinus c. 13. de corr. et gratia: Scripturam ita loqui, non quod corona possit amitti, sed ut homines stent in timore.

22. In statu innocentiae sufficiebat homini ad salutem gratia, qua poterat perseverare si vellet: ergo et nunc.

23. Si electio est ad certum gloriae gradum, igitur omnia opera iustorum debent absoluta Dei voluntate esse praeordinata, nec poterunt aliter, nec aliud operari, quam sit a Deo praeordinatum, quod est contra libertatem.

24. Martyria et afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis,

sunt excellentissima media salutis ipsorum, ergo etiam haec ante omnem praevisionem erant praeordinata, quod est falsum, quia Deus non est auctor peccati.

25. Ad illud Ezechielis (Ezech. 36.), faciam ut in praeceptis meis ambuletis etc., dico ibi significari, Deum daturum abundantiorem gratiam in nova lege, quam in veteri, qua fiet, ut re ipsa plures ambulent in lege Dei, quam in lege veteri. Non ergo illud, faciam ut ambuletis, significat illum providentiae modum per quem omnes infallibiliter servarent praeceptum Dei.

26. Non est voluntas absoluta Patris, ut omnes, quos ipse dat Filio, absolute salventur, ut patet Ioan. 17. ubi dicit, quod ex illis quos dedit ei Pater perierit filius perditionis, qui seipsum perdere voluit; sed voluntas Patris est, ut omnes habeant sufficientia auxilia, et non stet per ipsum quo minus salventur.

27. Haec sententia Apostoli, omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti, loquitur in genere de omnibus diligentibus Deum, non autem tantum de illis qui erant praedestinati.

28. In his verbis (Rom. 9.), Iacob dilexi, Esau autem odio habui, per dilectionem non significatur efficax ordinatio ad gloriam, sed ad maiora dona gratiae, quae non erant ex praevisis meritis. Quia enim ex Iacob nasciturus erat Christus, voluit illi Deus et eius posteritati maxima dilectionis signa ostendere, quae non ostendit fratri eius Esau, ita ut comparatione Iacob et populi Israelitici, Esau et Idumaei possint videri odio habiti.

29. Si Deus, praeviso originali peccato, absoluta voluntate constituit hunc hominem excludere a regno, vel admittere ad regnum ante omnem operum praevisionem, ergo nullis operibus bonis vel malis poterit averti quod decretum est. Nam haec suppositio divinae voluntatis facta est independenter a libertate humana: ergo absolute necessarium est hominem damnari, posito quod Deus illum reprobaverit, et speciali providentia procurari debebit, ut in peccatis moriatur.

30. Numerus praedestinatorum non est certus ex praeordinatione, quae antecedit omnem praescientiam operum.

31. Haec sententia de praedestinatione et reprobatione maxime consentanea est divinae bonitati, Scripturarum auctoritati, Patrum testimoniis et naturalis rationis aequitati, in nulla re omnino Pelagio favens, et quam longissime a sententia Lutheri et Calvini et reliquorum haereticorum nostrae tempestatis recedens, a quorum sententia et argumentis difficile est alteram sententiam vindicare.

IUSTIFICATIO SEU DEFENSIO CENSURAE

Facultatis S. Theologiae Academiae Lovaniensis contra assertiones quasdam Professorum ibidem Societ. Nominis Iesu.

[Antapologia.]

Controversiae summa et primaria capita.

De Scriptura Sacra.

1. Assertio 3. de Scriptura. Scripturae sacrae verba sententiasque singulas adeo non esse a Spiritu Sancto inspiratas, ut integer etiam liber sola humana industria absque Spiritus Sancti assistentia scriptus, sacra Scriptura fieri possit, si postea Spiritus Sanctus nihil falsum ibi esse testetur; atque huius generis exemplum in 2. fortasse Machabaeorum exstare libro.

De Praedestinatione.

2. Apol. assert. 1. et 3. Praedestinationem ad gratiam, seu decretum liberandi hominem e massa perditionis, praesupponere conditionatam praescientiam obediendi et assentiendi gratiae seu vocationi Dei, hanc nimirum qua illum praeviderit Deus sequuturum et non repugnaturum, si sic vel sic vocaretur; absque hac autem praescientia explicari vix posse, quomodo in praedestinatione libertas salvetur arbitrii.

3. Apol. assert. 20., 21. et 23. Electionem ad gloriam non esse immediatam, absolutam et efficacem, sed ex praevisione meritorum et conditionatam, quomodo conditionatae sunt aeternae vitae promissiones, si videl. divinae gratiae fuerimus cooperati. Alioquin enim et consequendae salutis et mediorum huc perducentium absolutam sequuturam necessitatem, adeoque videri etiam bonorum operum necessitatem ac meritum iuxta Calvini sententiam tolli.

De Providentia Dei.

4. Apol. assert. 17. Indignum videri Deo, si ante omnem praevisionem secundarum causarum, de rebus etiam minimis disponat atque praeordinet; omnemque generaliter Dei voluntatem, seu constitutionem, qua ante praevisionem causarum secundarum aliquid praeordinet, libertati contingentiaeque adversari.

5. Apol. assert. 24. Christi passionem et crucem non fuisse aeterna Dei voluntate praeordinatam atque ut tempore suo eveniret absolute dispositam, sed ex praescientia tantum Iudaicae malitiae praevisam atque permissam. Deum alioqui, si Christum absolute crucifigi voluisset, peccati crucifigentium debere esse autorem.

6. Apol. 8. et 9. assert. Quando aliquid praesupponitur, quod in nostra non sit potestate, tum id quod per necessariam consequentiam inde colligitur, ita esse necessarium, ut liberum esse non possit.

De Gratia Christi.

7. Apol. assert. 8., 9. et 10. et ibid. in Apol. ad Censuram Duacensem. *Gratiam Christi quamvis sufficientissime praeparatam, relinquere nihilominus voluntatem indeterminatam et indifferentem ad bene velle; esseque hoc de liberi actus ratione, ut a voluntate procedat tempore et natura prius ad actum ipsum indeterminata ac indifferente, ideoque gratiam efficaciter et infallibiliter voluntates nostras determinantem, actus ipsius tollere libertatem.*

8. *Dei gratiam quantumcumque efficacem sic esse in liberi arbitrii potestate, ut quamvis interdum difficile sit ei non cedere, possit tamen frustra et absque conversionis effectu esse adhibita, si videlicet acquiescere noluerimus.*

9. Apol. assert. 8. et 9. *Gratiam efficacem*, de qua Scripturae loquuntur et Augustinus disserit, qua fiat videlicet ut non possimus tantum, sed et faciamus, esse quemdam Dei concursum specialem et supernaturalem naturali ac generali similem, qui peccatori sufficienter excitato ita paratus ac praesto sit, quemadmodum alter naturali potentiae videndi, ambulandi, etc.

10. Apol. assert. 8. et 9. et ibidem in Apologia Censur. Duacens. *Ad explicationem sententiae de gratia* ad singulos actus necessaria, sufficere habitus infusos, et illum iam dictum concursum, eamque etiam D. Thom. esse sententiam.

11. Duplicem statuendam esse post lapsum perseverantiam, alteram, qua quisque perseverare possit, si velit; alteram qua actu perseveret. Illam communem esse iustorum omnium, hanc paucorum tantum quorumdam, qui in gratia sint confirmati.

12. *Habere omnes homines*, etiam infideles ac obduratos, semper et ubique ex parte Dei sufficiens auxilium, quo se convertere et a peccatis exurgere possint; alioqui enim non fore Christum Redemptorem omnium, futuram deinde quamplurimis Dei legem observatu impossibilem, nec defuturam peccatoribus in die iudicii de transgressione legitimam excusationem.

13. *Quin et parvulos omnes*, in maternis uteris morientes, habere similiter sufficiens salutis remedium: alioquin enim eadem, de Redemptore omnium Christo ac relicta excusatione, sequutura absurda.

14. Apol. assert. 6. Apol. assert. 2. Quocirca improbabiles etiam esse B. Augustini expositiones circa illud Apostoli, Deus vult omnes homines salvos fieri; nec eius instituto congruentes. Idque propterea, ut de sufficienti omnibus parata gratia sensus, qui Augustino placuit, retineri possit.

PROPOSITIONES EX DICTATIS IACOBI IANSONII EXCERPTAE.

1. „Dominus praecepit Semei, ut malediceret David“ est locutio propria.

2. Deus obrutum cordis torrem qui latet in malorum cordibus exagitat quatuor modis: deserendo, subministrando, formando et commovendo.

3. Deus homini fragili tentatione commoto non solum peccatorum irritabula obvenire permittit, sed ipse quoque eadem mittit et definito consilio obiicit, ut horum occasione et adminiculo prior hominis iniquitas increscens posteriore et deteriore puniatur.

4. Sicut ad iustitiam Dei pertinet ut post hanc vitam peccatum a se remissum suppliciis vindicetur, ita ad iustitiam Dei pertinet, ut peccati turpitudo etiam in hac vita graviori sorde dehonestetur.

5. Etsi ex opere Divini iudicii perversitas in corde hominis oriatur, non tamen dicendus est Deus hominem pervertere, quia non delectatur hominis perversitate, sed iustitiam exercere; sicut non est dicendus crudelitatem exercere, sed iustitiam, cum tormenta inferorum infligit, quia non delectatur tormentis, sed iustitia.

6. Hae locutiones: per potentiam hominem ad peccatum induci; ex opere Divini iudicii perversitas in corde hominis oritur; etc. non sunt impropriae, et licet illis passim uti, non adiecto pio aliquo commentario.

7. Id quod in Deo operante seu mittente habet rationem vindictae, id in homine cooperante seu acceptante habet rationem culpae, et quod quatenus a Deo proficiscitur, habet rationem supplicii, idipsum quatenus ab homine suscipitur, habet rationem peccati.

8. Deus inconditam animi humani malitiam nullo certi mali conceptu proposito definitam in placitum sibi malorum genus format atque temperat.

9. Nunquam iudicis in mentem venire potuisset tanti mysterii supplicia irrogare Christo, nisi vastissimam eorum crudelitatem Deus omnipotens in istorum suppliciorum inflictionem formasset, inclinasset, temperasset.

10. Haec formatio intrinseca operatione in ipsum hominis affectum et sensum penetrat.

11. Deus desiderii humani impetum in opus sibi congruum et proprium aestuantem commovet intrinseca et in affectum hominis penetrante operatione, ut tempore Deo placito in opus concupitum erumpat, aut in vindictam eius, quem vult damnari, aut in exercitationem eius, quem vult probari vel purgari.

12. Impossibilitas seu necessitas hominis captivi non adimit ei rationem liberi arbitrii, quia non sentit ullam violentiam, sed spontaneam electionem.

13. Necessitas superveniens libero arbitrio non tollit libertatem, quia libertas est naturalis, haec autem necessitas est accidentaria.

14. Sola necessitas naturalis, non autem accidentaria repugnat libertati, et ita est intelligendus ille articulus a Bulla damnatus: *Id quod voluntarie fit, libere fit, etiamsi necessario fiat;* nempe ut articulus loquatur de necessitate naturali, non accidentaria.

15. Necessitas peccandi peccato inducta non excusat a peccatis ex ea provenientibus, excusaret tamen, si non esset inducta per peccatum.

16. Qui spiritu vitae destituti sunt, quid aliud parere possunt, nisi opera mortis aeternae?

17. Illa sententia Concilii Tridentini: Deus sua gratia iustificatos non deserit nisi prius deseratur, intelligenda est, quod non spoliet illos iustitia, iusto tamen iudicio suo illos saepe derelinquit et dimittit, sicut olim dimisit gentes ingredi vias suas; quod idem est, ac si diceretur: Deus gentes libero dimisit arbitrio non subministrato illis gratiae suae adiutorio.

18. Deus hominem reprobum iustum in fine vitae suo iudicio relinquit propter peccatum originale, quia etsi peccatum originale sit remissum, poenae tamen temporales non sunt remissae; talis autem poena est haec derelictio.

19. Deus obligat multos homines sub interminatione mortis aeternae ad sua praecepta servanda, quibus propter peccatum originale decrevit non dare auxilium necessarium ad illa servanda. Dicit ergo Deus illis hominibus: Volo et praecipio sub poena aeternae damnationis, ut serves omnia mandata mea; nolo tamen tibi dare auxilium, ut possis ea servare.

20. Ad omne opus bonum requiritur gratia quaedam qua posita homo statim consentit in illud et non potest non consentire.

Hae propositiones missae sunt ex Lovanio a P. Leonardo Lessio mense Iulio 1587. Sunt autem excerptae ex dictatis Iacobi Iansonii Doctoris Lovaniensis, ut existimo, patria Amsterdamensis.

CENSURA AD SENTENTIAS LOVANIO MISSAS.

Ad duo capita revocari possunt omnes sententiae, quae ex Lovaniensi civitate missae sunt. Primum caput continet eas, quae Deum facere videntur auctorem peccatorum. Eae sunt 1., 2., 3., 4., 5., 6., 7., 8. 9., 10. et 11.; et quidem possent, meo iudicio, pleraeque harum sententiarum sano modo exponi, ut exponere solent doctores verba Sancti Augustini lib. de gratia et libero arbitrio cap. 20. Sed tamen videntur omnes hoc tempore scandalosae, cum in modo loquendi conveniant cum sententia Calvini et Melanchthonis, quae damnatur in Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. Nonnullae etiam videntur non solum falsae, sed etiam erroneae, ut 1. et 6.; nam ipse etiam Augustinus loco citato, quem auctores harum sententiarum pro se citare solent, indicat non esse propriam loquutionem illam, *Deus praecepit Semei, ut*

malediceret David. Quomodo, inquit Augustinus, dixerit Dominus ut malediceret David, qui sapiens, et intelliget; non enim iubendo dixit, ubi obedientia laudaretur etc. Alterum caput comprehendit eas, quae liberum arbitrium tollere videntur. Eae sunt 12., 13., 14. et ceterae usque ad 20. Summa harum sententiarum haec est, homines peccatores destituuntur aliquando auxilio necessario ad non peccandum, et ideo necessario peccant, et tamen libere, quia voluntarie; qui autem auxilium Dei necessarium habent, illi necessario bene operantur et tamen libere. Quae sententia videtur omnino haeretica, 1° quia non agnoscit liberum arbitrium a necessitate, sed solum a coactione, quale liberum arbitrium admittit etiam Calvinus lib. 2. contra Pighium, neque ab ullo haeretico negatur, cum sit etiam in amentibus et in ipsis animantibus brutis; 2° quia repugnat expresse canoni 4° sess. VI. Concilii Tridentini; Concilium enim definit, hominem praeventum et adiutum a Deo posse dissentire si velit; sententia autem 20. huius auctoris docet, non posse non consentire eum, qui auxilium illud habet, quod ad omne bonum opus requiritur; 3° quia hinc sequitur praecepta Dei esse impossibilia plurimis hominibus, qui tamen ad ea servanda tenentur sub interminatione mortis aeternae, ut habet propositio 19. Quod tamen est contra Dei clementiam et iustitiam iuxta illud Leonis serm. 16. de passione Domini: *Iuste instat praecepto qui praecurrit auxilio.* Hae sententiae viginti excerptae sunt ex scriptis cuiusdam doctoris Iacobi Professoris Lovaniensis, qui intimus est Michaeli Baio, et qui eius erroribus aliquando addictissimus fuit, utinam etiam modo non sit.

Haec mihi videntur, salvo semper meliori iudicio.

Robertus Bellarminus.

SENTENTIA BELLARMINI DE CONTROVERSIA LOVANIENSI.

Fatentur aliqui ex ipsis Lovaniensibus doctoribus, auctorem totius tragoediae nuper commotae contra Patres Societatis Iesu, fuisse D. Michaelem Baium, cum nonnullis eius adhaerentibus, et certe censura facultatis Theologiae satis aperte redolet phrasim et stilum D. Michaelis. Porro praecipuam controversiam, vel potius fundamentum et radicem omnium controversiarum fatentur ipsi doctores Lovanienses esse quaestionem de gratia et libero arbitrio, et ideo mox ab exorta ista quaestione instituerunt lectionem publicam de gratia et libero arbitrio contra Patres Societatis, et in thesibus impressis ex ea lectione decerptis et publice ad disputandum propositis asseruerunt, non posse liberum arbitrium se disponere ad iustitiam, vel eam apprehendere, aut exercere sine auxilio gratiae, illud autem auxilium esse subministrationem spiritus Christi, eam vero subministrationem spiritus esse ipsum actum bonum gratis immissum; et hanc esse gratiam praeoperantem,

et necessariam in singulis actibus. Ex quibus sequitur, ut nullum sit tempus, quo possit liberum arbitrium a Deo excitatum, praeparatum et adiutum bene agere vel non agere, nam si absit illa gratia praeoperans, non potest liberum arbitrium bene agere, ut ipsi fatentur; si adsit, non potest non bene agere, quia illa gratia est ipse actus bonus gratis a Deo immissus, et hinc negant, auxilium sufficiens distingui ab efficaci et dari omnibus pro loco et tempore, et iustos omnes habere gratiam sufficientem, qua possint perseverare si velint, et alia id genus, in quibus a Patribus Societatis dissident; Patres enim contendunt liberum arbitrium per gratiam praevenientem excitatum et praeparatum Deo adiuvante posse bene agere, et posse etiam gratiam praevenientem reiicere et non bene agere; et distinguunt auxilium sufficiens, quod omnibus pro loco et tempore dari dicunt, ab auxilio efficaci quod iis solis datur, qui re ipsa convertuntur et bene agunt; distinguunt etiam gratiam, quam habent omnes iusti, ut possint perseverare si velint, a dono perseverantiae quo re ipsa infallibiliter perseveratur, quod est proprium electorum. Et quia sententia Lovaniensium de gratia illa praeoperante et efficaci necessaria ad singulos actus videtur repugnare Tridentino Concilio, quaesierunt aliquando Patres Societatis ab ipso D. Michaele, quomodo cohaereret eius opinio cum Concilio, quod sess. 6. cap. 5. et can. 4. definit, liberum arbitrium a Deo motum et excitatum posse libere consentire, posse etiam dissentire et gratiam reiicere. Respondit, Concilium non ita proprie esse loquutum, ut loquitur S. Augustinus, et illa capita dogmatica non fuisse relecta, et alibi deprehensum quemdam errorem. Et quia eadem ista sententia Lovaniensium de gratia efficaci videtur coincidere cum opinione D. Michaelis, quae habetur in eius libro de libero arbitrio, quaeque damnata est a Pio V. Pontifice Maximo ac deinde ab eius successore Gregorio XIII. in bulla Lovanii publicata, primo per Dominum Morillonium, deinde per Patrem Franciscum Toletum: interrogati Lovanienses a Patribus de hac re responderunt, propositionem illam damnatam: *Quod necessario fit, libere fit, modo voluntarie fiat*, et illam: *Sola violentia repugnat libertati*, debere intelligi de necessitate naturali, non de adventitia; necessitatem autem, quam inducit peccatum vel gratia efficax, non esse naturalem, sed adventitiam. Sed omnes vident, hoc esse illudere bullae. Nam Summi Pontifices damnarunt id, quod Michaelem sentire et docere cognoverant tum ex libris eius, tum ex relatione eorum, qui eius sententias collegerant; Michael autem nunquam sensit, ut nec ullus alius, libere fieri id quod necessario fit naturali necessitate, qualis necessitas est in brutis, sed [quod necessario fit] necessitate adventitia ex peccato vel gratia. Quare non sine causa multi iudicant Dominum Michaelem et eius amicos movisse hanc litem, ut suas sententias iam damnatas a Sede Apostolica iterum excitent, protegant et defendant.

RESPONSIO P. LEONARDI LESSII

PROFESSORIS S. THEOLOGIAE COLLEGII SOCIETATIS IESU

AD

ANTAPOLOGIAM VEN. FACULTATIS S. THEOLOGIAE UNIVERSITATIS LOVANIENSIS.

[Rm̃o D. Nuntio Apostolico Frangipani oblata.]

Optabamus equidem, Illustrissime ac Reverendissime Domine, ut absque longiore scriptorum contentione, quibus veritas involvi magis quam explicari solet, Sanctae Sedis Apostolicae iudicium exspectaretur, tum de sententiis nostris duplici Apologia explicatis et defensis, tum etiam de censuris Ven. Facultatis Sacrae Theologiae Lovaniensis ac Duacensis, quibus doctrina nostra acriter perstricta est, ut maturius, Summi Pontificis auctoritate interposita, haereticorum insultationibus, pusillorum scandalo atque infamiae per hasce censuras nostrae Societati in his partibus inustae occurreretur. Verum Veneranda Facultas die sexto Iulii per suos deputatos coram Illm̃a ac Rm̃a D. V. et Rm̃o Archiepiscopo Mechliniensi, conventu hac de causa indicto, palam testata est, se perlectis diligenter nostris Apologiis tandem intellexisse principia, quibus doctrina nostra iam ante ab ipsis iudicata quasi fundamentis niteretur, eaque talia sibi visa esse, ut, si vera essent, ipsa censorum doctrina non omnino solida nec secura videri posset, quare cupere se novo scripto ea principia convellere. Hic nos contra excepimus, Sanctam Sedem Apostolicam de doctrina controversa eiusque principiis, ex Censuris Facultatum divulgatis nostrisque Apologiis, iudicaturam: oportuisse, ut Domini MM. NN., antequam censuram conscriberent, dogmatum nostrorum principia intelligerent; ut omittamus, mirum quoque fortasse alicui videri posse, duarum Facultatum Censuras tam diuturno studio elaboratas ad subitam quamdam responsionem mox egere defensione et novo fundamento, idque apud tribunal inviolabilis et certissimi iuris, Sedem videlicet Apostolicam. Verum quia, his non obstantibus, Vestra humanitate concessum illis fuit, ut adhuc semel contra nos scriberent nostrasque Apologias impugnarent, ea tamen lege, ut posteaquam nos (si videretur) respondissemus, mox utriusque partis scripta ad Suam Sanctitatem transmitterentur, non gravabimur nos quoque rursus laborem respondendi hac eadem conditione subire, ut nihil ex parte nostra desit, quod ad plenam causae instructionem necessarium videatur. Et quidem ne, dum multa in utramque partem disputando et replicando scribuntur, causa haec a statu suo ad alias quaestiones transferatur, atque ita, dum controversia ex controversia ducitur, causae definitio impediatur: visum est primo controversiae statum summatim perstringere, deinde ad praecipua capita, quae in scripto Facultatis contra nos afferuntur, respondere; digressionibus plerisque et criminationibus, quibus scriptum illud plus forsitan aequo respersum

est, omissis: ut quo causae cognitio est expeditior, eo celerius Smus D. N. Sixtus V. pro admirabili sua in componendis Ecclesiae discidiis prudentia et zelo hoc tam periculosum incendium, in patria plus satis belli et haeresum tumultibus perturbata et importune magno haereticorum gaudio et catholicorum vel moerore vel scandalo exortum, sopiat ac restinguat.

De statu Controversiae.

Miramur sane, Magistros nostros in hoc scripto mutasse totum ordinem Censurae remque totam adeo involvisse, ut nonnisi magno labore cum Censura et Apologiis conferri possit. Quae res incommode accidet Illustrissimis et Reverendissimis Sanctissimi Officii Inquisitoribus et Iudicibus aliisque, qui ad causae examen adhibebuntur. Quare nos illud per certos numeros in margine adscriptos distinximus, ubi aliquid notabile contineri videbatur. Quod autem dicunt, ideo se hoc fecisse, quod questi fuerimus, propositiones in Censura positas suis locis fuisse avulsas, parvi momenti est. Nam etsi revera ita avulsae sint et imperfecte positae, ut non facile cuivis appareat sine aliqua explicatione, quem sensum habeant vel quo sint referendae, ut aliquoties apud ipsos verbo et scripto testati sumus antequam Censuram conscriberent et evulgarent: tamen postquam certo ordine per Censuram digestae sunt, non erat ille ordo commutandus, nec ipsae propositiones aliis modis parum fideliter explicandae. Neque in illis 13 Propositionibus, quas hic conflarunt, controversia nostra constituta est, sed in iis, quae a Censura sunt notatae, quod ut appareat percurram breviter singula capita, in quibus dicunt consistere controversiam; et ostendam quam parum fideliter sint posita.

Caput 1. In primo capite tres propositiones de Scriptura ita in unum conflantur ut si vel una minus sit probabilis, omnes simul reiiciantur. Qui sane modus involvendi propositiones non est probandus; nam singulae per se seorsim considerandae sunt. Deinde aliud dicitur quam nos dicamus. Sic enim habetur: Scripturae Sacrae verba sententiasque singulas adeo non esse a Spiritu Sancto inspiratas, etc. Quo significatur alienum esse a Sacra Scriptura, ut eius verba et singulae sententiae sint inspiratae. Quod sane in propositionibus nostris non dicitur, sed solum asseritur, non esse necessarium ad Sacrae Scripturae rationem et essentiam. Aliud autem est aliquid esse alienum, et aliud non esse necessarium.

Cap. 2. Secundum caput recte positum est, sed de illa particula, an absque praescientia conditionata difficile sit explicare, quomodo in praedestinatione servetur libertas arbitrii, non fuit hactenus controversia, sed nova quaestio est. Parum enim refert, utrum hoc facile, an difficile possit explicari: quamquam, quod ad rem attinet, putem esse difficile.

Cap. 3. In tertio capite aliquid omissum est. Non enim negamus, quamvis electionem ad gloriam esse absolutam et efficacem; sed dicimus, immediatam electionem ad gloriam non esse ita absolutam et efficacem ante omnem omnino praescientiam meritorum, ut nullam requirat ab homine conditionem, quae sit in ipsius potestate: sicut ex sententia eorum, qui ponunt, gratiam ita efficacem, ut illi non possit resisti, et hanc solis praedestinatis praeparatam esse, sequi videtur. De postrema autem parte, utrum per contrariam sententiam bonorum operum necessitas ac meritum iuxta Calvini sententiam tollatur, hactenus controversia non fuit: quamquam probabiliter argumentando id sequi videatur.

Cap. 4. Quartum caput non fideliter collectum est. Non enim fuit controversia, utrum dignum vel indignum Deo videatur, si ante omnem praevisionem causarum secundarum de rebus etiam minimis disponat atque praeordinet: sed utrum re ipsa et de facto omnia, quae in mundo fiunt tam a causis liberis quam a naturalibus, sint ante omnem praevisionem causarum secundarum efficaciter praeordinata, id est, praevolita: scilicet, ut efficax volitio distinguitur a voluntate permissiva, ut patet in censura propositionis 17. De illa autem parte, utrum omnis Dei voluntas, qua aliquid ante praevisionem causarum secundarum praeordinat, libertati et contingentiae adversetur, hactenus controversia non fuit, sed nova controversia est. Quomodo autem hoc verum sit, patet in Apologia ad censuram propositionis 17. et 23.

Cap. 5. Quintum caput etiam nova controversia est, et mutilate a DD. Censoribus collectum ex Apologia assertionis 24.

Cap. 6. Sextum caput similiter nova controversia est et parum fideliter collectum ex Apologia assertionis 8. et 9. Non enim ibi dicitur, id quod per necessariam consequentiam inde colligitur, sed id quod inde necessario sequitur; inter quae tanta differentia est, quanta inter veritatem et errorem. Quamvis secundum alium quemdam sensum id quod hic dicitur, possit esse verum ut statim patebit.

Cap. 7. Septimum caput totum ad novam controversiam pertinet et male collectum est. Nemo enim umquam dixit, esse de liberi actus ratione, ut a voluntate procedat tempore et natura prius ad ipsum actum indeterminata. Nam liberum arbitrium in primo instanti, quo est, potest habere actum liberum ut ostendimus de Angelis, Adamo et Christo Domino, et multi tenent de Beata Virgine: sed nihil hoc ad quaestionem de gratia efficaci, sed prioritas naturae est quae urget.

Cap. 8. Octavum caput etiam novum est et male collectum. Numquam enim dictum est fieri posse, ut Deus frustra misereatur sicut hic indicatur.

Cap. 9. Nonum similiter omnino falso collectum est, ut patet in Apologia assertionis 8. et 9. sub finem, ubi sic dicitur: Nemo umquam dixit specialem Christi gratiam, quam Scripturae commendant, esse

proprie illum concursum supernaturalem. Nam ea quae in Scripturis commendatur varia est etc.

Cap. 10. Decimum caput nova controversia est et absolute falsum, neque a nobis unquam assertum, sed aperte contrarium indicatum in Apologia assertionis 8. et 9., ubi dicitur, requiri auxilium protegens et dirigens, et hominem posse habere bonum actum ante gratiam iustificationis.

Cap. 11. Undecimum ad priorem controversiam pertinet et eo modo quo ibi expressum et explicatum est defenditur.

Cap. 12. Duodecimum etiam male collectum est. Illud enim *semper* non pertinet ad induratos, ut patet ex propositione 14. in censura. Deinde malo more hae propositiones quae seiungi deberent, utpote quae diversum gradum certitudinis habeant, ita convolutae sunt, ut, si qua minus sit certa, ceterae omnes minus certae videantur. Nam quod omnes habeant auxilium sufficiens ex parte Dei, nempe pro loco et tempore, admittitur ab omnibus doctoribus, uno tantum excepto. Quod autem obdurati habeant, a quibusdam negatur. Malus ergo iste mos est colligendi alterius sententias, quo plures propositiones in unam tali arte conglobantur. Quicumque enim fideliter alterius sententias vult colligere, debet eas seorsim et distincte ponere, ut singulae per se expendi possint.

Cap. 13. Decimum tertium omnino depravate et falso collectum est. Nam primo de parvulis in maternis uteris morientibus inter nos quaestio non fuit, sed de parvulis iam natis, ad quos baptismi remedium pertinet. Deinde nusquam dictum est, illis relictam esse excusationem, etiamsi Deus destinato consilio eos propter peccatum originale interimeret. — Tertio numquam dictum est improbabiles esse D. Augustini expositiones.

Ex his patet primo, qua fide, quo candore et veritatis studio haec capita ex Censura et Apologia collecta sint. Deinde patet, si haec licentia concedatur, numquam terminandam fore controversiam. Nam semper nova, eaque malo more depravata, excogitabuntur, eritque res tota confusa et inexplicabilis. Tertio patet, istud scriptum (praeter quam quod illorum sententias paulo clarius explicet quam Censura) ad nihil aliud valere quam ad involvendam controversiam. Nunc igitur nos capita controversiae ex propositionibus in Censura notatis et in Apologia defensis explicemus, retentis iisdem verbis, ne ab antiqua controversia recedamus.

De Scriptura.

Prima Propositio.

Ut aliquid sit Scriptura Sacra non est necessarium, singula eius verba inspirata esse a Spiritu Sancto; scilicet ea inspiratione qua Spiritus Sanctus singula verba materialia in mente scriptoris formet.

Secunda Propositio.

Non est necessarium ut singulae veritates et sententiae (quales sunt, Lucas est mecum solus, Trophimum reliqui infirmum) sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae, scilicet, ea inspiratione, quod singularum sententiarum veritatem novo modo cognoscat, quando eas antea ratione naturali vel experientia certo cognoscebat, quamvis opus fuerit excitatione et directione et infallibili assistentia ad scribendum.

Tertia Propositio.

Si aliquod opus vel sententia humana industria sine illa infallibili Spiritus Sancti assistentia scripta, a Spiritu Sancto postea approbetur tamquam vera et salutaris, efficietur Scriptura Sacra, nempe quoad infallibilem auctoritatem independentem a Scriptura Sacra.

Ubi notandum, opus illud continere debere materiam Deo dignam, nec excluditur excitatio Spiritus Sancti ad illud scribendum, sed solum infallibilis assistentia. Hic tamen modus in nulla Scripturae parte reperitur, sed non implicat.

De auxilio sufficienti.

Prima Propositio quae in Censura est 2.

Deus post lapsum dat omnibus sufficientia auxilia contra quodque peccatum et ad consequendam iustitiam et vitam aeternam.

[1.] Notandum est, 1. hanc propositionem intelligi de adultis ratione utentibus: nam de parvulis est propositio 16. et 17. 2. Notandum, agi de auxilio quod sit sufficiens mediate vel immediate, sicut omnes doctores intelligunt.

Nam perspicuum est non omnibus actu dari auxilium quod sit immediate sufficiens ad salutem, cum hoc ne omnibus quidem iustis detur in actu.

2. Omnibus ergo auxilium sufficiens ex parte Dei datur; quia omnes adulti pro loco et tempore accipiunt bonas inspirationes et affectiones, cum quibus si quantum in ipsis est facerent, darentur eis ulteriora auxilia quibus tandem ad fidem atque adeo ad iustitiam possent pervenire.

3. Notandum hanc propositionem habere duas partes. Altera est qua dicitur dari omnibus sufficiens auxilium ad evitandum quodvis peccatum et resistendum cuivis tentationi, ita ut non necessario succumbant. Altera est qua dicitur omnibus dari auxilium sufficiens ut possint pervenire ad fidem, iustitiam et salutem. Quae duae partes distinctae sunt et distinctis argumentis probantur.

Ad hanc propositionem pertinent multae aliae positae in Censura, quae non continent novum aliquod dogma, sed solum probationes et solutiones argumentorum.

4. Notandum pro hac propositione nos citasse plurimos Patres et Doctores scholasticos, qui omnes (quod sciam) sunt in hac sententia praeter unum Gregorium Ariminensem. Quam etiam tenent omnes, ni fallor, recentiores, qui hoc tempore scripserunt contra haereticos. Ad quos auctores DD. Lovanienses nihil aliud respondent quam eos deceptos fuisse lectione Fausti Galliarum Episcopi, et hanc sententiam non sine praeiudicio traditae a Patribus adversus Pelagium de gratia Christi doctrinae ad posteros a scholasticis transmissam esse, ut patet numero 175. Unde haec censura eorum est contra omnes Doctores scholasticos et alios recentiores qui contra haereticos scripserunt.

Docent autem ipsi: Neminem in hac imbecillitate naturae ex peccato originali contracta habere auxilium sufficiens ex parte Dei, seu sufficienter praeparans ad conversionem aut conversionis initium aut ad aliquod opus bonum, nisi cui datur auxilium ita efficax, ut infallibiliter liberum eius arbitrium ad haec determinet et ipsum opus bonum sua efficacia ponat, quod tamen in statu innocentiae non erat necessarium ob naturae integritatem. Cum aliis vero auxiliis sine isto neminem suam salutem posse inchoare aut credere aut opus bonum facere patet ex Antapologia Numero 164., 167., 177., et ex Censura propositionis 8., 9., 10., 14.

Secunda propositio quae in Censura est 8. et 9. quae debent coniungi hoc modo.

Ut peccator possit converti, non est necessarium ut recipiat utrumque auxilium (praeveniens scilicet et concomitans) in actu secundo, sed satis est ut accipiat auxilium praeveniens (nempe sufficiens) in actu secundo, et tunc vere habet auxilium sufficiens (antecedenter) ad actualem conversionem; ut tamen actu convertatur, necessarium est auxilium concomitans seu concursus specialis et supernaturalis, qui ita est praeparatus peccatori sufficienter excitato, sicut concursus naturalis et generalis praeparatus est potentiae naturali v. g. potentiae videndi. Et infra: Deus non dat ipsa opera bona (praeveniendo libertatem) nisi quatenus per gratiam praevenientem dat nobis auxilium sufficiens et paratus est dare concursum gratiae concomitantis in actu secundo, si velimus.

Hanc propositionem tenent omnes illi qui admittunt auxilium sufficienter praeparans ad conversionem vel ad aliquod opus bonum, cum quo tamen stat ut homo non convertatur vel non faciat opus bonum quia non vult, ut sunt omnes Doctores scholastici et Patres citati pro prima propositione et recentiores qui scribunt contra haereticos, ut videre est in utraque Apologia ad assertionem 2., 8. et 9. Nec diffitentur DD. Lovanienses, sed omnes illos reiiciunt num. 175. In hac autem propositione consistit praecipua nostra controversia.

Habet autem tres partes. 1. Significatur aliquem posse converti et habere auxilium antecedenter sufficiens ex parte Dei ad conversionem, ita tamen ut actu non convertatur.

2. Significatur tali homini praeparatum esse auxilium concomitans necessarium ad conversionem, ita ut quodammodo sit in illius potestate hoc auxilium habere, eo fere modo, quo auxilium generale est in hominis potestate.

3. Significatur Deum non infundere opera bona, quasi extrinsecus adveniant, seu antecedenter et praeveniendo nostram libertatem non dare illa, nisi quatenus dat auxilium praeveniens sufficiens ad illa (quod etiam continet divinam protectionem et directionem) et paratus est cooperari ad illa. In actu autem secundo dat opera bona, dum nobis per gratiam suam operantibus ipse cooperatur. Docent autem Domini DD.: 1. Neminem habere auxilium praeveniens sufficienter praeparans ex parte Dei, nisi qui accipit ita efficax, ut actu convertatur, ac proinde neminem posse converti potentia propinqua nisi qui actu convertitur, id est, credit vel acquiescit divinae vocationi. Ita docent in Censura ad propositionem 8. et 10. Et in Antapologia locis ante citatis et num. 113. et sequentibus et 183. Deinde [2.] hanc gratiam efficacem habere non esse in cuiusquam potestate, etiamsi aliis divinis excitationibus et piis affectionibus sit praeparatus. Patet ex Censura propositionis 8., 9. et 10. et in Antapologia num. 135. Immo nec paratum esse Deum illam dare aliis quam quibus de facto eam dat. Nam si esset paratus, non obstarent hominum malae voluntates, num. 166., 167. et 169. Indicatur in Censura proposit. 1., 8., 9. et 10. et in scripto contra antitheses. 3. Deum dare opera bona praeveniendo libertatem et immediate efficaciterque ea in nobis operando: quam operationem habere non est in nostra potestate, num. 135. et in Censura proposit. 9.

Tertia quae in Censura est 10.

Ut faciamus (aliquod opus bonum), non requiritur aliqua efficax excitatio, quae voluntatem infallibiliter determinet, qualis forte fuit in Paulo, Magdalena aliisque nonnullis, dum converterentur, sed sufficit multo minor, quae plenissimam relinquat libertatem. Eadem propositio est omnium eorum, qui ponunt aliquod auxilium praeveniens ex parte Dei sufficiens, cum quo stare potest, ut quis non agat, ut sunt omnes citati circa 2., 8., 9. propositionem in Apologia.

Docent autem Domini DD. propter imbecillitatem naturae contractam ex peccato originali ad singula opera bona, etiam in iis qui sunt iustificati per habitus infusos, requiri novam quamdam motionem praevenientem ita efficacem, ut cum ea stare non possit, ut illud opus non facias. Patet ex Censura ad proposit. 8. et 10. Et in Antapologia numero 152. et sequentibus.

Quarta quae in Censura est 13.

Est quoddam perseverantiae donum consistens in quodam speciali auxilio et protectione, quo Deus ita protegit et munit quosdam, ut fere

indeclinabiliter et infallibiliter in gratia perseverent usque ad mortem, quod quibusdam conceditur, ut forte Apostolis post acceptum Spiritum Sanctum, et iis qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud est perseverantiae donum consistens in quodam auxilio et protectione, qua Deus ita adest (paratus auxiliari), ut possint in gratia perseverare, si velint. Et hoc donum est necessarium ad salutem et datur omnibus iustis immediate in actu primo.

Hic dicuntur duo: 1. fuisse aliquos in hac vita confirmatos in gratia, quae est communis sententia doctorum, ut ostensum est in Apologia; et hos habuisse excellentius donum perseverantiae, id est, per quod perseverarent, quam alios communes homines; 2um est omnes iustos habere sufficiens quoddam donum ex Deo, quo vere possint perseverare, si gratiae divinae per suam negligentiam non defuerint. Quod est Concilii Tridentini sess. 6. cap. 13. et can. 22.

Docent autem Domini DD. non fuisse aliquos confirmatos in gratia, et non esse agnoscendum in statu lapso aliquod donum perseverantiae, quo quis possit perseverare et tamen actu non perseveret, sed hoc tantum fuisse in statu naturae integrae. Ita in Censura propositionis 13. et multis locis huius scripti: quia non ponunt ullum auxilium sufficiens, nisi quod sit ita efficax, ut cum eo facias.

Quinta quae in Censura est 14. et 18.

Indurati et excaecati habent sufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur. Intellige pro tempore et loco (numquam enim ita deseruntur, ut aut necessario peccent, aut numquam ad cordis ostium Deus pulset). Et infra: omnes infideles semper et ubique habent auxilium sufficiens ad salutem ex parte Dei. Si enim facerent quod in ipsis est, et quantum possent secundum praesentem dispositionem naturalem vel supernaturalem, quam habent, Deus illos illuminaret, ut credere possent vel converti (nempe dando illis maiora auxilia quibus sensim possent progredi).

Dico de infidelibus: „*semper et ubique.*“ Quia scilicet nulla est mensura peccatorum, in qua Deus hominem penitus deserat, ubicumque terrarum sit et inter quoscumque populos habitet.

Dico: „*si facerent quod in ipsis est.*“ Non quod operibus moralibus bonis vel retrahendo se a peccatis possint mereri maiora auxilia vel directe se ad illa disponere; sed quia Deum, paratissimum misericordiam suam effundere, non impedirent.

Haec propositio habet tres partes quae ab omnibus fere doctoribus tenentur, ut ostensum est in Apologia.

Ad quos nihil aliud respondent nisi reiiciendo.

Itaque docent illi contrarium, quod ad induratos et infideles attinet; patet in Censura ad hanc propositionem; neminem etiam faciendo quod in se est, posse uti divinis inspirationibus aliisque auxiliis prae-

venientibus iam acceptis, nisi accipiat novum auxilium praeveniens ita efficax, ut faciat illum uti. Patet num. 172. et 177.

Sexta quae in Censura est 16. et 17.

Parvuli ex parte Dei habent sufficiens remedium contra peccatum, praesertim in nova lege hoc sensu: quia Christus pro omnibus mortuus est, et pro omnibus instituit sacramentum in remedium peccatorum, nemine excepto. Quod autem applicatio talis remedii ob aliqua impedimenta occurrentia fiat impossibilis, non est Deo imputandum. Quia non ordinat causas naturales et liberas, ut applicatio fiat impossibilis, vel ut talia impedimenta occurrant, sed tantum permittit non applicari, sinendo res agi secundum communem providentiam. Idque permittit iusto iudicio, ut in aliis ostendat gratiam, in aliis iustitiam; et etiam quia non expedit cursum naturalem rerum semper mutari et libertatem hominum impediri.

Ubi notandum hanc secundam causam permissionis, quam in nostris lectionibus expressimus, a Dominis collectoribus fuisse omissam. Agitur autem de parvulis iam natis. Nam ad illos tantum remedium legis novae, veteris et naturae pertinet. Haec propositio colligitur ex epist. B. Cypriani ad Fidum, quae est 59., ex Prospero, lib. 2. de vocat. gent. cap. 23., Driedone de capt. et redempt. generis hum. fol. 130.

Docent autem Domini DD. omnes parvulos quos ante baptismum mori videmus a Deo ante omnem praevisionem causarum secundarum, quae mortem erant allaturae, fuisse huic morti in particulari destinatos, quod nollet eos in regni sui consortium admittere. Et idcirco alios quidem interimere per causas naturales, flectendo et movendo eas ad hoc, ut mortem ipsis afferant in suorum iudiciorum executionem; alios autem per causas liberas permittendo, ut suam malitiam in parvulos effundant; num. 104. et sequentibus. Item 110. et 111.

De Providentia et Voluntate Divina.

Propositio septima, quam notat Censura proposit. 17. et 24.

Deus non praeordinavit seu praevoluit absolute et efficaciter in particulari omnia, quae fiunt in mundo, ante praevisionem determinationis causarum secundarum, neque ipsas causas secundas, ut omnia fiant, praeveniendo determinat, ut sunt actus intrinsece mali, actiones ludicrae, primi motus peccatorum, numerus, motus, situs omnium muscarum etc. Similiter nec omnia supplicia Christi Domini et Sanctorum fuerunt in particulari decreta et praevolita ante praevisionem malitiae Iudaeorum et tyrannorum.

Notandum est 1. hanc sententiam esse generalem de omnibus omnino, quae fiunt a causis naturalibus et liberis, ad quae divina providentia se extendit. Domini autem DD. modo excipiunt peccata

num. 100., cum tamen in Censura generatim hanc propositionem reprehenderint.

Notandum 2. divinam providentiam ad omnia penitus in particulari cum omnibus suis circumstantiis sese extendere, ita ut nihil omnino nec ullus rei positivus aut privativus modus sine divina providentia fiat, ut ostensum est in Apologia. Cum hoc tamen stat, ut Deus non efficaciter velit omnia aut omnes rei modos. Quam sententiam putamus esse omnium Patrum et pene omnium scholasticorum.

Docent autem ipsi, a Deo omnia, quae peccata non sunt vel saltem sine peccato fieri possunt, in particulari ante omnem omnino praevisionem determinationis causarum secundarum esse efficaciter et absolute decreta et praeordinata. Et ut in tempore fiant, Deum praeveniendo determinare causas naturales et liberas nisi quando mediante peccato fiunt. Tunc enim tantum permittere ut causa secunda seipsam determinet. Et ita omnia martyrum supplicia et omnium hominum mortes esse in particulari ante omnem praevisionem malitiae tyrannorum etc. decretas. Ita docent num. 100. et sequentibus. Item num. 104., 106., 110.

De Praedestinatione et Reprobatione.

Octava propositio quae est in Censura 20. et 29.

Sententia quae dicit, eos qui salvantur non esse absolute et efficaciter electos ad gloriam immediata electione ante omnem praevisionem bonorum operum vel applicationis remedii contra peccatum, et eos qui damnantur non esse reiectos a gloria decreto Dei destinatosque suppliciis ante omnem praevisionem demeritorum vel mortis in peccato, est valde probabilis.

Tenent autem hanc sententiam omnes Patres Graeci, adeo ut communiter dicatur esse sententia Graecorum. Et quamvis diversa sententia Augustino tribuatur, non puto tamen esse Augustini. Nam ubi de hac re loquitur, non exprimit, utrum loquatur de immediata electione ad gloriam, an de mediata quae est ad gratiam, qua praesciebat hominem ad gloriam perventurum. Item an loquatur de electione efficaci et absoluta, an de conditionata, id est, si gratiae fuerint cooperati, quomodo intelligendas esse promissiones divinas docet Concilium Tridentinum sess. 6. can. 20.

Hic notandum est distingui praedestinationem ab immediata et absoluta electione ad gloriam. Praedestinatio enim est praeparatio gratiae et omnium beneficiorum, quibus Deus praescit hominem salvandum. Electio efficax et absoluta ad gloriam est immediata praeparatio gloriae seu voluntas absoluta dandi gloriam, nullam amplius praesupponens conditionem quae sit in hominis potestate; sicut explicuimus non solum in lectionibus et Apologia, sed etiam in propositionibus Facultati 15. Maii anno 1587. oblatis, quatuor mensibus ante Censuram nobis exhibitam.

Notandum 2. recte dici omnes salvandos quadam peculiari ratione destinatos esse ad gloriam, qua non sunt destinati ii qui damnantur. Omnibus enim salvandis praeparata fuit ab aeterno ea gratia qua Deus praesciebat eos salvandos. Qui autem non salvantur, talem gratiam praeparatam non habuere, sed aliam, cum qua tamen quidam illorum facile potuissent salvari, ut manifestum est in Angelis.

Docent autem Domini DD. omnes, qui salvantur ex hominibus post lapsum, fuisse absoluta voluntate ante omnem omnino praescientiam meritorum electos ad gloriam, atque adeo ad certum gloriae gradum, neque requiri ab homine illam conditionem quae dependeat a libero arbitrio. Patet hoc num. 31., 38., 42., 43., 44. Alios autem destinatos damnationi, ut patet num. 50., 51. et aliis locis. Angelos tamen volunt electos ad gloriam ex sola bonorum operum praevisione. Auctores autem, quos pro nostra sententia adduximus, partim reiiciunt, ut Sedulium, Arnobium in psalmos, Origenem, Theodoretum, Auctorem libelli de praedestinatione et gratia, Theophylactum, Oecumenium, Photium, tamquam Pelagianae haeresi affines, et Primasium tamquam non satis accuratum. Alios autem mirifice interpretantur, ut Dionysium, Irenaeum, Clementem Alexandrinum, Damascenum, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum. Dicunt enim gloriam dupliciter praedestinari, 1. sub ratione gratuiti muneris; et ita non esse praedestinatam ex meritis, sed omnino gratis; 2. sub ratione mercedis seu iustae retributionis; et ita praedestinatam esse ex meritis. Et de hoc secundo modo istos Patres explicandos esse. Ita docent numero 40. Quae quanti valeant, infra videbimus.

Nona continens 1. et 30. in Censura.

Praedestinatio praesupponit praescientiam conditionatam, id est, eam praescientiam, qua Deus praescit, quid homo secundum unamquamque motionem, excitationem et occasionem esset facturus. Ubi notandum est secundum nostrum modum intelligendi prius esse in Deo praescire, quid homo secundum talem vel talem excitationem esset facturus, quam velle ut hoc vel illud faciat. Ut enim velit me hoc vel illud libere facere necesse est, ut praesciat modum eius excitationis et auxilii, quo videt me illud libere facturum, si ita excitarer et moverer.

Docent autem ipsi talis praescientiae rationem in praedestinatione non esse habendam, alioquin praedestinationem videri ex meritis, num. 21. et sequentibus.

Ad haec reducuntur reliquae propositiones in Censura notatae, quae nihil aliud sunt quam ratiocinationes vel argumentorum solutiones, quae satis in Apologiis sunt explicatae. Itaque de illis nova disputatione non est opus. Atque haec sunt capita controversiae quae inter nos hactenus fuit; quae volui notare, tum ne ad novas sine fine dilabamur, tum quia pleraque depravate a Dominis DD. hic expressa erant.

Sciendum tamen est, esse duo principia, quibus dicunt nostram

sententiam niti, quae si vera sint, eorum dogmata ut Calviniana sint damnanda, ita num. 9. in Praefatione. Ut autem facilius ea possent refutare, non recte posuerunt, et non eo modo, quo a nobis in Apologia proferuntur, et contra illorum sententiam de gratia efficaci vim habent. Et prius quidem dicunt esse istud: De actus liberi ratione est, ut a voluntate procedat tempore et natura prius ad ipsum actum indeterminata et indifferenti; cum in Apologia Lovaniensi ad propositionem 8. et 9. responsione secunda sic habeatur: De ratione actus liberi est, ut voluntas, quomodocunque sit praeparata, sit indifferens et indeterminata ad illum actum in omni instanti quod antecedit actum, immo in omni instanti quod est prius natura quam eliciat actum, ita ut in omni priori signo sicut potest elicere actum, ita possit non elicere. Et in Apologia Duacensi: De ratione actus liberi est, ut procedat a voluntate in omni instanti et temporis et naturae indeterminata ad ipsum, habente in sua potestate omnia necessaria ad illum eliciendum et non eliciendum. Hic non dicitur debere aliquod instans temporis praecedere actum liberum, quo voluntas sit indeterminata (manifestum est enim secundum communem sententiam theologorum, angelos in primo instanti suae creationis habuisse actum liberum, quod nos etiam docuimus non solum de angelis, sed etiam de Adamo et Christo Domino, et probabiliter quidam tenent de Beata Virgine), sed tantum significatur, si voluntas tempore antecedat suum actum, debere illam in aliquo instanti temporis esse indeterminatam ad suum actum. Tamen Domini DD. sic ponunt istud axioma, quasi requiram aliquod instans temporis, quod antecedat, et in hoc fundant suam refutationem: quamvis etiam ita positum vim suam retineat, ut infra dicetur.

Alterum axioma dicunt esse: Quicquid ex positione aliqua, quae in nostra potestate non sit, per necessariam consequentiam sequitur, id esse ita necessarium, ut liberum esse nullo modo possit. Hic duplex est defectus: 1. quia non agitur in nostro argumento, unde hoc axioma petitum est, de *quavis* suppositione, sed de illa, quae intrinsece liberum arbitrium determinat. 2. Non dicimus *„ex qua aliquid per necessariam consequentiam sequitur,“* sed *„ex qua aliquid necessario sequitur.“* Sic enim habetur in Apologia ad propositionem 8. et 9. responsione 3.: „Quando suppositio non est in nostra potestate, tunc id quod sequitur necessario ex suppositione, nullo modo est liberum.“ Agitur autem de suppositione, quae „intrinsece liberum arbitrium determinat“, ut patet ex versibus praecedentibus.

Ex his patet, quo studio explicandae veritatis haec Antapologia contexta sit, cum ita controversiae capita et dogmatum principia mutentur et depraventur. Quam autem haec duo axiomata sint firma, et quantam vim habeant, infra patebit. Et haec quidem sufficere possent ad controversiae huius explicationem: verum ne quid ex parte nostra desiderari possit, respondebo breviter quantum opus erit ad istud longissimum scriptum.

Ad Praefationem Antapologiae Lovaniensis.

Numero 1. dicunt se esse iussos respondere nostrae Apologiae.

Respondeo hoc verum esse, si idem est iubere et urgentibus aliquid concedere, ut optime novit Illustrissimus et Reverendissimus Nuntius Apostolicus.

2. Dicunt nos mutasse nostram Apologiam et hoc illis iniecisse moram; nam se coactos fuisse ea mutare, quae iam ante sextum Iulii contra scripserant.

Resp. Mirum videri non deberet, si quid esset mutatum. Nam octo omnino diebus est tota confecta. Sed nihil est mutatum praeter responsionem de Scriptura, quam fecimus clariorem et efficaciorem, praesertim quod postea animadverteremus, Epiphanium non esse fideliter a Censura citatum. In aliis autem mutatio nulla facta est, sed tantum quaedam sunt addita, ut responsio cuiusdam Magistri Nostri ad locum quendam Concilii Tridentini sess. 6. cap. 5., sicut Romani videre poterunt qui primum exemplar habent. Habuerunt autem Domini DD. Apologiam nostram ab initio Quadragesimae, ut non defuerit tempus tam ingens scriptum conficiendi. Quod autem eis ab initio authenticam non obtulerimus, in causa fuit: 1. Quod eam non vellemus in publicum prodire, antequam a Romanis visa esset, ubi aliquot menses elapsi sunt. Accepto autem Romanorum iudicio, misimus eam mense Martio ad Rm̃um Archiepiscopum Mechliniensem. Deinde quod quidam ex Dominis DD. minarentur (ut nobis ex eorum etiam literis constat, quarum habemus exemplar) se visa Apologia mox contra scripturos. Nos autem malebamus hanc rem iudicio vel arbitris transigi quam scriptis contra duas Academias cum magno Catholicorum scandalo et haereticorum gaudio contendere, praesertim cum facile animadverteremus quosdam nihil aliud moliri, quam ut talibus scriptitationibus res in aliquot annos extraheretur.

Num. 3. dicunt nos confidenter magis quam fideliter plurimos auctores citasse.

Resp. Hoc isti boni viri valde saepe repetunt, et ubique hac in re nostrum candorem requirunt, sed in progressum patebit an haec merito ab illis dicantur. Nam bene a nobis citati sunt, sed ab ipsis vel reiiciuntur tamquam haeresi affines, vel in alienum sensum torquentur, ut infra videbimus. Quod autem [4.] dicunt veterum testimonia indiligenter a nobis tractari: *Resp.* Non licere nobis 11 vel 12 annos in uno positivo, ut vocant, cursu theologico haerere, et idcirco nos non citare dimidias vel integras paginas ex D. Augustino, sed contentos esse paucis verbis ex Patrum testimoniis desumptis exprimere, quae ad rem pertinent. Qua in re eruditissimos viros imitamur; hoc enim postulat ratio theologiae dogmatica et scholastica.

Num. 5. dicunt se nolle prosequi, utrius partis culpa haec res in publicum pertracta sit.

Resp. Hoc necessarium non esse, omnibus enim hoc satis constat. Nam uno mense antequam nobis Censura traderetur, constabat passim inter studiosos et per totam Academiam, Facultatem Theologicam contra nos censuram fecisse. Nam exemplaria in variis passim collegiis describebantur, et cum nobis 12. Septembris per bedellum tandem esset exhibita, vix sex diebus elapsis ad Rm̃um Archiepiscopum Mechliniensem et alios quosdam Episcopos missa fuit, ut constat ex testimonio eiusdem Rm̃i, qui 4. et 5. Iulii coram Illm̃o et Rm̃o Nuntio Apostolico dixit se 17. vel 18. Septembris unum exemplar pro se, alterum pro Rm̃o Lindano a Dominis DD. accepisse, et alium quemdam Episcopum adhuc citius habuisse. Initio autem Octobris omnibus fere Episcopis communicata erat, et de ea ad Facultatem Duacensem et Parisiensem mittenda consultabatur, ut nobis quidam Rm̃us Episcopus et quidam ex Magistris nostris retulerunt. Unde etiam patet merum esse commentum (quod tamen quidam per Belgium literis spargere non dubitarunt) Dominos DD. censuram suam minime evulgaturos et Episcopis obtrusuros fuisse, nisi nos eam primo contra pacta utrimque inita transmisissemus Romam una cum Apologia et inter discipulos multa publicassemus. Numquam enim vel minimo indicio significavimus, nedum promisimus, nos, si a Facultate quippiam contra nostram doctrinam scriberetur, id Romam ad nostros superiores non missuros. Immo saepe contrarium aperte illi significatum fuit diu antequam Censura nobis traderetur, neque tale quid Facultas iuste a nobis potuisset exigere. Censuram vero nos numquam evulgavimus, Apologiam autem inter discipulos non publicavimus ante adventum Illm̃i et Rm̃i Nuntii Apostolici. Ceterum quid nomine Censurae MM. NN. significare voluerint, disputare nolumus. Quid autem vulgo significet, et quid per totum Belgium homines intellexerint, satis experti sumus, et quotidie experimur, dum tamquam Pelagianismi suspecti ubique traducimur. Quid etiam quidam ex MM. NN. in quibusdam suis literis per Belgium sparsis nostras propositiones a Censura notatas assertiones damnatas vocans (quod videlicet a Censura damnatae sint, quam dicit a Facultate ad Rm̃um Archiepiscopum tamquam ad ordinarium controversiarum iudicem missam esse) hoc nomine intellexerit, obscurum non est, ut illud omittam: *Vexat censura columbas.*

Num. 8. dicunt non posse nos iuste conqueri de negata audientia.

Resp. Iuste conquerimur. Nam saepe obnixe rogavimus eos ab initio huius controversiae, ut duos dignarentur deputare, qui nobiscum de istis sententiis, quas ex nostris lectionibus excerpserant, agerent, nostrasque explicationes audirent, idque coram viris gravibus et adhibito, si videretur, etiam notario, ut appareat vanas esse rationes illas negati colloquii, quas quidam literis suis per Belgium sparserunt. Cum autem videremus illos nullo modo ad colloquium induci posse, sed omnino scripto agere velle, dictum illis fuit, si quid scriberent, nos non responsuros nisi omnibus ante cum R. P. N. Generali communicatis.

Nulla alia unquam fuit inter nos facta conventio, ut scripto ageretur. Immo ternis literis apud Rm̃um Archiepiscopum Mechliniensem actum est, ut eos dignaretur ad colloquium coram arbitris et notario adducere.

Num. 10. Displicet, quod notati ab ipsis Pelagianismi regeramus Calvinismum et ita partes haereticorum non parum iuvemus.

Resp. Non assumpsimus nobis primi auctoritatem damnandi sententias dominorum DD., sed ab ipsis censura notati et damnati, nulla ad id data occasione, conamur nostras sententias defendere, ostendentes argumentis, contrarias videri incurrere in errores Calvini, cuiuscumque demum eae sint. Nam una pars probationis tuae sententiae est vel efficacissima, si ostendas contrarium esse errorem. Non ergo hoc Domini debent aegre ferre, quia par est, ut nostram sententiam, quam securam esse putamus, tueamur, donec Sancta Sedes Apostolica, quid tenendum sit, statuat. Neque hoc modo causam haereticorum iuvamus, sed catholicam sententiam stabilimus. Videant autem DD. DD., an illorum causam non iuvent, cum Societati eumdem errorem impingunt, quem haeretici in Germania ei ante annos fere triginta affinxerunt, ut videre est apud Andradium lib. 4. qui est de libero arbitrio.

Num. 11. Male eos habet quod in Apologia rationibus philosophicis (ita enim argumenta scholastica vocare solent) plus satis utamur.

Resp. Facimus hoc exemplo omnium doctorum scholasticorum. Quanti enim modus ille dogmaticus scholasticorum sit faciendus, vel ex una Sm̃i D. N. Sixti V. constitutione, qua B. Bonaventuram in Doctorum numerum refert, intelligere possunt. Cuius in hac re iudicium Ecclesiae universalis iudicium censeri debet.

Num. 13. Dicunt nos assertiones nostras tacite retractare, corrigere, limitare, mitigare, mutare, nonnulla dissimulanter praeterire et ambiguis verbis nos tegere, idque propter propositiones de Scriptura, et quia diximus, putare nos, D. Augustinum in quaest. de immediata electione ad gloriam nostrae sententiae non refragari; cui tamen antea dicebamus contrariam sententiam tribui.

Resp. Omnino a veritate alienum est nos a priori sententia recedere, sed MM. NN. debuissent omnia bene antea intelligere nostrasque explicationes, vel rogati toties, audire, quam censuram contexerent; praesertim cum quidam etiam studiosi, dum censura dictaretur, aperte testarentur, non eam esse nostram mentem, quam ipsi putarent. Hinc etiam quidam ex illis multa valde a causa aliena ex parergo in suis literis per Belgium sparsis contra nos disputarunt et Dominum Adrianum, Driedonem, Ruardum, Cunerum et Ritthovium a se facere asseruerunt, qui tamen in hac Antapologia reiiciuntur, quia contrarium deprehensum est. Quod autem apud acta coram Illm̃o et Rm̃o Nuntio Apostolico rogati a MM. NN., an illas assertiones, quas censura notavit, pro nostris agnosceremus, respondimus, nos eas agnoscere ita intellectas, sicut in Apologia explicantur: id ideo fecimus, partim quia

Censura eas in alienum sensum rapuit in quo sane neque eas agnoscimus, neque [eae] unquam nobis in mentem venerunt; partim quod arte quadam quidam studebant nos inducere, ut illas mutaremus et corrigeremus; ut videlicet postea per Belgium spargi posset, nos sententiam mutasse et ita merito a Censura damnatos fuisse. Quas ob causas nullo modo a Censura et Apologia recedere visum fuit. Quomodo etiam initio huius controversiae multis mensibus ante Censuram conscriptam rogati, an illas assertiones pro nostris agnosceremus, respondimus, nostras esse et pro nostris agnoscere, sed suis locis positas et ita explicatas et intellectas, sicuti in nostris lectionibus, unde avulsae sunt, explicantur. Quam autem vere illorum sententiae a nobis commemorentur, vel ex illorum Antapologia patebit, quae etsi quamplurimis verbis suam sententiam involvat, et in multis locis satis inconstanter loquatur, praesertim ubi agitur, an homo possit gratiae efficaci resistere, tamen non difficulter erui poterit, quid sentiat. Reliqua quae in praefatione sequuntur responsione non indigent.

Caput primum, quo refutantur argumenta Antapologiae contra propositiones de Scriptura.

Notandum est MM. NN. antea duas priores propositiones de Scriptura admisisse, tamquam de illis nulla amplius esset controversia. Cum enim 25. Iunii ab Illmo Nuntio Apostolico iussi essent sua dogmata tradere, quae nostris contraria putarent: tradiderunt non sua, sed nostra, etsi in multis depravata, ut tunc ostendimus; in quibus aiebant consistere totam controversiam, ubi solum tertiam propositionem de Scriptura duabus prioribus omissis posuerunt, tamquam de illis nulla amplius esset controversia. Verum quia eas rursum placuit oppugnare, ut eorum argumenta solvantur, quae ex aliena Apologiae intelligentia manant, sciendum est ea quae in Scripturis habentur duplicia esse. Quaedam talia sunt, ut ratione naturali vel experientia vel alio modo certo cognita scriptoribus antea non essent. Et circa haec egebant nova revelatione et lumine supernaturali. Quae revelatio dum illis fiebat per internam Spiritus Sancti locutionem, simul etiam in mente eorum formabantur verba quibus ea exprimerentur. Quicquid enim concipimus, sub certis verbis alicuius linguae concipimus; ut autem ea scriberentur, opus erat infallibili assistentia Spiritus Sancti et continua directione, ut possent ea exprimere, sicuti ipsis erant revelata; non tamen egebant tunc nova revelatione, quasi iterum deberet illis revelari, quod iam ante revelatum erat, sicut obiiciunt MM. NN. num. 16. et 17. Neque hoc Apologia nostra vult dicere.

Alia vero iam ante certissime cognita erant scriptoribus vel ratione naturali vel certissima experientia vel alio modo. Et ad haec scribenda non egebant nova revelatione seu lumine supernaturali quo ea novo modo cognoscerent, sed sufficiebat cognitio iam habita, et in scribendo

infallibilis assistentia, et excitatio Spiritus Sancti ad ea scribenda, simulque directio ne alicubi laberentur. Neque opus erat, ut Spiritus Sanctus singula verba menti obiiceret; sed sicut excitabat ad ea scribenda, quae iam cognoverant, ita etiam ad utendum verbis, quibus illa, dum sic excitabantur, per industriam humanam concipiebant, unde non ita singula verba in eorum mente novo illo modo formabantur, quo in mentibus Prophetarum, dum Deus illis interius loquebatur et obscura revelabat. Dirigebat tamen illos in singulis, ne vel alia vel aliter scriberent, quam ipsi videbatur; sed hoc fiebat sine revelatione vel novo modo cognoscendi. Hinc patet quodam sensu auctorem libri 2. Machabaeorum potuisse dicere, linguam suam esse calamum scribae velociter scribentis; nempe quia a Spiritu Sancto excitabatur et dirigebatur; quodam modo non potuisse, quia Spiritus Sanctus non omnia verba in mente eius praeveniendo formabat, sicut facit is qui proprie dictat. Ex his facile solvuntur argumenta, quae in Antapologia obiiciuntur. Hoc tamen animadvertendum, in duabus prioribus propositionibus nihil aliud dici, quam non esse necessarium ad rationem sacrae Scripturae, ut omnia verba materialia sint a Spiritu Sancto inspirata, id est, novo illo modo menti obiecta, qui cernitur in Prophetis; similiter non esse necessarium singulas sententias esse a Spiritu Sancto inspiratas, id est, revelatas, ut eas scriptor novo modo cognosceret. Non enim ratio Scripturae sacrae intrinsece includit, ut omnia verba materialia sint a Spiritu Sancto dictata; sed hoc est veluti accidens quoddam et ornamentum eius. Alioquin si exemplaria hebraea et graeca intercciderent, Ecclesia careret Scriptura sacra. Immo iam de facto Ecclesia latina Scripturam non haberet. Nam editio latina Scriptura non esset. Quod quamvis nuper in scholis publicis a quodam M. N. sit traditum, mihi tamen videtur valde absurdum, praesertim cum Concilium Tridentinum censuerit editionem latinam praeferendam esse graecae et hebraicae. Certe valde male sonat et a consensu Christianorum valde alienum est dicere, Ecclesiam latinam non habere Scripturam sacram, eo quod de ratione Scripturae sacrae sit, ut omnia verba sint a Spiritu Sancto dictata. Si enim bene intueamur, ratio Scripturae sacrae in eo consistit, quod sententia sit Dei verbum, in quacumque tandem lingua exprimatur, quodque immediatum ordinem habeat ad infallibilem primae veritatis auctoritatem. An autem de facto aliqua verba aut aliquae sententiae non sint ita inspiratae, non dicitur, quamvis putem esse probabile ob rationes in Apologia allatas, quia talis inspiratio non erat necessaria, et maxime quia auctor lib. 2. Machab. veniam petit, non autem Spiritus Sanctus, quia sciebat industriam humanam in verborum structura adhiberi. Et quia MM. NN. scire cupiunt, quinam ita sentiant, ita sensit Melchior Cano lib. II. de locis cap. 11. et 18., Dominicus Baignes 1. part. art. 8. dubit. 3. dicit esse probabile, Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecae Sanctae haeresi 12., Robertus Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei. Quam autem solida sint ea quae ab ipsis di-

cuntur num. 15. et sequentibus, non est necesse excutere, quia parum refert; satis nobis est, nostram sententiam esse securam.

Quod ad tertiam propositionem attinet ea satis explicata est in Apologia. Nam coniecturam illam, qua dicitur: „forte librum Machabaeorum humana industria scriptum esse," ex mea sententia non dixi, sed eorum, quos ante retuleram, non tamen probaveram, qui putant auctorem illum gentilem fuisse et eos libros ab Apostolis et Ecclesia auctoritatem accepisse. Quam sententiam satis indicat Sixtus Senensis l. 8. Biblioth. sacr. haer. 12. resp. ad 7., ubi sic ait: De sententia Hebraeorum circa hos libros quaecumque ea sit nihil refert, cum Ecclesia Catholica eos in Canone recipiat, nec quicquam eorum fidei derogatur, si ab auctore profano scripti sint, cum libri fides non ab auctore, sed ab Ecclesiae Catholicae auctoritate pendeat; et quod illa acceperit, verum et indubitatum esse oportet, a quocumque dictum sit auctore, quem ego neque sacrum neque profanum ausim affirmare. Haec ille. Hanc tamen sententiam non probavimus, sed diximus auctorem illum fuisse virum fidelem, qualem decet esse auctorem hagiographum. Unde mirum est quod MM. NN. num. 10. dicunt, me in priore Apologia suspicionem movisse de auctoritate eiusdem libri; ubi merito eorum candorem requirere possem, cum non possint ignorare me luculentissime probasse in lectionibus publicis, esse de fide quod uterque liber Machab. sit Scriptura canonica, non solum ad mores instruendos, ut vult Caietanus, sed etiam ad stabilienda dogmata. Idque probavi ex Concilio Carthaginensi 3. can. 47. et ex Concilio Florent. et Trident., et solvi rationes haereticorum, quae contra horum librorum auctoritatem obiiciuntur.

Quod autem ad hanc propositionem conditionalem attinet, „si aliquis liber humana industria etc.", sentio semperque sensi, nullum talem librum exstare, qui sine assistentia Spiritus Sancti eiusque excitatione et directione scriptus sit. Potuisset tamen Deus illo modo, qui hic exprimitur, uti. Volui enim tantum ostendere, rationem Scripturae sacrae consistere in illa summa auctoritate primae veritatis, quae tribus modis alicui sententiae possit applicari: 1. si Deus aliquid supernaturaliter revelet; 2. si aliquem excitet ad scribendum ea quae novit et infallibiliter assistat etc.; et hos duos modos dixi de facto reperiri in Scripturis; 3. si aliquid tamquam verum approbet, quod non aliter probavi, quam quia hic modus non implicat contradictionem. Attulique coniecturam ex aliorum sententia de libro 2. Machab. Oportet tamen ut materia sit Deo digna, ut merito Scriptura sacra appellari possit; deinde ut approbetur tamquam omnibus suis partibus verissima atque adeo ut Deus illud habeat pro suo verbo, sicut principes literas a suis secretariis scriptas pro suis habent.

Quod autem instant MM. NN. principes summam rei scribendae suis secretariis indicare et in literis principum non sapientiae, sed auctoritatis rationem haberi, *Resp.* ad prius: Etiam is qui aliquid

humana industria scripsit, potuit summam rei divina revelatione accepisse. Itaque hoc non obstat huic propositioni conditionali. Deinde etiamsi Princeps summam rei non expresserit, tamen sua subscriptione literis tribuit parem auctoritatem. Ad alterum *Resp.* non esse de ratione Scripturae sacrae, ut materia semper humanae rationis captum excedat; nam multa sunt in Scripturis, quae humana ratione cognosci possunt. Non ergo tam sapientiae divinae quam auctoritatis, quae in omnibus summa est et omnem creatam auctoritatem superat, in singulis partibus ratio habetur.

Sed *confirmatur* breviter haec propositio conditionalis. Quia multae sunt veritates naturales in Scripturis, quae priusquam divino testimonio erant confirmatae, non censebantur verbum Dei, nec pertinebant ad obiectum fidei, simulatque autem a Deo per Prophetas vel Apostolos vel alios auctores hagiographos fuerunt confirmatae et assertae, factae sunt verbum Dei et obiectum fidei. Atqui duobus modis potest aliquid asseri et confirmari, 1. expresse, ut cum verbatim omnia repetuntur, quae ab alio dicta erant, sicut si rex omnia repeteret et assereret, quae ipsius secretarius scripserat; [2.] implicite et per compendium, ut cum dicitur, omnia illa esse verissima et saluberrima. Qui duo modi in moralibus et in ordine ad fidem et auctoritatem tribuendam idem valent, ut patet in omnibus literis principum. Hoc enim ipso, quo testatur quis omnia esse verissima, censetur omnia illa asserere, et omnia illa censentur verbum ipsius, dictum tamen per compendium. Unde, si Spiritus Sanctus per Prophetam testaretur, hanc propositionem esse verissimam, „terra est in medio mundi“, non video cur haec propositio tali testimonio confirmata non esset tantae auctoritatis quantae est illa: „terra in aeternum stat,“ atque adeo cur non esset paris auctoritatis atque si Spiritus Sanctus ipsam expresse per Prophetam protulisset.

Dicet aliquis: Ergo epistola S. Leonis ad Flavianum (quae approbata est in 4. Synodo generali tamquam a Sancto Petro dictata, et a Gelasio in Concilio 70 Episcoporum) erit Scriptura sacra. Nam publico Spiritus Sancti testimonio est approbata tamquam omnibus suis partibus verissima et saluberrima. *Resp.* non sequi, quia auctoritas, quae isti epistolae accessit per approbationem istorum Conciliorum, dependens est ex auctoritate verbi Dei, unde est quodammodo minor. Nam Concilia cum suo capite habent quidem infallibilem assistentiam Spiritus Sancti in definiendis fidei veritatibus, sed deducendo eas ex Scripturis et traditionibus, ut communiter docent scriptores et insinuat Conc. Trid. sess. 4., cum dicit: Verbum Dei scriptum et traditum esse fontem omnis salutaris doctrinae; unde nituntur auctoritate verbi Dei, et hac ratione decreta Pontificum et Conciliorum sunt quodammodo infra auctoritatem sacrae Scripturae, quamquam in ordine ad fidem non putem hanc differentiam esse essentialem; sicuti differentia auctoritatis articulorum fidei et conclusionum theologicarum, quae essentialis est. Si autem illa epistola tempore Apostolorum scripta fuisset et a D. Petro vel Paulo

divino spiritu comprobata tamquam omnibus suis partibus verissima et saluberrima, videtur mihi parem sacrae Scripturae auctoritatem habitura, sive quis eam velit appellare Scripturam sacram, sive non. Nam quaestio videretur de nomine. Scripturam enim sacram generaliter voco verbum Dei scriptum, verbum autem Dei recte vocatur tam id quod explicite, quam quod compendio Deus per se vel per suos Prophetas et Apostolos dixit. Illa enim auctoritas, quae ipsi epistolae accederet, nullo modo dependens esset ex Scriptura vel traditionibus, sed immediate tantum a Spiritu Sancto, idque tam perfecte, quam si Spiritus Sanctus per Apostolum illam expresse dictasset.

Quod ad coniecturam D. Augustini attinet, num. 7., eam approbamus. Nam in iis, quae divinitus fuerunt revelata et tamen non ex divina inspiratione, sed humana tantum diligentia conscripta, potuit committi aliquis levis error vel memoriae lapsus; unde merito parem sacrae Scripturae auctoritatem non habent. Si tamen Deus ea postea approbet tamquam sua dicta, videntur mihi parem sacrae Scripturae auctoritatem habitura, licet quadam accidentaria dignitate careant. Quod autem numero 20. ex Patre Bellarmino afferunt, ex eo non recte intellecto suam censuram contra tertiam propositionem contexuerunt, ut initio statim animadvertimus: sed aliud volebant Anomoei et Erasmus et illi (contra quos Hieronymus), quam in illa propositione conditionali significatur.

Caput 2. ad Antapologiam in propositionem 1. et 30.

Status controversiae:

Nos dicimus Deum praescire, quo modo providentiae et gratiae iste homo salvaretur, et quo non salvaretur; deinde pro suo beneplacito velle uti tali modo providentiae et conferre illi talem vocationis, protectionis et directionis modum, cum quo videbat illum perseveraturum. Et hanc voluntatem vocamus praedestinationem, ut praedestinatio sit praeparatio beneficiorum, quibus praesciebat hominem libere perseveraturum. Et hoc sensu dicimus praedestinationem praesupponere praescientiam conditionatam, quae nihil est aliud quam simplex intelligentia conditionalium liberarum.

MM. NN. haec reiiciunt et putant, talem praescientiam in Deo non esse, nisi quia vult hominem sequi et praescit se hoc facturum ut sequatur. Unde praedestinationem non praesupponere talem praescientiam, sed tantum ex ipsius praeordinationis mera efficacitate Deum praescire hunc hominem secuturum et salvandum.

Notandum est hanc controversiam, sicut et illam de electione ad gloriam pendere ex alia: an gratia sufficienter praeparans in statu lapso debeat esse ita efficax, ut cum ea stare non possit, ut homo non consentiat. Si enim nulla gratia est sufficiens, ut homo cum ea possit operari, nisi quae est ita efficax, iam praedestinatio non praesupponit praescientiam conditionatam, quia haec propositio: Si hunc sufficienter

movero, sequetur, non erit conditionalis libera, sed necessaria. Si vero etiam ea gratia praeveniens est sufficiens, cum qua homo non facit, iam praedestinatio praesupponit praescientiam conditionatam.

Suppono tamquam certum ex Scriptura et Patribus in Deo esse praescientiam seu scientiam omnium conditionalium liberarum, sive eae futurae sint, sive non sint; v. g. praescit Deus, quid liberum arbitrium creaturae rationalis in quavis occasione, excitatione aut motione esset facturum. Idque non ex eo scit, quod ipse creaturam velit hoc facere aut quia videt ipsam ad hoc inclinatam (ut Antapologia videtur sentire num. 21. ratione 5. et num. 22.), sed quia de facto creatura per eius auxilium generale vel speciale sibi praeparatum se ad hoc flecteret et determinaret. Praesciebat enim mulierem, si tentaretur tali modo a serpente, et Adamum, si tali modo a muliere suaderetur, lapsuros, non quia volebat eos labi aut eos inclinatos antea ad lapsum videbat, sed quia lapsus iste revera erat consecuturus, si tali modo tentarentur. Similiter praesciebat, v. g. s. Michaelem, si talis ei gratia daretur, in bono perseveraturum, Luciferum vero casurum, non quia volebat illum stare, hunc labi, sed quia videbat utrumque libere se ad haec flexurum, si talem uterque gratiam acciperet, qualem de facto accepit. Neque deerant divinae sapientiae et omnipotentiae aliae mensurae et modi gratiae et providentiae supernaturalis, angelicae naturae consentanei, quibus praesciebat Luciferum perseveraturum et Michaelem forte lapsurum fuisse, si eos adhibuisset; sed ei placuit Michaeli talem dare gratiae modum, cum quo praesciebat illum salvandum, Lucifero autem eum cum quo praesciebat illum non salvandum. Et istud divinum beneplacitum circa eos, qui salvantur, vocamus praedestinationem, nempe ut praedestinatio sit praeparatio talium donorum et beneficiorum, cum quibus praesciebat Deus hominem salvandum. Et hoc sensu dicimus praedestinationem praesupponere praescientiam conditionatam. Neque tamen sequitur, ut MM. NN. obiiciunt, praedestinationem esse ex meritis, quia quod huic potius velit dare talem gratiam, quam isti, cum non sit melior isto, inscrutabile est Dei iudicium non solum in hominibus, sed etiam in angelis. Et multi sunt homines minus mali aliis minusque ad gratiam Dei inepti; quibus tamen non datur: ut patet de Tyriis et Sidoniis Matthaei 11.

Quod autem praedestinatio talem praescientiam praesupponat, *probatur* ex antiquis Doctoribus Lovaniensibus Driedone et Ruardo, qui sane non sunt contemnendi. Dried. de capt. et redempt. p. 133: „Adiutorium secundum praedestinationem est, quo Deus quorumdam voluntates ita iuvat, sicut aptum novit, ut obediant." Prius ergo est in Deo secundum Driedonem praescire, quod ille homo tali gratia praeventus sequeretur, quam velle illam dare et velle hominem sequi. Idem plurimis aliis locis gratiam praedestinationis vocat eam, qua Deus sic movet hominem, sicut aptum novit, ut sequatur, satis indicans, hanc praescientiam ratione priorem esse. Hunc passim sequitur Ruardus

p. 326. et 347. et aliis locis, quem quum Antapologia reiicit, etiam D. Augustinum ad Simplicium reiicit, qui saepissime repetit quod hic Ruardus docet: nempe unam eandemque vocationem et gratiam praevenientem in uno efficacem esse, in altero non esse ob diversas voluntatum affectiones.

Sed (inquit Antapologia) non dicunt illi praedestinationem praesupponere praescientiam. *Resp.* non dicunt illis verbis, sed homini ratione utenti satis indicant. Cum enim quis dicit: Gratia praedestinationis est, qua Deus sic suadet et vocat sicut *novit* hominem secuturum, aperte significat hanc voluntatem vocandi praesupponere scientiam huius conditionalis: Si eum sic vocavero, sequetur. Praescientia enim conditionata nihil est aliud, quam scientia conditionalis liberae, quae sine dubio scientia in Deo est, unde non est res nova, neque etiam nomen novum; vocatur enim praescientia conditionata, quia est propositionis conditionatae, sicut cognitio necessaria recte vocatur, quae est de obiecto necessario. Et haec locutio non est academiis Italiae et Hispaniae ignota.

Idem sentit D. Augustinus lib. 1. ad Simplic. quaest. 2., qui praedestinare dicit idem esse, quod velle misereri; misereri autem, esse ita vocare, sicut aptum novit, ut vocantem non respuat. Idque saepe ibidem repetit. Ad quem locum antea MM. NN. ita responderunt, sicuti in Apologia refertur. Quamquam nunc aliud videantur velle dicere et hunc locum interpretari; nimirum quod Deus sic vocet, sicut aptum novit, ut homo vocantem non respuat, quia ita vocat, sicut ipse novit se facturum, ut homo sequatur; sicut si quis diceret, Christum vocasse Lazarum, sicut sciebat ipsum resuscitandum, quia ita vocabat sicut sciebat semet facturum ut revivisceret; num. 27. Sed hic revolvuntur ad illud, in quo est potissima controversia: nempe an gratia Dei sufficienter praeveniens relinquat in hominis potestate, ut sese in utramvis partem flectat; an vero ipsamet ita debeat hominem efficaciter flectere, ut cum ea stare non possit, ut homo non consentiat. Itaque in 5. ratione quaerunt, unde Deus praesciat hominem, si sic vocetur, secuturum? *Resp.* Praescit hoc, non quia ipse praeter omnem aliam gratiam, qua homo possit se flectere ad sequelam et assensum, immittit illi determinationem voluntatis seu motionem quamdam ita efficacem, ut praeveniendo liberum arbitrium efficaciter determinet; neque etiam ex eo, quia videt, hominem ex se inclinatum ad assensum; quos duos modos tantum videtur agnoscere Antapologia num. 22.; sed quia liberum arbitrium sufficienter gratia praeveniente praeparatum, seipsum valens in utramvis partem flectere, flectet sese per auxilium Dei, quod tunc ei est praeparatum, ad sequendum. Sicut enim in operibus civilibus potest se liberum arbitrium flectere in utramvis partem viribus naturae, ita in operibus bonis potest se viribus gratiae in utramvis partem flectere, ut infra latius dicemus; unde nihil facit ad propositum id quod Antapologia de excitatione Lazari affert, nisi ad confirmandam

sentententiam Calvini. Excitatio enim Lazari necessario sequebatur efficacem Christi vocationem; nec erat in potestate Lazari ita vocati reviviscere et non reviviscere, resurgere et non resurgere; unde aliter praescit Deus actum liberum, qui non obstante Dei vocatione potest per liberum arbitrium impediri et saepe impeditur; aliter praescit ea, quae ipsemet facturus est, nec a creatura impediri possunt. Neque ideo haec determinatio detrahit gratiae, quod liberum arbitrium divinitus praeparatum seipsum determinet, quia non determinat sese neque flectit nisi viribus gratiae, Deo simul in eodem instanti illud condeterminante.

Sed inquiunt: Augustinus lib. 1. ad Simpl. quaest. 2. ait, non posse effectum misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit, unde videtur sequi, ipsum consensum non esse in potestate hominis, sed Dei; et sic non praesupponitur praescientia conditionalis liberae. *Resp.* Hoc eo sensu, quo Augustinus ibidem explicat, verum est; quia nempe Deo non deest modus vocandi, quo etiam hominem sceleratissimum novit convertere. Etsi enim ille plurimos modos respuat, Deo tamen non desunt alii infiniti, quibus certissime novit illum, si ita vocetur, libere secuturum. Ita se Augustinus explicat ibidem. Itaque effectus misericordiae Dei non est in hominis potestate in confuso. Non autem vult dicere, ipsum consensum seu conversionem unamquamque in particulari non relinqui in hominis potestate, ut Antapologia videtur velle; nam hoc ad Calvini errorem pertinet. Similiter non satisfacit id quod respondent num. 28. ad locum D. Augustini de bono persev. cap. 14. Nam D. Augustinus loquitur ibi de gratia praedestinationis, ut patet intuenti; sic enim ait: „Praedestinatio Sanctorum nihil aliud est quam praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Ceteri autem (intellige quibus talia beneficia praeparata non sunt), ubi, nisi in massa perditionis, iusto iudicio relinquuntur? ubi Tyrii relicti sunt et Sidonii, qui etiam credere potuissent, si mira illi Christi signa vidissent? Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum (scilicet, quia non constituerat eis Deus tantam dare gratiam, qua reipsa crederent), et iam unde crederent, est negatum (nempe signa et praedicatio, quibus de facto credidissent). Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant, et tamen si Dei altiori iudicio a massa perditionis non sunt gratia praedestinationis discreti, nec ipsis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quae possent credere.“ Hinc patet Aug. agere de praedestinatione et reprobatione et in eo ponere gratiam praedestinationis, quod ita sit accommodata menti, ut ei mens non reluctetur, sed obsecundet. Et quia Tyriis et Sidoniis non erat gratia praedestinationis praeparata, ideo in tempore non fuit illis concessum, ut audirent Christi praedicationem, et viderent eius miracula, quibus fuissent conversi ad

fidem. Non quod nuda praedicatio vel miraculum externum sufficiat, ut homo possit credere, sed quia illa externa auxilia secundum ordinariam Dei providentiam, sufficientem interni auxilii mensuram afferunt. Quicumque enim Christi praedicationem audiebant eiusque miracula cernebant, etiam interius ex parte Dei sufficienter iuvabantur, ut possent credere, si gratiae divinae non defuissent. Ex quo etiam loco habemus, secundum D. Augustinum, eadem auxilia interna et externa in uno interdum esse efficacia, in alio non esse, quia diversimode sunt affecti, quod infra probabitur fusius. Unde patet ex hoc loco valide colligi praedestinationem secundum Augustinum supponere conditionatam praescientiam.

Sed inquiunt: Praedestinatio non est praescientia conditionata. *Resp.* Neque etiam est praescientia absoluta, sed ordinatio divina, quam sequitur praescientia absoluta et quae praesupponit praescientiam conditionatam. Prius enim Deus praescit: si hominem sic vocavero, sequetur. Deinde si ipsi placet, vult eum sic vocare, et tunc illa praescientia conditionata fit absoluta. Nam tunc absolute praescit Deus hominem secuturum, ante autem voluntatem vocandi solum conditionate.

Quod autem de parvulis subiiciunt ratione sexta, difficultatem non habet. Praescit enim Deus, si hunc parvulum tali tempore et a talibus parentibus nasci faciat, ipsum perventurum ad gratiam baptismi secundum communem providentiam et tunc moriturum. Praedestinatio ergo huius parvuli est talium beneficiorum praeparatio, quibus Deus praesciebat illum parvulum infallibiliter salvandum etc.

Caput 3. ad Antapologiam assertionis 20. ad quam reducuntur 21., 22., 23., 24., 26., 27., 28., 29.

Status controversiae est:

Nos existimamus hominibus non esse absolute et efficaciter decretam gloriam ante praevisionem meritorum vel mortis in gratia, similiter nec aeterna supplicia ante praevisionem demeritorum, vel mortis in peccato, sed hoc decretum ante illam praevisionem meritorum esse conditionatum, requirens ab homine conditionem, quam implere vel non implere sit in ipsius potestate. Quam sententiam, etsi quidam ex MM. NN. dixerint ante unum mensem esse veram, tamen iam rursus oppugnant.

Docent autem ipsi, solo peccato originali praeviso, omnibus qui salvantur decretam esse vitam aeternam atque adeo certum gloriae gradum, absoluto decreto, ante omnem praevisionem meritorum etiam conditionatam; alios autem absoluto decreto a vita aeterna exclusos. Patet hoc partim, quia nos reprehendunt, partim numero 31., 38., 42., 43., 44., 50., 51.

Ubi notandum est, utramque sententiam niti suo fundamento de gratia sufficienti. Nos enim, quia existimamus Deum non solum iis, qui

salvantur, sed etiam aliis sufficiens auxilium dare, quo salventur, si ipsi gratiae Dei non desint et diligentiam, quam oportet, adhibeant: ideo dicimus, Deum homini non decernere gloriam vel supplicia absoluta voluntate, nisi praevisis hominum meritis vel demeritis. MM. NN. quia existimant, nemini sufficientem gratiam ad salutem ex parte Dei praeparatam esse, nisi iis, qui salvantur, et hanc ita esse efficacem, ut eius energia non sit in potestate liberi arbitrii, putant, Deum illis solis absoluta voluntate decrevisse gloriam et certum gloriae gradum, et ideo illis solis hanc gratiam praeparasse, quae ita sit efficax, ut eius operatio non dependeat a libero arbitrio; aliis autem eam non praeparasse, quia ad vitam aeternam nolebat [eos] adducere.

Ac I. pro nostra sententia attuleramus illum locum Matth. 25.: „Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim“ etc. Qui locus videtur ita explicandus, ut regnum intelligatur praeparatum a constitutione mundi, id est, ab aeterno, ob praevisa bona opera, quae etsi tempore sint posteriora hac aeterna praeparatione, in divina tamen praescientia non sunt posteriora, sed ratione priora. Quomodo etiam Angelis sanctis in termino viae ipsorum dicere potuisset: Possidete paratum vobis regnum ab aeterno, quia mecum perseverastis, qui tamen non fuerunt electi ad gloriam ante praevisa merita.

Deinde ibidem dicitur reprobis: „Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.“ Atqui paratus est ignis aeternus ab initio ob praevisa demerita; ergo et regnum ob merita. Nam est antithesis regni et ignis aeterni, bonorum operum et malorum, quae Dominus commemorat. Ergo si unum censetur praeparatum ob causam ex parte hominis, etiam alterum.

Unde patet hunc esse verum huius loci sensum, et patet responsio ad obiectionem, quam habent num. 66. *Confirmatur*, quia Matthaei 20., ubi rursus sacra Scriptura meminit praeparationis regni, dicente Domino: „Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est,“ Patres interpretantur hanc praeparationem esse ex meritis. Epiphanius, haeres. 69. p. 377.: „Hoc,“ inquit, „vult ostendere, quod non iuxta personarum acceptionem res ipsa fit, sed pro dignitate.“ Et infra: „Si laboraveritis, erit vobis praeparatum a Patre meo.“ Cyrill. lib. 10. Thesaur. c. 5.: „Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in praescientia Patris illis, quos excessus certandi commendabit.“ [1] Similiter Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3., unde patet, etiam Cyrillum et Epiphanium esse in hac sententia. Ille etiam locus: „Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui“ etc., rectissime sic intelligitur: Quos praescivit, id est, quorum opera approbavit, vel praescivit fore

---

[1] * Hic locus non est in genuino S. Cyrilli libro, qui *Thesaurus* inscribitur.

iustos, eos praedestinavit, ut essent similes Filio. Loquitur enim de scientia approbationis, de qua Psalmo primo: „Novit Dominus viam iustorum" etc. Ita exponit Origenes lib. 7. in epist. ad Rom., Cyrill. apud Oecumenium, Amb. lib. 5. de fide cap. 3., Chrysost. hom. 15. ad Rom., Theodoretus, Theophylactus, Sedulius et Anselmus in commentariis.

II. Attuleram etiam multos Patres ad eandem sententiam confirmandam, ex quibus ipsi reiiciunt Sedulium in Epist. Pauli, Arnobium in Psalmos, Origenem, Theodoretum, auctorem opusculi de praedest. et gratia apud Augustinum, Theophylactum, Oecumenium et Photium, tamquam haeresi pelagianae affines, et Primasii Commentarium in D. Paulum, tamquam non satis castigatum. Quo sane responso subtrahunt Ecclesiae multos praeclaros auctores, quorum testimoniis catholici passim utuntur contra haereticos in disputatione de gratia et libero arbitrio. Neque quisquam (quod sciam) dixit umquam, Origenem vel Theodoretum vel Arnobium in hac materia errasse; similiter nec Theophylactum vel Oecumenium vel Photium, qui D. Chrysost. ad unguem sequuntur; sed neque difficile est ea quae Antapologia contra hos auctores affert refutare et illorum dicta catholice interpretari. Ad aliorum vero testimonia, ut Dionysii Areopag., Clementis Rom., Clementis Alexand., Damasceni, Ambrosii, Hieronymi et Chrysostomi, respondent mirabili quadam distinctione. Dicunt enim, gloriam dupliciter alicui praedestinari sive decerni, 1. sub ratione gratuiti muneris, 2. sub ratione mercedis; ac priore quidem modo, scilicet sub ratione gratuiti muneris, absolute decretam esse ante praevisionem meritorum; posteriore, sc. sub ratione mercedis et iustae retributionis, decretam esse ex praevisione meritorum. Et de hoc posteriori modo intelligendos esse Patres, quando dicunt, Deum praedestinasse gloriam et vitam iis, quos praevidit per suam gratiam bene operaturos.

Sed *contra*. 1. Si isti Patres tali distinctione explicari possunt, cur non et nos eadem distinctione uti poterimus ad nostram sententiam ab errore vindicandam? Deinde si bene intueamur, haec distinctio videbitur implicare repugnantiam. Si enim gloria prius ratione alicui decernitur sub ratione gratiae et gratuiti muneris, quomodo postea decernitur sub ratione mercedis? Nam decernere gloriam sub ratione gratuiti muneris, nihil est aliud quam absolute velle dare gloriam gratis. Decernere autem sub ratione mercedis est eam velle dare ex meritis. Pugnant autem velle aliquid dare gratis et velle tandem dare ex meritis. Si enim est merces, iam non est gratia, nisi Deus forte mutet propositum. Dices: Deus potest aliquid dare duplici modo seu titulo: primum titulo donationis tamquam munus gratuitum; deinde titulo mercedis. Deus ergo potuit primum decrevisse homini indigno gloriam sub ratione gratuiti doni; deinde voluisse, ut illud donum etiam mereretur, ut ita gloriam duplici titulo consequeretur, nempe titulo donationis et titulo mercedis. *Resp.* Quamquam hoc impossibile non sit, tamen

de facto non ita videtur constitutum. Nam 1. ad consecutionem vitae aeternae non viderentur esse necessaria merita. Nam illud decretum conferendi gloriam per modum gratuiti muneris esset factum independenter a meritis. Itaque etiam si merita non sequerentur, deberetur nihilominus gloria ex vi promissionis gratuitae. Patet hoc exemplo in humanis. Si princeps alicui regnum decernat et promittat gratis per modum liberalis donationis, iam regnum omnino debet dari, etiamsi nihil alter mereatur. Unde etiamsi postea velit, ut regnum mereatur et ille id negligat, tamen debebitur ei ex vi primi propositi absolute facti, nisi rex propositum mutet. [2.] Deinde nullum habet fundamentum in Scripturis aut Patribus, quod Deus duplici modo seu titulo regnum decreverit hominibus. Nec videntur agnoscere aliter decretum esse regnum, quam sub ratione mercedis. 3. Cur potius hominibus quam Angelis duplici illo modo regnum decrevisset, cum Angeli longe essent digniores et tali donationi seu muneri aptiores?

Sed inquiunt: Damascenus et Turrianus distinguunt praedestinationem in praedestinationem gratiae et praedestinationem iustitiae. Ergo volunt ipsi gloriam hac duplici ratione praedestinari.

Resp. Longe aliud volunt isti auctores. Nam per praedestinationem gratiae intelligunt decretum divinum, quo gratis vult dare dona antecedentia, nempe gratiam praevenientem, unde eandem vocant praedestinationem antecedentem. Per praedestinationem iustitiae intelligunt decretum Dei, quo decernit nobis gloriam et vitam aeternam propter praevisa merita. Quod decretum habet rationem iustae sententiae supposito pacto divino et nostris meritis. Videatur Turrianus de electione divina p. 4. et 5., ubi hanc Damasceni distinctionem ponit et explicat. Neque verum est, quod vita aeterna ideo dicatur gratia, quia sub ratione gratuiti muneris nobis est absolute decreta et praeparata, sed quia dona antecedentia, in quibus ipsa veluti in semine latet, et quibus ad ipsam pervenitur, gratis nobis praeparata sunt et donantur. Hac distinctione eversa, qua testimonia Patrum eludebantur, perspicuum est illa suam vim retinere, neque a nobis adeo male fuisse expensa, atque MM. NN. passim clamant. Non enim est ullo modo probabile, Patres ad illas imaginarias distinctiones respexisse aut suspicatos fuisse, gloriam aliter esse alicui absolute decretam quam propter merita. Quis enim nescit, gloriam non dari sub ratione mercedis nisi propter merita, cum ipsa ratio mercedis hoc includat? Si ergo tantum Patres vellent dicere, Deum non decrevisse gloriam sub ratione mercedis nisi propter praevisa merita, nihil dicerent. Volunt ergo illam nullo modo esse decretam absolute nisi propter merita. Unde Damascenus dialogo contra Manichaeos p. 563.: „Adnitamur facere quod bonum est, ut simus ex numero bonorum, qui praecogniti ac praedefiniti sunt ad vitam aeternam."

Circa eadem testimonia multa alia dicunt parum solida, sed non est necesse ea excutere; satis sit ad praecipua respondisse.

Mirum autem est, quod num. 74. dicunt Ruardum, Driedonem et Dominicum Baignes hanc ipsorum distinctionem agnoscere, et docere non ita conciliandos esse alios Patres cum D. Augustino, quod alii nomine praedestinationis intelligant electionem ad gloriam, D. Augustinus autem ad gratiam, sed utrosque loqui de immediata electione ad gloriam, Augustinum tamen velle hanc electionem esse gratuitam, alios autem Patres ex praevisis meritis; cum Ruardus art. 7. p. 340. aperte eos hoc modo conciliet, sicut nos diximus in Apologia, dicens: „Alio modo ipsi, scilicet alii Patres, utuntur verbo praedestinationis et reprobationis, odii et amoris, quam Augustinus. Loquuntur enim de electione sive amore ad vitam aeternam et ab hac haereditate reprobatione ad suppliciumque aeternum destinatione; B. vero Augustinus initium electionis et vocationis constituit in separatione a massa damnata, quod initium positum est in prima gratia.“ Et infra dicit, dilectionem praedestinationis esse ad primam gratiam etc. Idem aperte docet Driedo de Concord. liberi arbitrii p. 53. et 54. et Dominicus Baignes 1. par. quaest. 23. art. 5. dicens: „Nos enim praedestinationis voce designamus praeparationem aeternam omnium beneficiorum Dei ad ultimam salutem. At Sancti quandoque praedestinationis nomine intelligunt voluntatem divinam conferendi vitam aeternam tamquam mercedem et praemium. Sic autem sumpta praedestinatio absque dubio habet causam ex parte nostra, quoniam vita aeterna datur propter nostra merita. Ita interpretatur Sanctos Patres Decanus Lovaniensis de libero arbitrio art. 7., et Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 251.“ Haec ille. Ex quibus patet, alios Patres nomine praedestinationis intelligere praeparationem vitae aeternae, quae tantum est efficaciter et absolute praeparata propter merita, sed B. Aug. nomine praedestinationis intelligere praeparationem gratiae et beneficiorum, quibus homo e massa perdita eripitur et ad vitam aeternam perducitur. Quae praeparatio non est ex meritis, et sic optime conciliantur. His adde non esse necessarium, quod dicunt num. 32.: in definitione praedestinationis contineri gloriam sub nomine gratiae et ideo nos depravare definitionem Augustini. Nam secundum D. Thom. et Dominicum Baignes, quem ipsi citant, praedestinatio est praeparatio gratiae et beneficiorum quibus pervenitur ad salutem. Estque hoc etiam rationi consentaneum. Nam est pars providentiae, providentia autem proprie est dispositio mediorum ad finem. Alius enim est actus voluntatis circa media, alius circa finem. Primum enim finem aliquem praestituimus; deinde media ad illum disponimus. Sic concipimus primum Deum et Angelis et hominibus velle communionem dare sui regni, deinde praeparare convenientia media, quibus illud valeant promereri. Aliis tamen talia praeparat, cum quibus certissime novit illos libere perseveraturos, et hoc vocamus praedestinationem. Aliis autem talia, cum quibus scit illos non perseveraturos. Non quod ipsa ex parte Dei sint insufficientia, ut possent cum illis perseverare, sed quia negligentia sua gratiae Dei defuturos videt; unde patet de-

finitionem D. Augustini rectissime hoc modo explicari, tantum abest ut depravetur.

III. *Probatur* nostra sententia ratione: 1. Quia Concilium Tridentinum docet, promissiones vitae aeternae esse conditionatas sess. 6. can. 20.; quod etiam colligitur ex Scripturae locis innumeris. Ergo etiam voluntas dandi vitam aeternam, quatenus est prior praevisione meritorum, est conditionata. Consequentia patet, quia promissio nihil est aliud quam expressio voluntatis etc. Et in humanis numquam aliquid sub conditione, quae in alterius sit potestate, promittimus, quod absolute et nulla conditione requisita volumus. Et sane mirum est, Scripturam ubique loqui sub conditione, si iam absolute paucis quibusdam decreta est vita, reliquis omnibus destinatis ad mortem. *Confirmatur.* Quia voluntas inferendi mortem aeternam est conditionata, sicut et comminatio mortis aeternae, ergo et voluntas dandi vitam aeternam.

Neque viget, quod Antapologia num. 30. affert de monarcha, qui absolute vult aliquem evehere ad regnum et ideo omnem industriam adhibet, ut regno dignus efficiatur. Nam eius voluntas, si prudens sit, revera non est absoluta; requirit enim ab eo quem vult promovere conditionem, quam implere vel non implere est in ipsius potestate. Neque refert, quod promissio ad omnes pertineat, quibus evangelium praedicatur, ut dicitur num. 63. Quia etiam voluntas salvandi aeterna pertinet ad omnes, licet vario modo homines ad salutem dirigantur, sicut etiam vario modo iuvantur, ut divinas promissiones consequantur. Neque verum est promissionem novi testamenti, qua promittitur vita aeterna, esse absolutam, ut dicitur num. 64. Nam de illa loquitur Concilium Tridentinum, et tamen dicit esse conditionatam. Non enim secum ita affert merita, quin relinquat illa in libera hominis potestate. Contrarium autem mihi videtur esse Calvini. D. Prosper autem lib. 1. cap. 9. de vocatione gent. tantum docet, promissionem gratiae praevenientis novi testamenti esse absolutam et non esse factam sub conditione. Quomodo etiam intelligendus est D. Augustinus, quando dicit inscrutabile esse Dei iudicium, cur huic detur perseverantia, illi non detur; vere enim inscrutabile est, cur Deus ex duobus iustis unum sic regat et protegat, ut de facto perseveret, illum non sic regat, cum tamen facillime posset, quia habet infinitos modos, quibus quemque ita posset regere, sicut certissime novit illum libere perseveraturum; sed hunc vult ita regere, sicut noverat illum perseveraturum, qui tamen facillime poterat non perseverare; illum non ita vult regere, ut novit perseveraturum, quia sic placet; poterat tamen ille facile perseverare: et huius divinae voluntatis in particulari ratio reddi non potest. Non tamen est inscrutabile cur hic perseveret, ille non, cur hic peccet, ille non. Ad actualem enim perseverantiam requiritur conditio ab homine, nempe ut gratiae Dei non desit.

2. Si Deus absolute mihi decrevit gloriam, ergo quicquid fecero,

nihilominus salvabor. *Probatur consequentia*, quia voluntas absoluta per se est efficax. Quod enim absolute volumus, illud facimus, quicquid tandem evenerit. *Dices:* Deus quidem absolute praeordinat et decernit homini vitam aeternam, sed etiam decernit ipsi merita, quibus dignus efficiatur. *Sed contra.* Quaero an ita praeordinet singula bona opera in particulari, ut in mea potestate non relinquat ea praestare vel non praestare? Si ita praeordinat bona opera, ut tamen perfecte relinquat ea in mea potestate, ergo haec voluntas, qua vult mihi dare vitam aeternam ante praevisionem operum, est conditionata, quia requirit a me opera, quae relinquit in mea potestate. Si autem ita praeordinat opera et perseverantiam, ut non relinquat ea in mea potestate, iam recte sentiet Calvinus; haec enim aperte est sententia Calvini lib. 3. instit. cap. 22. § 6., ubi inter cetera sic ait: „Cum tuam in se uno salutem Deus statuat, cur ad teipsum descendes? cum unam tibi suam misericordiam assignet, cur ad propria merita decurres" etc. Similia habet § 7. et 8. et c. 24. fere toto; docet ex absoluta electione fieri, ut in nostra potestate non sint velle, currere ac quiescere, credere, sed Deum haec omnia in nobis efficaciter operari.

3. Angelis non est decreta gloria absoluta voluntate, ante omnem praevisionem meritorum, ut communior opinio habet et Domini DD. fatentur; ergo neque hominibus.

Probatur consequentia. 1) Quia sicut reliquit in Angelorum potestate, ut perseverarent vel non perseverarent, ita etiam omnis gratia, protectio et directio divina, quae hominibus lapsis datur, relinquit in eorum potestate, ut perseverent vel non perseverent, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 13., ubi dicitur: „Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio certam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere." Quamvis inter homines et Angelos ea sit differentia, quod ipsi per sola dona habitualia perseverare possint, homines autem in statu lapso requirant auxilium speciale.

2) Quia doctores eodem modo loquuntur de electione Angelorum et hominum neque ponunt in his aliquod discrimen, quasi hominibus sit decreta gloria ante praevisionem meritorum, Angelis autem ex praevisione meritorum, ut patet dist. 42. Omnes enim loquuntur in genere de praedestinatione creaturae rationalis.

Sed obiicitur num. 56. „In Angelis et Adamo voluit ostendere quid valeret liberum arbitrium et ideo reliquit eos in manu consilii sui, ut seipsos servarent vel perderent, si vellent, unde nec decrevit illis gloriam vel supplicia absolute et efficaciter, antequam praevideret, quid essent facturi; sed in hominibus lapsis vult ostendere efficacitatem gratiae novi testamenti et ideo non relinquit in eorum arbitrio et potestate, ut perseverent et ut seipsos perdant vel salvent, sed absoluta voluntate quibusdam vult dare suam gloriam et ideo praeparat illis

gratiam, quae sua efficacitate eos faciat perseverare, ne relinquat perseverantiam in eorum arbitrio.

Sed haec mihi videntur accedere ad doctrinam Calvini ex D. Augustino c. 12. de dono persev. male intellecto. Dico ergo, non esse hunc sensum Augustini, sed hunc: nempe Deum in Angelis voluisse ostendere, quid valeret liberum arbitrium, quia liberum arbitrium habebant sanum et ita instructum, ut per sola dona intrinseca possent perseverare, posita cooperatione Divina, quae in ipsorum erat potestate; sed in hominibus lapsis numquam ita firmum est liberum arbitrium, ut per sola dona habitualia possit perseverare. Unde Deus ostendit, quantum valeat sua gratia, dum voluntatem hominis tam mutabilem et fragilem ita excitat, corroborat, protegit et dirigit, ut contra omnes mundi tentationes et illecebras perseveret, quamvis non minus facile posset deficere, non obstantibus Dei auxiliis, quam primus homo vel Angelus. Et haec est differentia inter perseverantiam Angelorum seu Adami et hominis lapsi; non quod Angeli per solas liberi arbitrii vires perseverarint aut se a malis discreverint, ut indicant num. 55. (quia hoc viribus gratiae factum est, discreverunt enim sese formaliter per solum opus bonum, quod erat ex gratia), sed quia Angeli habebant liberum arbitrium sanum, ita ut per solam gratiam habitualem possent perseverare et ita Deus dedit posse perseverare, si vellent; ut autem vellent reliquit in eorum arbitrio gratia habituali instructo, nec nova gratia egente. Qui tamen ex illis perseverarunt, recte dicuntur habuisse gratiam non solum qua possent perseverare, sed etiam qua perseverarent; nam illa perseverantia fuit ex viribus gratiae. Iustis autem in regnum Dei ascriptis non solum dat tale adiutorium perseverantiae (quia non tantum dat gratiam et dona habitualia), sed etiam dat ipsis perseverantiam, id est, ulterius adiutorium, quo ita diriguntur et proteguntur, ut de facto perseverent, non autem quod infundatur aliquod donum, quo perseverent. Unde sancti non possunt in suis viribus gloriari, quia nisi Deus per quotidianum auxilium, quod consistit in protectione, excitatione et directione, eos iuvaret, numquam diu perseverarent. Sed his modis accendit eorum voluntatem, ut fortissime et invictissime velint perseverare; et ita indeclinabiliter et inseparabiliter eos sua gratia agit, i. e., ita ut de facto non declinent (sicut dicimus: Ego inseparabiliter ei adhaesi, id est, numquam ab eo recessi), facile tamen possint declinare et deficere. Ex his patet intelligentia locorum D. Augustini, quem putamus nos in hac materia sequi. Non enim vult D. Augustinus, homini lapso dari tam potentem gratiam, ut cum ea stare non possit, ut homo declinet et non perseveret. Neque etiam vult, non relinqui in arbitrio, ut perseveret vel non, sicut videtur velle Antapologia. Sed vult, non relinqui hoc ita in illorum arbitrio et voluntate, ut non egeant novo auxilio, quomodo relinquebatur in arbitrio Adami et Angelorum. Quare cum in hominum potestate sit perseverare, idque Deus reliquerit in eorum arbitrio non quidem nudo vel sola habituali gratia instructo,

sed ipsius auxilio adiuto, consequens est, si Angelorum electio ad gloriam non est absoluta, sed requirit conditionem, quae sit in eorum potestate, etiam hominum absoluta non erit, sed requiret perseverantiam, quae est in eorum potestate.

Neque haec quicquam communionis habent cum Massiliensium errore, quia D. Augustini distinctionem admittimus, quae nostram perseverantiam a perseverantia Adami distinguit; sed dicimus, perseverantiae complementum et gratiae acceptationem esse in potestate liberi arbitrii, supposito Dei auxilio; quod Antapologia videtur negare num. 42., 43., 44., 58. Neque in eo fuit Massiliensium error, quod existimarent homini non esse absolute praeparatam vitam aeternam, nisi propter merita, quae per gratiam Dei erant habituri, ut imaginantur Domini DD. num. 57. et 34., sed quod praedestinationem ex meritis esse putarent, nomine praedestinationis intelligentes etiam praeparationem gratiae illius singularis, qua ad vitam pervenitur, et hominem iam iustificatum posse perseverare sine novis auxiliis internis, quibus Deus illum faceret perseverantem; quorum utrumque etiam nos ostendimus alias errorem esse. Patet hoc ex epistola Prosperi ad Aug. Neque nos dicimus, perseverantiam aut bona opera esse tantum praescita, non autem praedestinata, ut fingunt num. 58. Immo fuse docuimus, omnia bona opera eorum qui salvantur esse effectus praedestinationis, quae tantum praesupponit praescientiam conditionatam. Neque Deus scit absolute hunc hominem habiturum bona opera, nisi praeordinarit, ut ea faciat, dando ei talem gratiam, cum qua conditionate praesciebat facturum. Hinc patet solutio rationis 1. et 2. num. 34. et 35.

4. Probatur nostra sententia. Si Deus ante omnem praevisionem operum absolute decrevit certis quibusdam dare gloriam, atque adeo certum gloriae gradum, quomodo se habuit erga alios, nisi absolute volendo eos excludere a gloria et destinare aeternis suppliciis? quod videtur Antapologia admittere num. 111., ubi dicitur quod Deus statuerit occidere infantem ante baptismum, quia ad regnum suum admittere nolebat. Et num. 51. dicitur, Deum habuisse propositum damnandi Esau, antequam aliquid boni vel mali fecisset. Quod ergo dicit num. 59. homines non esse destinatos suppliciis ante omnem peccati praescientiam, intelligendum est de praescientia peccati originalis; alioquin sibi manifeste repugnaret. Et sane illam collectionem firmam esse probatur; quia, si ad salutem necessarium est, ut homo ita ante omnem praevisionem operum sit ad gloriam electus, quicumque non erunt ita electi, censebuntur reiecti.

Dicet aliquis, Deum reliquis non ita absolute electis decernere vitam sub conditione: nempe si per gratiam eius perseveraverint. Sed *contra.* Quia hoc est incidere in sententiam Catharini, a qua tantopere Domini DD. abhorrent. Restat ergo ut reliquos omnes, praeviso solo peccato originali, statuerit a regno absolute excludere, sicut omnes salvandos statuit absolute regno donare. Quod si reliquos omnes ante

operum praevisionem statuit excludere a regno: cur dat postea tot iustis, qui iam tali decreto sunt exclusi, auxilium sufficiens ad perseverandum? sed dicent Domini DD., Deum non dare illis auxilium sufficiens, quia non dat illis perseverantiam quae est necessaria ad salutem; immo nec paratus est eam dare, quia, si esset paratus, non obstarent hominum malae voluntates, sicut docent in scripto contra antitheses, et in Antapologia num. 169.; deinde quia perseverantia est sine conditione promissa. Deus enim, quos vult, perseverantes facit non exspectans, ut perseverare velint. Ita num. 43., 44. et alibi. Sed *contra.* Quia Conc. Trid. sess. 6. cap. 13. docet omnes in Dei auxilio firmissimam spem collocare debere; Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. Ergo Deus paratus est omnibus iustis dare auxilium sufficiens ad perseverandum. Alioquin non deberent in ipsius auxilio firmissimam spem collocare. Deinde Deus, sicut coepit bonum opus, ita perficiet, nisi gratiae illius defuerint; ergo non dat ipsam actualem perseverantiam sine conditione, sed requirit a nobis, ne gratiae illius desimus, cui sane possumus deesse. Unde patet, cum tot sint iusti, qui ex parte Dei sufficiens auxilium habeant ad perseverandum, qui tamen damnabuntur, non esse ipsos absolute a regno exclusos ante praevisionem demeritorum: ac proinde alios non esse absolute regno ascriptos ante meritorum praevisionem.

Notandum tamen est, alio quodam sensu dici posse vitam aeternam salvandis absolute esse decretam ante praevisionem intuitivam meritorum.

1. Quia non requirit Deus conditionem, quam homo possit praestare solis naturae viribus, seu non praeventus gratia Dei, ut volebant Pelagiani et postea Massilienses, qui dicebant Deum non velle quemquam absolute salvum fieri, sed sub conditione si vellent ipsi, vellent, inquam, solis naturae viribus non praeventis. Contra quam sententiam frequenter agit D. Augustinus, ostendens Deum non requirere ullam conditionem, quae solis naturae viribus haberi possit; sed ipsummet facere, ut velimus et perseveremus, si tamen gratiae ipsius non defuerimus. Quod etiam Scripturae docent.

2. Dici potest absolute, quia non requirit aliam conditionem, nisi quae praesupposita praescientia conditionata infallibiliter ex ipsius gratia est secutura; et hoc modo explicari potest D. Aug. et quidam doctores, ut Ruardus (qui tamen nihil habet duobus illis locis, quae citat Antapologia num. 38.) et Driedo, qui interdum significant Deum absolute aliquos velle salvari. Et eo modo intelligendi etiam sunt quidam doctores scholastici. Omnes tamen statuunt, Deum requirere ab homine conditionem, quae sit in ipsius potestate. Unde haec sententia in re non pugnat cum nostra et cum sententia aliorum Patrum, quia dicimus, Deum non ita absolute elegisse salvandos ad vitam, ut non requirat ab illis conditionem, quae supposita gratia et omnibus auxiliis

necessariis ad perseverandum plene sit in illorum potestate, eo fere modo quo in Angelis. Nam doctores scholastici non faciunt ullam distinctionem hac in parte inter praedestinationem gloriae Angelorum et hominum. In quaestione autem de praedestinatione, quae est praeparatio gratiae et beneficiorum, quibus liberamur, satis patet nos cum D. Augustino convenire.

Ex his patet solutio aliquot rationum, quas habent num. trigesimo quarto et aliquot sequentibus. Ad 1. et 2. Ista Massiliensium umbra parum nos terret. Iam enim explicuimus, quae fuerit illorum sententia. Quod autem num. 36. Catharinum pro se afferunt, mirum est, cum Catharinus aperte doceat, plerisque vitam esse destinatam ex praevisione meritorum; hos tamen non vocat praedestinatos. Nam nomine praedestinationis intelligit efficax et absolutum decretum vitae aeternae et omnium eo perducentium etc., quod nullo modo potest esse ex meritis. Sed nos Catharinum non sequimur, ne in nomenclatura quidem, ut alias dictum est; videatur p. 37. lib. 1. de praedest.

Ad 3. quae est talis: „Intentio finis prior est mediorum dispositione," citant Scotum et D. Thom. *Resp.* Si haec ratio aliquid concludit, etiam probabit, Angelis absolute decretam esse gloriam ante praevisa merita etc.; quod tamen ipsi negant num. 54., unde Scotus et D. Thom., qui generatim loquuntur de omnibus creaturis rationalibus, nihil pro ipsis faciunt. Verum quidem est intentionem finis esse priorem, sed non semper intenditur aut decernitur absolute, ut finis habeatur. Deus enim cupit hominem bene vivere; quia cupit illum facere regni sui consortem — non enim hoc negamus, sicut falso nobis imponitur num. 31. — et rursus vult illum facere regni sui consortem, quia bene vixit, sed hae voluntates non sunt omnino similes. Nam eaedem in Angelis locum habent. Quod ad Ruardum attinet, nihil habet tale locus in margine notatus; sed iam ad hoc responsum est. Driedonem quoque admittimus. Dominicus Baignes eodem modo loquitur de praedestinatione hominum et Angelorum. Quare non iuvat Dominos doctores, sed eorum sententiam evertit; videatur art. 5. quaest. 23. 1. part.

Ad 4. rationem quam habent num. 39. iam supra dictum est. Non enim Patres solum voluerunt dicere gloriam sub ratione mercedis consideratam esse decretam ex meritis (quis enim hoc nesciat? Implicat enim, ut aliquid decernatur alicui sub ratione mercedis et non ex meritis), sed etiam simpliciter consideratam, ut supra dictum est. Illa etiam duplex praedestinatio vitae aeternae num. 40.: altera qua vita alicui absolute decernatur sub ratione gratuiti muneris, altera sub ratione mercedis, iam refutata est. Nam videtur repugnantiam involvere; nam si terminos intelligo, decernere aliquid sub ratione gratuiti muneris est velle dare gratis, sicut decernere sub ratione mercedis est velle dare propter merita et non gratis. Nec refert, quod homini indigno fuerit praeparata; quia etiam Angeli indigni erant secundum naturam

suam considerati. Immo quo homo magis erat indignus, eo magis videtur conveniens, ut minora dona fuerint illi absolute decreta, quo maioribus se dignum cum divino auxilio redderet.

Ad 5. non dicimus nos, praedestinationem pendere ex libero arbitrio, sed salutis absolutum decretum putamus dependere ex libero arbitrio, gratia Dei adiuto in adultis; in parvulis saepe ex diligentia eorum quibus eorum salutem Deus commisit, Dei tamen auxilio adiuta; ut autem praedestinatio non afferat absolutam necessitatem, non sufficit, ut Deus liberrimo iudicio hominem salvet, ut videntur dicere num. 42.; sed etiam ut in hominis potestate sit seipsum salvare vel damnare, consentire gratiae Dei vel dissentire, perseverare vel deficere, unde gratiae energia, id est, operatio, est in potestate liberi arbitrii, ita ut a libero arbitrio dependeat. Posita enim gratia praeveniente est in potestate liberi arbitrii non operari et tunc illa gratia praeveniens non operabitur. Dicere autem, quod operatio gratiae non dependeat a libero arbitrio, videtur mihi accedere ad errorem Calvini, ut infra ostendam. Sane in hoc puncto est praecipua inter nos controversia, ad quam reliqua fere reducuntur. Quod autem ad gratiam conversionis Pauli attinet, pauci habuerunt tam potentem; difficile enim ei fuisset resistere, aliis autem multis est valde facile, quamvis etiam gratia praeveniens, qua perseveratur, non pendeat a libero arbitrio. Actualis tamen perseverantia pendet a libero arbitrio, ita ut in potestate hominis sit non perseverare. Et miror sane quemquam de his dubitare qui Conc. Trid. legit.

Sed *inquiunt*, ut gratia donetur, non requiritur praevisus aliquis liberi arbitrii motus, cuius praevisione donetur. *Resp.* Hoc verum est de gratia praeveniente, non autem de gratia iustificationis, quae adultis datur tantum se praeparantibus, quae praeparatio est in eorum potestate.

Ad 6. de loco illo: „Iacob dilexi etc.“ alibi satis multa. Probandum esset Dominis DD., hoc loco significari: Iacobo decrevi absolute vitam aeternam et Esau destinavi damnationi ante praevisionem bonorum vel malorum operum, quae facturi sunt; nam est contra communem sententiam omnium Patrum et plurimorum scholasticorum, quod Deus habeat absolutum propositum damnandi aliquem ante praevisa peccata, si supervicturus est. Itaque non sufficit hoc asserere, sed oportet probare.

Quod autem num. 52. ex Actis [Ap.] afferunt: „Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam etc.“, nihil urget. Nam similiter de Angelis dici posset: Perseverarunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam. Nam et ipsi dicimus, eos qui salvantur, singulari quodam modo ad vitam praeordinatos fuisse, non tamen absoluto decreto et nullam requirente conditionem, quae sit in nostra potestate. Quamquam forte ille locus longe aliam intelligentiam habeat. Ad testimonium D. Aug. et Fulgentii [quid dicendum] patet ex dictis.

Caput quartum, quo respondetur Antapologiae assertionis 23.

De hac assertione quaedam dicta sunt in utraque Apologia, quae poterant sufficere. Miror autem, eadem rursus impugnari. Nam quae ratio vel auctoritas cogit nos sentire, Deum ante omnem praevisionem etiam conditionatam, omnia opera salvandorum cum omnibus suis circumstantiis absoluta voluntate praeordinasse et praevoluisse v. g. Deum absoluto decreto (nulla habita ratione praescientiae inflexionis liberi arbitrii) statuisse, ut hodie habeam 10 actus bonos tam intensos, talibus momentis et locis, in tali genere virtutum, non plures vel pauciores, vel aliter etc., cras autem habeam centum cum omnibus circumstantiis, perendie unum tantum etc.? Quod si Deus haec omnia ita absoluta voluntate decrevit ante omnem praescientiam vel dispositionis aut inflexionis liberi arbitrii vel occasionum occurrentium etc., debebit ipse liberum arbitrium talibus momentis temporum et locis et tali modo determinare et numquam alias, ut haec omnia illis momentis sic eveniant et non aliter: alioquin forte aliter evenirent quam decreta sunt. Itaque causa, cur hodie tantum unum bonum opus fecerim, non plura, erit, quia Deus statuit, ut tantum illud facerem, et omnia sic disposuit circa me, ut hoc tantum facerem, non alia nec plura. Quomodo igitur accusabitur hominum negligentia et tepiditas et laudabitur fervor et sedulitas?

Si dicas: Non decrevit Deus absolute, ut non faceres plura vel meliora opera; sed tantum absolute decrevit, ut saltem haec faceres cum omnibus suis circumstantiis etc., ut autem plura vel maiora faceres, reliquit in tuo arbitrio:

Contra. 1. Ergo non omnia media praedestinationis et opera bona sunt absolute decreta secundum omnes suas circumstantias. Nam Deus non absolute decrevit numerum eorum neque etiam quantitatem neque tempus, sed haec omnia relinquit in arbitrio hominis. 2. Si Deus tantum decrevit, ut saltem haec faceret, non autem decrevit, ut non faceret plura vel meliora, potuit homo aliquod bonum opus facere vel melius, quam decreverit Deus, et ita poterit maiorem gloriae mensuram mereri, quam ei Deus ante omnem praevisionem bonorum operum destinarat, quod est contra sententiam Dominorum DD., qui volunt ideo Deum determinasse et decrevisse in particulari omnia opera salvandorum, ut exacte et ex aequo certae mensurae gloriae, quam eis praeparaverat, responderent. Unde docent, quod, sicut Deus certam mensuram gloriae ante omnem praevisionem decernit non plus neque minus, ita etiam certum numerum et quantitatem bonorum operum, quae tali mensurae gloriae ex aequo respondeat, ut patet num. 76. Ex quo sequi videtur, quod homo non habeat in potestate sua plura vel pauciora, maiora vel minora facere quam quae facit. Non enim habet in potestate sua aliquid boni facere, quod Deus non decrevit, aut plus quam decrevit. Nam si omne bonum opus debet tibi absolute esse

decretum a Deo illud volente donare; si istud opus bonum non est tibi decretum, vel non est hoc tempore decretum etc., non est in potestate tua hoc facere vel absolute, vel hoc tempore: alioquin homo in statu naturae lapsae posset facere bonum opus, quod Deus non statuisset homini dare, quod est contra illorum sententiam. Item in potestate hominis non est facere aliquod opus bonum sine gratia efficaci. Nam haec est necessaria ad omne opus bonum, ut patet ex Censura propositionis 9. et 10. et ex Antapologia plurimis locis; sed si Deus non decrevit absolute, ut facias hoc opus, non dabit tibi gratiam efficacem ad illud. Ergo non habes in tua potestate illud facere. 3. Si Deus omnia salvandorum opera decrevit etc., ut exacte tantae gloriae responderent: quidnam decrevit iis, quos ipse ante propria demerita praevisa proposuit damnare, an mala opera, ut etiam tanto supplicio ex aequo respondeant? Non puto. Nam hic est error Calvini. At saltem decrevit illis non dare bona opera usque ad finem et ita non est in illorum potestate perseverare.

Sed neque habebit homo in sua potestate aliquod opus bonum ex iis quae facit omittere vel aliter facere, ut videtur. Quia si Deus voluntate absoluta decrevit ante omnem praevisionem occasionum vel dispositionis aut inflexionis liberi arbitrii, ut ego v. g. hodie tali momento habeam actum fidei talem, tam intensum, impossibile videtur, ut ego illum actum tunc non habeam.

Probatur. 1. Nam teste sacra Scriptura voluntati eius quis resistet? quod intelligitur de voluntate absoluta seu beneplaciti, ut exponunt communiter doctores.

2. Quia in ceteris omnibus, quae Deus vult voluntate absoluta et beneplaciti ante omnem praescientiam, creatura non potest quicquam impedire, ut patet in numero et mensuris stellarum constituendis. Ergo si opera iustorum aeque absolute et efficaciter sint praeordinata, nullum ex illis poterit impediri.

Dices: Deus quidem absolute et efficaciter omnia opera iustorum cum suis circumstantiis in particulari praeordinavit, sed tamen ut libere ea facerent. *Resp.* Si libere facere idem est, quod libenter et voluntarie, admitto; sed hoc non sufficit ad veram libertatem contradictionis. Si autem libere facere est ita facere, ut perfecte habeas in tua potestate non facere, quomodo liberum est mihi non facere, quod Deus absolute et efficaciter vult me facere ante omnem praescientiam, cum in potestate creaturae non sit voluntati beneplaciti resistere? Deinde si Deus relinquit in meo arbitrio et plena potestate, ut ego illud opus non faciam, ergo non absolute et efficaciter illud vult ante omnem praevisionem saltem conditionatam, sed vult illud dependenter a mea cooperatione atque adeo si ego gratiae ipsius non desim: iuxta Conc. Trid. sess. 6. cap. 13. Id enim quod omnino absolute volumus, non relinquimus in arbitrio et potestate alterius, nisi praesciamus illum hoc facturum.

[3.] Si Deus absolute velit ante omnem praescientiam, ut habeam omnes actus bonos quos habiturus sum cum talibus circumstantiis etc., ergo non possum impedire, quominus eos operetur in me in actu secundo. Nam omne absolute volitum necessario sequitur ex illa volitione, si ipsa est omnipotens; et concedunt Domini DD. num. 78. dicentes: creaturarum operationes, ut ad Dei voluntatem et operationem tamquam ad causam referuntur, impediri non posse; similiter bona hominis opera, quatenus a Dei voluntate et dispositione procedunt, impediri non posse, quia Dei voluntas causa est inimpedibilis. Si autem non possum impedire, ut Deus tali momento hoc opus non operetur in me, ergo etiam non possum impedire, ut tali momento hoc opus non sit in me, ac proinde illud opus non erit liberum. Si enim non possum efficere, ut illud opus a Deo non procedat in me, perspicuum est non posse me efficere, ut illud opus non sit in me, sicut patet de omnibus motionibus et inspirationibus praevenientibus libertatem, quae ideo non sunt liberae, quia non est in creaturae potestate, ut Deus illas immittat vel non etc. Si ergo similiter non est in mea potestate, ut Deus det mihi hic et nunc tale opus bonum, certe non video, quomodo sit liberum.

Dices, quomodo homo in statu lapso et in tanta infirmitate naturae (in qua si ei relinqueretur, voluntas sua numquam vellet) potest aliquod opus bonum habere hoc vel illo tempore, nisi Deus hoc tunc illi det et efficaciter praeveniendo in ipso operetur? Quod si Deus debet illi dare, certe necesse est, ut decreverit illud dare. Indicatur haec obiectio num. 76. et 154. et alibi; ob hanc enim imbecillitatem putant, omnia bona opera debere esse absolute decreta et efficaciter dari ut ea habeamus. *Resp.* Deus non dat ipsa opera bona quasi vel illa vel quamdam determinationem voluntatis ad illa immittendo, quae non sit in nostra potestate, sed dando auxilium sufficienter praeveniens et disponens et excitans ad illa, relinquens tamen in nostro arbitrio ea cum ipsius auxilio facere vel non facere, ipsius gratiae deesse vel non deesse, unde non dat ipsa opera in actu secundo nisi dependenter a nostra libertate, ita ut in nostra potestate sit, ut ipse ea operetur vel non operetur in nobis, ut aperte docet Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. Neque enim ita debiles sumus effecti per peccatum originis, quin Dei gratia praeveniente corroborati possimus nos liberrime in utramque partem flectere sicut Adam, unde multi sunt, qui longe pauciora faciunt quam vere poterant; et multi sunt qui habent multa bona opera, quae non habere erat in plenissima eorum potestate.

4. Omnis suppositio, quae non est in nostra potestate, ex qua aliquid necessario sequitur, repugnat libertati. Atqui haec voluntas Dei est talis suppositio. Nam voluntatem humanam ad unumquodque opus efficaciter praeveniendo determinat, ut Domini DD. concedunt et infra fusius explicabimus.

Sed *inquiunt*. Haec propositio: „Id quod ex inimpedibili per ne-

cessariam consequentiam sequitur, id inimpedibile est," est damnata a Sixto IV. *Resp.* Manifestum est, hanc propositionem, ut iacet, erroneam esse. Alioquin Deus non posset praedefinire ullum actum liberum, cuius contrarium nos etiam docuimus et indicavimus in Apologia, ubi ostendimus, praedestinationem supponere praescientiam conditionatam, sed nostrum axioma longe aliud est. Nam non dicimus, id quod per consequentiam necessariam sequitur esse inimpedibile, sed id quod necessario sequitur. Efficaciter enim et absolute volitum a voluntate omnipotente non solum per necessariam consequentiam, sed etiam necessario ex ea sequitur, ita ut creatura non possit illud impedire. Deinde non agimus de quavis suppositione inimpedibili, sed de tali suppositione, quae liberum arbitrium efficaciter praeveniendo determinat. Denique quando illa suppositio inimpedibilis praesupponit praescientiam conditionatam, id quod ex ea sequitur, potest esse liberrimum (unde num. 82. male refertur nostrum axioma), v. g. praesciebat Deus, si Adamo imponeret illud praeceptum, ipsum peccaturum; unde facta illa suppositione, quod Deus vellet illi praeceptum imponere, ratione cuius praesciebat conditionate illum peccaturum, ex ea per necessariam consequentiam sequebatur Adamum peccaturum, quamvis liberrime, et tamen suppositio illa nullo modo erat in Adami potestate. Non enim in ipsius potestate erat, ut Deus imponeret vel non imponeret ei praeceptum, sed quamvis haec suppositio non esset in eius potestate, tamen haec suppositio praesupponebat conditionalem liberam, quae erat in ipsius potestate. Dicimus ergo eam suppositionem, quae non est in nostra potestate neque etiam praesupponit praescientiam conditionalis liberae, quae sit in nostra potestate, et praeterea liberum arbitrium praeveniendo determinat, ita ut ex ea determinatione necessario sequatur opus, evertere libertatem; atqui talis videtur esse suppositio, qua praesupponuntur ab iis, qui contrariam sententiam tenent, bona opera decreta.

Sed *inquiunt* num. 79. Cum Deus absolute aliquid voluit v. g. creare mundum, non necessario illud facit. Ergo similiter si absolute ante omnem praescientiam aliquid velit fieri a creatura, hic et nunc non necessario illud creatura faciet, sed libere. *Resp.* Nego consequentiam. Ideo enim Deus illud libere facit, quia in potestate ipsius erat velle facere, ex quo velle necessario sequitur actio externa. Actiones enim Dei in creaturas non sunt intrinsecus liberae, sed denominative, sicut actiones imperatae in creaturis. Nam necessario sequuntur efficacem et absolutam volitionem. Quia ergo Deo liberum erat velle creare, ideo etiam libere creat. Creatura autem non habet in sua potestate, ut Deus absolute velit illam hoc momento operari tale opus. Neque illud decretum supponit aliquid, quod sit in creaturae potestate, unde non est par ratio. Cum enim non habeat in sua potestate decretum absolutum Dei etc., et ex eo necessario sequatur opus, ita ut homo non possit impedire, quin sequatur, ut ipsi fatentur, sicut non

potest impedire, ut non sequatur creatio ex absoluta voluntate creandi: perspicuum videtur, creaturam non habere in sua potestate illud opus. Unde non colligimus, ut ipsi putant, illud opus a creatura non posse impediri, quia sequitur ex immutabili decreto, sed quia necessario sequitur ex illo decreto, quod neque est in creaturae potestate, neque praesupponit praescientiam eius, quod est in creaturae potestate.

Sed *inquiunt* num. 80.: Deus per hoc decretum absolutum causae secundae conditionem non immutat; alioquin libera non fuisset gentium conversio etc. *Resp.* Non quidem immutat, antequam executioni mandetur, sed quomodo non immutat in ipsa executione, cum liberum arbitrium efficaciter ad opus determinet, ipsique opus bonum praeveniendo immittat, ita ut hanc immissionem non possit impedire? Libera autem erat gentium conversio, quia quoscumque Deus vult singulari quodam modo converti, eos sic movet et interius suadet, sicut noverat ipsos secuturos; unde haec voluntas praesupponit praescientiam conditionalis liberae. Neque ipsa conversio sequitur hic et nunc necessario ex hoc decreto Dei, sicut Domini Doctores volunt, sed gratia praeveniens sequitur necessario; ex gratia autem praeveniente liberrime et dependenter a libero arbitrio sequitur conversio. Praescientia autem nullam affert necessitatem, quia secundum modum nostrum intelligendi prius est actum liberum esse futurum, quam praesciri a Deo, ut infra dicemus. Praescientia enim non est causa rei futurae, sed res futura est quodammodo ratio divinae praescientiae, quatenus ad illam terminatur. Unde in mea potestate est aliquid facere vel non facere, unde sequitur, Deum illud praesciisse vel non praesciisse. Quod autem de necessitate salutis dicunt, concedo propter efficax et absolutum decretum, quo Deus decrevit omnes perseveraturos salvare, non esse in potestate eius qui perseveravit non salvari.

Quod ex D. Thoma afferunt, ad rem non facit. Nam institutio contingentiae et necessitatis non erat in potestate creaturae.

Quod autem *dicunt* nos concedere haereticis consequentiam illam (nam Calvinum ex absoluto decreto libertatem tollere patet lib. 3. § 5. cap. 21. et cap. 23. § 6. et toto c. 24.). *Resp.* Consequentiam illam ita esse probabilem, ut iudicemus antecedens negandum, et ita fundamentum haereticorum subvertimus. Qui autem talia fundamenta ponunt, ex quibus ita videtur subrui libertas, ut nulla probabilis via appareat illam tuendi, ii sane an haereticorum non iuvent causam, viderint alii. Multo enim facilius est ostendere, non esse omnia opera hominum iustorum ita absolute in particulari cum omnibus suis circumstantiis decreta ante omnem praevisionem, quam declarare, quomodo ex hoc fundamento non subruatur libertas. Quare non debebant Domini Doctores tam facile quamvis argumentatiunculam probabiliter inductam tam gravibus censuris insectari, maxime cum plurimi recentiores hoc tempore et D. Thom. teneant, non omnia bona opera hominum esse absolute decreta etc., et inter scholasticos Greg. Ariminensis in

1. dist. 38. quaest. 2. art. 3. ad 4., Guillielmus Occham dist. 38. et Scotus dist. 39. demonstrent, fieri non posse, ut aliquid respectu primae causae necessarie eveniat et respectu secundae libere. Quod etiam tenet Thom. Walden. Tom. 1. lib. 1. cap. 28. Ex quo sequitur non esse sic omnia iustorum opera ante omnem omnino praescientiam in particulari absolute decreta, neque ea ita a Deo proficisci, ut impedire nequeamus. Quod autem D. Thom. quaest. 6. de verit. art. 3. velit non omnia praedestinationis media in particulari ante omnem praescientiam esse praeordinata, clarissimum est ex fine corporis, ubi ostendit in praedestinatis, si unum medium deficiat, aliud subrogari. Non ergo ipsius sententia sunt omnia media praeordinata ante omnem praescientiam. Nisi enim Deus praevidisset prius medium adhibitum futurum inefficax, non substituisset aliud, donec hominem converteret et perseverare faceret. Et haec quidem est sententia D. Thom. eo loco. Quare mirum est, Dominos Doctores hoc non advertisse, sed nimirum plerumque putant aliquid loco notato non contineri quia iisdem verbis quibus citatur non reperitur.

Caput quintum ad Antapologiam contra assertionem 24.

Hic Antapologia nos rursus reprehendit, quod dicamus, martyria et afflictiones sanctorum et Christi Domini passionem non fuisse a Deo in particulari cum omnibus suis circumstantiis (ita enim in Apologia habetur) absolute praeordinatam ante praevisionem malitiae Iudaeorum et tyrannorum. Quod rursus *probatur*. Quia si haec omnia ita sint efficaciter et absolute decreta in particulari cum omnibus suis circumstantiis, antequam praevideret fore tyrannos et malos homines, ergo ad ipsius providentiam pertinebat inflectere et formare hominum malitiam, ut vellent haec tormenta tali modo et tempore et loco inferre. Alioquin quomodo certo et infallibiliter haec omnia ita potuissent evenire, sicuti a Deo erant decreta? Nam ad Dei providentiam pertinet efficere, ut id fiat, quod ipse absolute fieri decrevit ante omnem praevisionem inclinationis et praeparationis causarum secundarum, et aptare disponereque omnes causas, per quas illud fieri debet, ut praefinito tempore et loco cum reliquis circumstantiis illud faciant, ut in ceteris omnibus Domini Doctores fatentur dicentes, Deum omnes causas determinare et inclinare, ut quaeque illud faciat, quod ipse decrevit, quando illud fit sine peccato. Et ratio est: quia alioquin illa res non certo tunc et eo modo eveniret quo erat decreta, nisi omnes causae ab eo, qui illud decrevit, aptarentur et inflecterentur. Ergo similiter hic debebit Iudaeis haec omnia inspirare, immo inclinare et formare eorum voluntates in horum suppliciorum inflictionem; alioquin non est intelligibile, quomodo haec certo eveniant et eo modo quo Deus illa decrevit, si ipse causas non ad hoc aptet vel iam ante ex se aptatas non videat; et sane quidam ex Dominis Doctoribus ante biennium aegre ferens,

nos docuisse non omnia passionis Domini supplicia ante praevisionem malitiae Iudaeorum fuisse absolute cum suis circumstantiis decreta, clare docuit, Deum Iudaeorum inconditam malitiam in horum suppliciorum inflictionem inclinasse, formasse et temperasse. Quomodo, inquit, Iudaeis in mentem venire potuisset tanti mysterii supplicia Christo irrogare, nisi vastissimam eorum crudelitatem Deus omnipotens in istorum suppliciorum inflictionem formasset, inclinasset, temperasset, idque intrinseca operatione in ipsum hominis affectum et sensum penetrando; verbum tamen „*formandi*", quia nimis aperte videbatur Calvinianum, monitus postea mutavit in verbum „*condecorandi*". His verbis satis significavit, quale consequens putaret sequi ex illo efficaci decreto. Verum modo Domini Doctores malunt negare evidentem consequentiam, quam admittere tam periculosum consequens. Nam ex hoc antecedente Calvinus colligit, Deum inflexisse et formasse Iudaeorum malitiam generalem in horum suppliciorum inflictionem. Quamquam Antapologia hoc non ita possit negare, quin mox idipsum insinuet, dum distinguit tentationes a suppliciis Christo illatis, dicens: ut huiusmodi tentationes exsurgant, Deus non disponit, sed permittit tantummodo, per hoc evidenter dat intelligi alterum membrum, nempe quod, ut tantae procellae afflictionum exsurgerent contra Dominum, non tantum permiserit, sed etiam causas disposuerit. Sed haec expresse dicere nolunt. Respondent ergo in Antapologia num. 84., non sequi Deum debuisse hominum malitiam ad haec formare et flectere, nam potuisse per seipsum haec supplicia inferre vel aliis praecipere, ut ea inferrent, nempe si Iudaei sponte sua illo tempore se non inclinassent, ut Dominum omnibus illis tormentis afficerent, Deus per seipsum vel per alios, quibus id praecepisset, ea inflixisset. [1.] Iussisset ergo illum vendi, ligari, colaphis caedi, conspui, flagellari, coronari, crucifigi inter latrones etc., vel haec ipsemet fecisset, quae certe piis auribus valde videntur dura.

[2.] Deinde magna pars supplicii Christi fuerunt irrisiones, blasphemiae, maledicta, sputa et similia, quae certe Deus nec per seipsum poterat inferre nec cuiquam praecipere. Ergo Deus non decrevit, ut Christus haec pateretur, ante praevisam Iudaeorum malitiam.

3. Magna etiam pars passionis Christi fuit quod traderetur, et negaretur a discipulo et pateretur ab iis, in quos tot contulerat beneficia, et quod eius supplicia ex tanto proficiscerentur odio et invidia. Ergo haec omnia a Deo debuerunt esse decreta et absolute praevolita. Alioquin passio Christi non fuisset in particulari cum omnibus suis circumstantiis ante praevisionem humanae malitiae decreta.

Sed inquiunt: blasphemias non praeordinavit, quia per se blasphemare Deus non poterat sicuti occidere, flagellare etc. Ergo [1.] hoc saltem verum est, quod in Apologia dicitur, passionem Domini non fuisse in particulari cum omnibus suis circumstantiis praeordinatam ante praevisionem malitiae Iudaeorum. [2.] Deinde verum erit, non omnia media praedestinationis esse efficaciter praevolita ante omnem

praescientiam, quia sicut perferre alia supplicia propter Deum est opus bonum, ita et perferre blasphemias, convicia etc. 3. Quare actio externa blasphemiae et irrisionis in Dominum non fuit tam bene decreta ante praevisionem malitiae, quam flagellatio, consputatio, coronatio, cum tam bene potuerit fieri sine peccato quam illa, nempe ab amente? 4. Si Deus ita efficaciter et absolute voluit, ut Christus tali tempore et loco flagellaretur, coronaretur etc., ante omnem praevisionem malitiae hominum et occasionum occurrentium, non reliquit quicquam in Domini arbitrio. Itaque non potuisset Dominus vel momento differre aut anticipare suam passionem vel aliquid minus aut amplius pati quam passus est. *Confirmatur.* Nam Pater hanc suam voluntatem absolutam ei aperuit ac proinde habebat rationem praecepti iam intimati; ergo Christus habuit in praecepto, ut omnia ea pateretur et eo modo etc., sicut passus est. Quod non videtur consentaneum Scripturis nec dictis Sanctorum etc. Nam ut Cyrill. lib. 7. in Ioan. c. 7. ex Scriptura docet, potuisset diutius vixisse, si voluisset. 5. Cum Deus decernit aliquam passionem, necesse est, ut decernat actionem, sine qua illa passio esse non potest, ut ipsi fatentur num. 89. Si ergo Deus decrevit, ut Christo omnia illa supplicia inferrentur, etiam voluit, ut aliquis ea inferret. At quem quaeso ante praevisam hominum malitiam voluit ista supplicia Christo inferre? Non quidem seipsum; quia ipsemet sua operatione non intulit. Quos ergo alios quam eos ipsos qui suo tempore ea intulerunt? Si ergo ex malitia sua sponte non intulissent, Deus erat praecepturus ut inferrent secundum Dominos Doctores. 6. Quia videtur contra Scripturas haec sententia. Nam 1. ad Cor. 2. dicit Apostolus: „Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent,“ at secundum hanc opinionem, si Dominum ex malitia non crucifixissent, debuissent ex praecepto facere, unde, etiamsi eum cognovissent, debuissent eum nihilominus crucifigere etc., quod est contra Apostolum.

Itaque securius magisque pie dici videtur, Deum ante praevisam malitiam hominum non statuisse et decrevisse, ut Filio eius omnia illa supplicia in particulari cum omnibus suis circumstantiis inferrentur; sed praeviso peccato originali statuisse per Filium redimere mundum, et simul praevidisse fore talem hominum malitiam, ut, si tali tempore eum mittat in mundum et permittat homines malitiam suam in eum effundere, hoc modo sint ipsum odio habituri, blasphematuri et crucifixuri etc. Qua praevisione conditionata posita (utpote quae necessaria sit et omnem actum liberum in Deo antecedat) statuisse pro sua sapientia permittere, quae, quantum et quomodo illi visum fuit (nam non quovis supplicio permisit eum affici), et voluisse, ut Dominus ea pateretur, id est, non se subtraheret, sed his cruciatibus nostrae salutis causa se subiiceret, eique praeceptum patiendi dedisse. Unde, si homines sua sponte tam mali non fuissent, ut Dominum tam diris cruciatibus afficere ex se parati essent, numquam Deus illis praecepisset (ut vult Antapologia), ut Filium flagellarent, spinis coronarent, inter latrones

crucifigerent; sed praevisa eorum malitia voluit ea uti ad generis humani redemptionem. Quae si non futura fuisset, alio modo nos redemisset, ut indicat 1. ad Cor. 2.: „Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.“ Quae autem ipsi ex D. Thom. afferunt, pro nobis potius sunt; quia D. Thom. non dicit, Deum absolute voluisse, ut haec supplicia quispiam Christo inferret, sed dicit, quod Pater dicatur tradidisse Filium, tum quia ei voluntatem patiendi inspiravit, tum quia non protexit, tum quia aeterna voluntate praeordinavit passionem Christi ad generis humani redemptionem, id est, voluit ab aeterno, Filium suum pati ad redimendum genus humanum. Quis hoc neget? Non dicit, Deum hoc voluisse ante praevisam malitiam hominum. Nam etiam ab aeterno voluit illum mittere in mundum, non tamen ideo ante praevisum peccatum. Neque solum praeordinavit Christi crucem ad redemptionem generis humani, sed etiam contumelias et blasphemias; voluit enim eum haec omnia pati propter nostram salutem. Loquitur enim D. Thom. de passione, ut in re facta est, et de illa traditione particulari etc.

Certum autem est, Patrem non voluisse passionem Domini et traditionem, ut facta est, ante praevisam malitiam Iudaeorum. Haec ergo verba pro nobis faciunt, unde non erat quod isti boni Domini hic rursum candorem nostrum requirerent, quia duas rationes D. Thom. posuimus et tertiam omisimus, quia tertia pro nobis est potius quam pro ipsis. Deinde cum illa scriberem, non respexi ad illum locum D. Thom., neque eius mihi in mentem venit. Dico ergo, quod Deus Christum percussit, non quia omnia illa supplicia intulisset, etiamsi Iudaei mali non fuissent, vel quia ipsos concitavit; sed quia permisit, ut in eum furerent, et voluit, ut ipse se non subtraheret, sed illorum furorem exciperet, eique praeceptum dedit et voluntatem inspiravit. Neque tantum dicitur illum percussisse ratione flagellorum et crucis, sed etiam ratione blasphemiarum atque adeo totius passionis, sicut facta est. Nam cum dicit Dominus per Prophetam: „Propter scelus populi mei percussi eum“ etc., loquitur de tota passione, ut patet inspicienti. Testimonia, quae ex D. Leone afferunt, pro nobis potius faciunt. Nam fatemur, ab aeterno fuisse dispositum, ut Dominus pateretur non solum flagella, coronam spineam et crucem, sed etiam blasphemias, irrisiones et ea omnia quae in tempore passus est; sed haec dispositio non fuit ante praevisam hominum malitiam, ut supra ostensum est. Quod etiam S. Leo satis indicat. Quod autem D. Augustinus ait: „Patiebatur haec omnia, qui apparebat, et idem ipse disponebat haec omnia, qui latebat,“ si aliquid contra nos valet: etiam contra Dominos Doctores valet. Nam D. Augustinus loquitur de omnibus quae humana natura in Christo patiebatur, unde etiam de blasphemiis, sputis etc. Ergo si Domini velint Augustinum per „disponebat“ intelligere: *ordinabat et volebat ante praevisionem malitiae hominum,* iam Deum faciunt auctorem peccati. Sensus ergo est, quod is qui latebat, seu deitas, haec omnia disponebat,

quia altissimo consilio permittebat, quae et quomodo ipsi videbatur. Et volebat, ut humana natura se his nostra causa subiiceret et non detrectaret etc. Altissimae enim dispositionis est, quod ita Iudaei fuerint permissi saevire in Dominum et Dominus haec omnia pati non detrectaverit. Unde haec dispositio tria continet: 1. discretionem suppliciorum, non enim quaevis supplicia permisit inferri, sed quae ipsi visum fuit; 2. permissionem, ut haec inferrent; 3. voluntatem, ut natura humana haec supplicia pro nostra salute exciperet. Quae autem hic de praescientia conditionata afferunt, non videntur intellexisse in Apologia. Non enim ibi dicitur, malitiam Iudaeorum debuisse praevivideri conditionata praescientia; sed quid ex ea esset sequuturum etc.

Ex his patet etiam omnia martyrum supplicia in particulari non fuisse a Deo decreta, antequam praevideret fore tyrannos, qui haec inferrent. Neque Deum per se eos trucidaturum et omnibus illis tormentis excarnificaturum, vel aliis, ut id facerent, praecepturum fuisse, si tyranni id sponte non fecissent, ut hic Domini Doctores non obscure docent. Similiter neque infantes omnes illos interfici voluit absolute ante praevisam Herodis saevitiam sicut neque Filium suum in Aegyptum fugere, sed satis est, si praevisa malitia tyrannorum voluerit permittere, ut in suos electos saevirent, idque in bonum ipsorum. Si enim nulli fuissent tyranni, nulli fuissent martyres, ut quodam sermone ait D. Augustinus. Et inde colligit, persecutores etiam valde utiles Ecclesiae fuisse, sed de hoc plura infra.

Caput sextum quo respondetur Antapologiae assertionis 25.

Hic oppugnant quamdam distinctionem in Apologia factam, qua dicitur dupliciter intelligi posse, quod certum sit hunc perseveraturum: 1. quia datur illi talis gratia, ex cuius mera efficacia sequatur perseverantia, id est, quae ita sit efficax et potens, ut cum ea stare non possit, ut non perseveret, et hoc modo diximus perseverantiam non esse certam; 2. quia Deus homini dat talem gratiam et providentiae modum, cum quo certo praesciebat hominem perseveraturum, licet non sit ita efficax, ut cum ea stare non possit còntrarium. Et hoc modo diximus esse certum.

Hic dicunt, nos non satis candide illorum proponere sententiam, quasi certitudinem ex mera gratiae efficacia statuant, sed immerito hoc dicunt: 1. Quia non dicimus ibi hanc illorum esse sententiam. [2.] Deinde quod ipsi revera certitudinem boni operis ex mera gratiae efficacia ponant, vel ex eo patet, quod requirant ad quodlibet opus bonum gratiam praevenientem ita efficacem, ut cum ea stare non possit, ut non agas, et hanc gratiam habere docent non esse in nostra potestate; ergo revera ponunt certitudinem boni operis ex mera gratiae efficacia. Sicut si esset aliquis habitus in nostro intellectu vel voluntate ita efficax, ut cum ea stare non possit, ut non agas, recte dixeris illam

actionem sequi ex mera habitus illius efficacia. 3. Quia, quod hic homo perseverabit aut faciet opus bonum, dicunt esse certum ex mera praeordinatione; quia nempe Deus absolute vult illi dare bonum opus aut perseverantiam, ut patet in Censura ad propositionem primam et in hoc scripto num. 21. et 22. Ergo certum est ex sola gratiae efficacia. Confirmatur. Quia non est certum ex eo quod liberum arbitrium se determinabit ad hoc, sed ex eo quod gratia determinabit liberum arbitrium. Quod autem dicunt ita Deum perseverantiam in nobis operari, ut defectibilitatem voluntatis cadendique per singula periculum non auferat, mirum est, quomodo cum eorum doctrina consistat; quia alibi docent, Deum immediate bonum opus in nobis operari et liberum arbitrium ad bonum opus determinare. An forte deficere potest voluntas a bono opere, ad quod efficaciter determinatur et quod Deus absolute, nulla requisita conditione, in ipsa praeveniendo operatur? Sed, credo, hanc defectibilitatem ita explicabunt: quia nimirum Deus non aufert infirmitatem et proclivitatem ad malum, quamvis per gratiam efficacem efficaciter prohibeatur exire in actum, sed de hoc infra. Reliqua in hoc capite sunt parvi momenti.

Caput septimum ad Antapologiam assertionis 26.

Hic notandum est, numquam a nobis esse dictum, sententiam huius loci Ioan. 6.: „Haec est voluntas Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo" etc., esse, quod voluntas Patris sit, ut omnes habeant sufficientia ex Christi merito auxilia, ut hic transversim (quod saepe faciunt) nostra rapientes imponunt. Non enim, quando ad locum aliquem Scripturae respondetur, semper necesse est accuratam ipsius interpretationem afferre; sed ea explicare sufficit, quae causae tuae obstare videntur. Unde non fui sollicitus, ut explicarem, quinam eo loco proprie dicantur Christo dati, sed quaenam sit voluntas Patris etc. Voluntas autem ipsius est, ut non perdat quemquam, sed omnes quos illi dat singulari modo custodiat, ut perseverent, si velint et gratiae largitati non desint etc. Qui enim insiti sunt Christo per fidem, longe uberius habent auxilium quam nondum credentes. Ceterum bonam esse interpretationem, qua exponitur hic locus de omnibus credentibus, ostendimus in Apologia ex Chrysost., Cyrill. (qui eo loco nempe lib. 11. in Ioan. c. 21. multa dicit, quae videntur aperte esse contra Dominos Doctores), Theophylacto, Beda et ipso b. Augustino; eodem modo explicant multi recentiores. Quod etiam facile ostendi posset ex verbis sacrae Scripturae. Non enim ibi proprie erat locus agendi de mysterio praedestinationis; sed Dominus tantum vult ostendere, neminem posse ad se venire, id est, sicut oportet, credere et amplecti eius doctrinam, nisi a Patre trahatur et discat; et ideo non esse murmurandum, si doctrina ipsius absurda videretur, sed potius orandum, ut a Deo illuminentur. Quantum autem commodi ex eo sint percepturi, ex eo

ostendit, quod voluntas Dei sit, ut omnis, qui credit in Filium eiusque disciplinam amplectitur, magna cura a Filio custodiatur et vita aeterna donetur, nempe si in fide permanserit. Cum enim ait: „Haec est voluntas Patris, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam“ etc., manifeste loquitur de omnibus credentibus, non de praedestinatis tantum. Ratiunculae autem, quas hic afferunt, parvi sunt momenti. De loco illo Ioan. 17. [v. 9.] satis dictum est in Apologia: primo enim orat pro Apostolis, deinde pro credituris per ipsos, tertio pro mundo [v. 21. *ut credat mundus*].

Expositionem autem S. Augustini, quam quibusdam locis habet, non reiicimus; putamus tamen alteram magis literalem, quamvis, si exponamus eum locum de praedestinatis, nihil faciat contra nostram sententiam. Concedimus enim, neminem praedestinatorum perire et eos propriissime esse datos Filio, quia tali gratia ei astricti sunt, ut in aeternum sint adhaesuri.

Quod autem Psalm. 2. etiam reprobi recte dici possint dati Filio, cum dicitur: „Postula a me,“ etc., patet ex versu sequenti: „Reges eos in virga ferrea et tamquam vas figuli confringes eos.“ Dedit enim Pater Filio totum genus humanum. Nam ipse pro omnibus mortuus est et omnes redemit. Sed eos, qui nolunt ipsi servire, a se reiiciet; videndum autem est, qua occasione quidque dicatur.

Caput octavum ad Antapologiam assertionis 27.

Non negamus B. Augustinum illum locum ad Rom. 8.: „Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum“ etc. et quosdam alios ad solos electos referre. Aliorum tamen explicationem qui eum generatim explicant, nempe ut Apostoli sententia sit, omnes adversitates cedere in magnum bonum et lucrum meritorum iis qui Deum diligunt, modo in dilectione permaneant, magis probamus. Idque ob causas in Apologia allatas, ad quas nihil respondetur quod urgeat. Nam, quod Apostolus addit: *Qui secundum propositum vocati sunt*, ideo facit, ut ex gratuita et benevola Dei vocatione ostendat, Deum ipsis non defuturum, sed auxilio suo affuturum, ut possint adversitates sustinere; deinde sic omnia directurum et moderaturum, ut ex adversitatibus magnum lucrum capiant. Non est autem valde probabile, quod Apostolus loquatur de solis praedestinatis; ob rationes in Apologia allatas; nam sensus esset: Si estis praedestinati, omnia cedent vobis in bonum. Quo modo non solemus exhortari, ut ipsimet fatentur. — Sed *inquiunt*, Apostolus ait: *Certus sum, quia neque mors* etc., *poterit nos separare a caritate Christi*, ergo loquitur ibi de solis praedestinatis. *Resp.:* Hunc locum etiam afferunt haeretici ad probandam certitudinem gratiae, sed respondendum est utrisque illud *certus sum* nihil aliud esse quam confido, persuasus sum (ut Patres Graeci et multi Latini interpretantur). Est enim graece πέπεισμαι, quod significat persuasum esse. Deinde Apostolus

non intelligit absolute, quod nulla creatura possit nos separare a caritate Dei, sed quod non possit nisi ipsi nos separemus, ut inquit B. Bernardus in serm. de duplici baptismo etc. Porro vocationem secundum propositum iuxta mentem Sancti Augustini cum Ruardo et Dried. existimamus esse eam, qua sic vocat sicut novit hominem sequuturum et non contempturum, quae est propria salvandorum, quando tali gratia prosequitur hominem in finem, quomodo S. Aug. alibi dicit: *In electis voluntas praeparatur a Domino.*

Caput nonum ad Antapologiam assertionis 28.

In illo dicto Apostoli ad Romanos 9.: „Iacob dilexi, Esau odio habui“ etc., non significari Deum ante omnem praevisionem operum absolute decrevisse Iacob et populum in ipso designatum donare vita aeterna, et Esau cum populo, quorum ille typum gerebat, praecipitare in tartara, satis patet tum ex iis, quae supra dicta sunt, tum quod haec expositio omnibus Patribus repugnet, ut patet ex Ruardo art. 7. p. 340. et Dried. de concord. liberi arbitrii p. 52. 53. 54. Cur enim Deus iis peccatum originale remittit, tot beneficiis et caelestibus donis ornat et potestatem perseverandi tribuit, tot conditionatas promissiones in sacris Scripturis proponit quas implere est in eorum potestate, si eos ante praevisionem omnium operum et bonorum et malorum, quae facturi erant, sempiterno exitio devovit? Eam autem expositionem, quae in nostra propositione a Censura reprehensa continetur, commodam esse, nec quicquam D. Augustino repugnare, vel ex eo patet, quod odio habere iuxta idioma Scripturae sacrae interdum idem sit, quod minus diligere eum qui tamen maiore amore dignus videbatur, sicut patet Gen. 29., ubi, cum Scriptura dixisset, Iacob dilexisse magis Rachelem quam Liam, paulo post subiungit: „Videns Dominus quod odio haberetur Lia“ etc.; sic enim habetur in graeco: ὅτι μισεῖται ἡ Λεία, ubi noster interpres vertit: „Videns Dominus quod despiceret Liam,“ ubi manifestum est, Liam dici habitam fuisse odio a Iacob, quod minus diligeretur, quae tamen, quia prior uxor erat et foecundior, maiori amore digna videbatur. Pari ratione Esau recte dicetur odio habitus, non absolute, sed comparative, quia etsi erat primogenitus et hac ratione maioribus beneficiis dignus videbatur, minora tamen ei concessa sunt, praelato fratre eius minore. Haec tamen beneficia sufficiebant ad salutem, si sua negligentia et pravitate eis non defuisset.

Sed *inquiunt,* in Lia erat lippitudo, quae odio digna est. *Resp.* Non inde sequitur, quod odium ibi proprie sumatur; nam etsi lippis erat oculis, non tamen ideo Iacob volebat ei malum, quod est proprie odisse, sed minore affectu illam prosequebatur quam Rachelem, ut paulo ante sacra Scriptura dixerat, quod paulo post nomine odii exprimens dicit: „Videns Dominus quod odio habebatur Lia.“ Si diceret Scriptura, quod odio habebatur lippitudo, iam aliquid MM. NN. dicerent.

Itaque hic locus maxime ad rem facit. Nam simili ratione dicimus Esau odio habitum; non quod Deus illi malum damnationis aeternae voluerit, praesertim iam circumciso, sed quia non voluit illi quamvis primogenito talia ac tanta, qualia et quanta fratri. Sane hic nihil est, quod vel speciem habeat cum aliquo errore Pelagii.

Omitto recentiores, qui hunc locum Apostoli ita explicant: Turrianus, de Electione Divina; Ioan. de Bononia et alii, unde patet hanc interpretationem esse phrasi Scripturae consentaneam, et ea, quae de sole et luna, B. Virgine et Apostolis afferuntur, nihil ad rem pertinere. Est tamen alia interpretatio, quam alibi attulimus, testimoniis Patrum satis munita.

Caput decimum ad Antapologiam in partem posteriorem assertionis 17.

Status controversiae:

Nos existimamus non omnia, quae in mundo fiunt, esse efficaci et absoluta voluntate in particulari cum omnibus suis circumstantiis praevolita et constituta a Deo, antequam praevideret causas secundas se sponte ad ea inclinaturas et determinaturas.

Dominis Censoribus visa fuerunt haec reprehendenda, tamquam Divinae providentiae multum detrahentia. Neque in Censura excepe runt peccata; sed generatim illam propositionem reprehenderunt. Nunc tamen excipiunt peccata, quae scilicet intrinsecus peccata sunt et sine peccato nullo modo fieri possunt. Et docent omnia, quae per se peccata non sunt, esse absoluta voluntate decreta a Deo, ut fiant, antequam praevideret causas secundas naturales et liberas sese ad illa sponte inclinaturas, et ut unumquodque suo tempore et loco, sicut decretum est, eveniat, Deum disponere atque adeo determinare causas secundas, ut haec faciant, nisi quando mediante peccato id exequendum est. Tunc enim solum permittere.

Sed *probatur* nostra sententia. Quia Patres in Apologia citati docent, non ideo aliquid esse futurum, quia Deus praescit, sed ideo Deum praescire quia futurum est: ergo existimabant illi, non omnia esse hoc modo in particulari decreta.

Respondent Domini in sua Antapologia, hoc argumentum esse leviculum, quod generaliter Patres de omnibus futuris loquantur, ac proinde prorsus apparere istas auctoritates non ex fontibus, sed aliunde non magno iudicio petitas. Ad quod *Resp.* ex fontibus ipsis petitas esse perpensis antecedentibus et consequentibus, sicut et alia testimonia, quae simili censura hic plerumque notantur. Quo autem iudicio, nunc videamus.

1. Origenes ergo apud Eusebium lib. 6. de praeparat. evang. cap. 9., cum ostendisset contra Mathematicos stellarum coniunctiones non afferre necessitatem rebus humanis, idem ostendit etiam de divina providentia. Cum ergo posuisset argumentum gentilium, respondet his verbis: ad-

versus quod dicendum est, quod omnia Deus ab aeterno videat antecedentia, sequentia, causas rerum atque effectus, nec tamen ipse omnium est causa. „Nam quemadmodum si quis temeritatem hominis alicuius perspexerit, et quia ignorantem eum cognoverit propter temeritatem eius, non dubitet periculosa eum ac lubrica aggressurum itinera, in quibus lapsus misere iacebit, non effecit hunc ipsum temerario illi homini lapsum: sic Deus cum uniuscuiusque voluntatem praevideat, hunc perperam, illum recte acturum non ignorat“ etc. Hactenus ille. Ubi manifestum est, Origenem ita velle Deum praescire actus liberos, ut ipse non sit causa aut eos determinans aut eos absolute decernens. Deinde infert: „Non ergo praecognitio futurorum causa est (nec enim ullo modo ad peccandum Deus quemquam impellit aut movet); sed e contra, dicam enim (etiamsi absurdum forsan multis videatur) id quod futurum est, causa est, ut Deus eventurum illud praevideat. Non ergo ideo fit, quia praescitur; sed quia futurum erat, praescitur.“ Ubi inprimis notandum est, Origenem probare praecognitionem non esse causam futurorum, quia Deus non movet nec impellit quemquam ad peccandum, et per hoc evidenter significare non posse hoc recte dici de iis, ad quae Deus movet et determinat causam secundam, aut de iis quae necessario eveniunt, ut volunt MM. NN. Nam quae Deus absolute statuit facere vel absolute decernit, ut fiant, praescientia est causa futurorum, nam practica est eorum quae voluntate sunt decreta. Deinde falsum est, Deum ea quae ipse absolute ante omnem praevisionem decernit, praescire, quia futura sunt; nam praescit ea, quia facere decrevit atque adeo praescit in decreto suae voluntatis. Non enim ab aeterno praesciebat mundum aut numerum stellarum futurum, quia futura erant; sed quia efficaciter ante omnem praevisionem causarum secundarum haec ipsa facere decreverat. Quandocumque enim aliquid causas habet, ex quarum efficacitate infallibiliter eveniet, non dicimur illud praescire, quia futurum est. Ridicule enim quis diceret astrologum certo scire fore tali hora eclipsin in tali signo, quia tunc futura est; nam ideo praescit, quia causas videt praeparatas. Multo minus dici potest de Deo, quod praesciat ea quae ipse decrevit esse futura, quia sunt futura. Nam in ipsomet Deo iam causam infallibilem habent. Praeterea isti Patres volebant ostendere per divinam providentiam nullam afferri actibus humanis necessitatem, idque ex eo, quod praescientia divina, quae maxime videbatur obstare libertati, nullam necessitatem afferat, dicentes non ideo rem fieri, quia Deus praescit, sed ideo praesciri, quia fiet. Quae responsio nullo modo satisfecisset, si Deus omnia in particulari absolute decerneret. Nam potuissent alii instare, nihil hoc referre ad actuum humanorum contingentiam. Nam etsi non ideo res futura sit, quia Deus eam praescit futuram, tamen ideo futura est, quia Deus absoluto et infinite efficaci decreto ante omnem praevisionem dispositionis causarum secundarum sanxit et statuit, ut fierent, et ad hoc omnia causarum momenta potentissime aptabuntur. Unde apparet, quam fri-

volum fuisset illud commune Patrum refugium ad ostendendum, Dei providentiam non afferre rebus humanis necessitatem, si omnia fuissent absolute ante praevisionem causarum secundarum decreta. Quare Calvinus lib. 3. inst. c. 23. § 6., ponens hanc efficacem praeordinationem, eodem modo hoc argumentum eludit, admittens praescientiam solam nullam inferre necessitatem creaturis: „Si hominum eventa," inquit, „Deus praevideret dumtaxat, non etiam suo arbitrio disponeret ac ordinaret, tum non abs re ageretur quaestio, ecquid ad eorum necessitatem valeat eius providentia; sed cum non alia ratione, quae futura sunt, praevideat, nisi quia ita ut fierent decrevit, frustra de praescientia lis movetur ubi constat, ordinatione potius et nutu omnia evenire."

Similia supradictis habet Origenes in cap. 8. ad Romanos, et Iustinus martyr quaest. 58. ad orthodoxos[1]. „Praenotio," inquit, „non est causa eius quod futurum erat; sed quod futurum erat, causa est praenotionis. Non enim praenotionem sequitur res futura, sed rem futuram praenotio. Nec ullo pacto, quia praenoscit, causa est rei futurae. Itaque non Christus causa est proditionis, sed proditio est causa praenotionis Domini." Ubi ex eo, quod praenotio non est causa rei futurae, sed contra potius, infert Christum non esse causam proditionis; quae consequentia nihil valeret, si etiam de iis futuris, quae Deus absolute decernit, hoc dici posset. Hieronymus in c. 2. Ezechielis in illa verba: *„Haec dicit Dominus, si forte vel ipsi audiant"* etc. sic ait: „Loquitur Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium, ne praescientia futurorum mali vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum noverit. Non enim quia ille futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille praescivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus." Haec ille. Quod si Deus omnia iam absolute et efficaciter decreverat, quomodo loquitur ambigentis affectu, qui absolute statuerat, quid fieri deberet? Numquam enim solemus dicere *„si forte"* de iis, quae absolute volumus et possumus. Deinde cur Hieron. hic recurrit ad praescientiam, cum potius debuisset ostendere decretum absolutum non obstare libertati, si absolute decretum est, quid facere debeamus? Frustra enim de praescientia lis movetur, si omnia sunt absolute et efficaciter decreta. Similia habet Hieron. in c. 26. Ierem. et Chrysost. hom. 27. in cap. 11. prioris ad Corinth., explicans illa verba: *„Oportet haereses esse,"* et auctor de praedestinatione et gratia c. 15. Ex quibus patet primo hos Patres non loqui de omnibus futuris, ut Antapologia vult, sed tantum de libere futuris. Deinde patet eos hoc ipsum non fuisse dicturos de necessario futuris, vel quae absoluto Dei decreto ante omnem praevisionem iam in particulari sancita erant, ac proinde per hanc sententiam excludere tale absolutum decretum circa functiones liberas.

---

[1] * Hae quaestiones falso S. Iustino tribuuntur, sunt tamen pervetusti scriptoris.

2. *Probatur* ex Damasceno lib. 2. de fide cap. 30. ubi sic ait: „Deus omnia praescit, sed non omnia praedefinit." Respondent ipsi praedefinire idem esse, quod necessitare, et citant in margine D. Thom. 1. part. quaest. 13.[1] art. 1. ad 1., qui nihil tale ibi dicit. Unde dico non tantum ea praedefiniri, ad quae Deus absolute necessitat, sed etiam ea, quae ipse vult, sicut Damascenus seipsum explicat. Non enim, inquit, vult peccatum fieri, inde concludens peccata non praedefiniri. Quicquid ergo absolute vult, hoc praedefinit. Est enim graece προορίζειν, id est, praedestinare, praeordinare, quae vox numquam significat necessitare vel praedeterminare causam secundam ad effectum, sed rem aliquam animo praeordinare, ut patet apud Dionysium c. 5. de divinis nomin. et ex variis locis sacrae Scripturae. Neque Damascenus ibi agebat de praedeterminatione causarum ad suos effectus, sed de cognitione et voluntate seu decreto divino; vocatur autem decretum aeternum Dei proprie προορισμός, ut ibidem definit. Deinde secundum Damascenum praedefinivit Deus principatum Ioseph, regnum Davidis, Ezechiae vitam longiorem et similia, ad quae tamen illos non necessitavit. Praeterea idem Damasc. c. 29. eiusdem lib. docet, quod iusti incidant in calamitates, non esse secundum divinum beneplacitum, sed esse secundum permissionem. Ergo sentit ipse non omnia esse absolute et efficaciter praevolita. Praeterea idem auctor contra Manichaeos p. 562. clarissime docet Deum non absolute praedefinivisse omnes etiam actiones bonas in particulari. „Praevidens," inquit, „Deus ea, quae nos sponte facturi sumus, ea scilicet quae in nostra sunt potestate, etiam ea quae non sunt in nostra potestate praedefinit. Neque tamen ipsa eius facultas, qua futura praescit, ex nobis causam habet, sed quod ipse praesciat ea, quae nos facturi sumus, a nobis dependet." Haec ille. Ex his verbis clarissime patet, Deum non praeordinasse hominibus supplicia vel gloriam, quae non sunt in nostra potestate, nisi praevisis bonis vel malis operibus, quae sunt in nostra potestate. Deinde patet, Deum non praedefinivisse in particulari omnes nostras actiones, quia relinquit eas adeo in nostra potestate, ut possimus efficere, ut Deus eas cognoscat futuras vel non futuras. Quod falsissimum esset, si ipse absolute decrevisset, ut eas hic et nunc faceremus. Tunc enim a nobis nullo modo penderet, quod Deus ista futura praesciret. Nam ex solo decreto suae voluntatis id sufficientissime praesciret.

3. *Probatur* ex sententia Prosperi sumpta ex lib. 3. de Trinit. c. 4., ubi non omnia vult decerni a Summi Imperatoris Aula ante praevisionem dispositionis causarum secundarum, sed multa permitti, sicut non decernebat, ut malefici opera daemonum facerent ranas et serpentes, sed permittebat et quidem praevisis hominum demeritis, ut ibidem satis indicat.

---

[1] * Exemplar Iustificationis seu Antapologiae, quo Lessius usus est, hoc loco mendosum fuit; verba enim S. Thomae a Lovaniensibus laudata non in qu. 13., sed in qu. 23. leguntur.

4. Ex D. Thom., cuius verba dicunt a me non bona fide, sed mutilate producta. D. Thom. 1. par. quaest. 23. art. 7. sic ait: Numerus praedestinatorum Deo certus dicitur non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit, quot sunt salvandi (sic enim Deo certus est numerus guttarum pluviae et arenae maris), sed ratione electionis et definitionis cuiusdam; ubi habemus numerum guttarum pluviae esse tantum certum ratione cognitionis, ita ut non sit certus ratione cuiusdam definitionis, id est, ex eo quod Deus praecise voluisset tot esse guttas et non plures. Nam si hoc definivisset, sine dubio certum in illa praefinitione esset.

Sed *inquiunt*, D. Thom. infra ait, quod iste numerus guttarum, culicum etc. non sit per se praeordinatus et principaliter. Ergo insinuat esse praeordinatum minus principaliter et propter aliud. *Resp.* Non vult D. Thom. dicere certum aliquem numerum culicum esse a Deo ante praevisionem causarum secundarum definitum, sed propter aliud, non propter se. Nam tunc ille numerus esset certus ratione huius definitionis, sicut numerus praedestinatorum. Nam ad hoc nihil interest, sive aliquid propter se definitum sit, sive propter aliud, modo aeque absolute definitum sit. Nam etiam D. Thom. dicit eamdem esse rationem numeri reproborum, qui videntur, inquit, ordinati in bonum electorum, quorum tamen numerus certus non est decretus et efficaciter praevolitus ante praevisionem causae secundae, nempe demeritorum, nec propter se, nec propter electos, sed solum praescitus; vult ergo dicere numerum culicum non esse per se praeordinatum, quia nulla certa species numeri, v. g. praecise mille vel centum millia, definita est, cum nihil referat ad universi perfectionem, sintne tot praecise vel tot, sed esse praeordinatum in genere, ut tot nascantur quot sufficiunt ad speciei conservationem. Idem patet ex quaest. 6. de verit. art. 3., de quo loco supra.

5. *Probatur* ex aliis doctoribus. Nam omnes illi, qui statuunt Deum non cognoscere futura contingentia in determinatione suae voluntatis, manifeste indicant Deum non efficaciter et in particulari omnia futura contingentia praeordinasse, ut D. Bonaventura, qui vult ea cognosci in repraesentatione idearum, dist. 39. art. 1. 2. quaest. 3., Durandus et Gregor., qui in causis liberis, dist. 38., D. Thom., qui vult ea cognosci, quia aeternitas ambit totum tempus et ita omnia sunt aeternitati obiective praesentia, 1. part. quaest. 14. art. 13., denique Guillielmus Occam et ceteri Nominales, qui aperte impugnant hanc absolutam praeordinationem, dist. 38., cum Greg. Arim. Solus Scotus, quod sciam, ponit illam praeordinationem seu determinationem futurorum contingentium, dist. 39., quia putat aliter futura non posse praenosci a Deo, nisi ab ipso sint decreta. Quod si ipse sub illa determinatione comprehendit etiam permissionem, nobis non adversatur. Nam nihil potest esse futurum, nisi Deus illud velit vel permittat fieri; sed quicquid sit, Scotus nihil iuvat sententiam MM. NN., quia ipse ponit

omnia esse determinata a divina voluntate, etiam actus intrinsecus malos secundum esse materiale; alioquin eos non cognosceret; ac MM. NN. in Antapologia hos excipiunt. Similiter nec Caietanus illos iuvat; nam loquitur absolute de omnibus, quae contingenter seu libere eveniunt. Cuius sententiam nemo fere sequitur.

6. *Probatur.* Si actiones illae, quae intrinsecus sunt peccata, non sunt efficaciter et absolute decretae ante praevisionem causarum secundarum, cur non etiam aliae nullius momenti, v. g. ludicrae et indifferentes. Nam ratio cur hae ponantur decretae, ut fiant, etiam locum habet in actionibus malis; nec unquam aliquis doctor dixit, reliquas omnes actiones nostras esse absolute decretas, eas autem, quae intrinsecus malae sunt, non esse decretas, unde illa sententia caret omni fundamento. Si enim possum mentiri, odisse fratrem hic et nunc sine decreto Dei efficaci, quo me velit habere has actiones, cur non possum etiam dicere verum et odisse diabolum et facere actiones aliquas civiles sine simili decreto?

Dicet aliquis, voluntas Dei est omnium rerum causa, ergo nihil potest fieri, nisi Deus absolute velit illud fieri. *Resp.* Hoc argumentum non minus est contra ipsos, qui volunt actiones malas non esse a Deo praevolitas secundum esse materiale, quam contra nos. Est autem voluntas Dei omnium rerum causa, quia nihil omnino, ne actio quidem illa, quae intrinsecus malitiam coniunctam habet, potest fieri sine voluntate Dei aut decernente, ut fiat, aut permittente et volente praebere concursum; non autem, quod omnia in particulari debeant esse absolute et efficaciter praevolita, ita ut ex efficacia huius decreti omnia fiant. Alioquin si omnes omnino actiones et motus animorum sunt absolute et efficaciter decreti, antequam praevideret Deus causas secundas ad hoc sese determinaturas, sed ipsemet decreverit, ut se determinarent, non video, quomodo Deus non sit auctor peccatorum. Nam ideo hic et nunc ille habebit actum mentiendi, quia Deus decrevit, ut illum haberet; ideo actum odii, quia Deus absolute voluit, ut in illo exurgeret talis actus, et sic de ceteris. Et ita quisque poterit causam suorum peccatorum in Deum referre, cuius decretis obluctari non possumus. Si dicas: Deus non voluit, ut ille actus haberet malitiam coniunctam, respondebit ille: Neque ego id cupio, sed bene sciebat Deus, me illos actus materiales non posse bene facere, v. g. odisse proximum vel Deum, velle mentiri, fornicari etc.; cur ergo decrevit efficaciter, ut ego illos haberem, antequam praevideret me in illos inclinaturum? Non video quid aliud velint dicere haeretici Wicleffitae et Calvinistae, qui dicunt Deum esse auctorem peccatorum, non quod ipse velit malitiam ipsam coniunctam actui; nam hoc aperte negant, ut patet apud Calvinum lib. 1. Instit. c. 18. § 6., ubi dicit Deum nolle perfidiam, sed actum illum, in quo est perfidia. Neque hoc refert, quia ipsa [quoque] creatura non vult malitiam illam seu inordinationem, sed actum et delectationem positivam. Unde, si Deus velit et absolute ante

omnem praevisionem determinationis causarum secundarum decernat omnes illos actus, ut fiant, non video quomodo contra haereticos defendi possit, Deum non esse auctorem peccati, maxime si ponamus, quod quidam faciunt, Deum praeveniendo liberum arbitrium ad omnes illos actus efficaciter determinare; nam sic falsa omnino videtur etiam illa Conciliorum definitio, neminem divina potentia praedestinatum esse ad malum.

Quare valde optandum esset ut sancta SEDES APOSTOLICA decerneret, quo loco haec quorumdam propositio sit habenda: DEUS absolute et efficaciter decrevit omnes actus liberos secundum esse materiale cum omnibus suis circumstantiis et ad eos praeveniendo liberum arbitrium efficaciter determinat.

7. *Prob.* Si omnes aliae actiones in particulari cum suis circumstantiis sunt absolute decretae ante omnem praevisionem causarum secundarum: ergo Deus debet singulari providentia procurare et omnes causas ad hoc disponere, ut infallibiliter tali tempore, loco et modo fiant, v. g. ut hodie toties rideam, iocer, cras autem toties et sic de ceteris actionibus cum suis circumstantiis. Itaque causa, cur haec toties hodie vel heri fecerim, est, quia Deus statuit, ut haec toties tali tempore et loco facerem, et ut facerem, me instigavit et determinavit, quod ipsi concedunt, sed sane parum videtur probabile. Nemo enim experitur talem praeventionem et incitationem a Deo immissam ad haec facienda. Deinde cur Deus non relinquat haec minima in hominum arbitrio, ut necesse sit ipsum haec omnia in particulari praescribere? An forte homo nihil horum facere posset, nisi Deus haec eo modo praescriberet, et ad haec liberum arbitrium locis et momentis praestitutis incitaret et determinaret?

8. Quia valde alienum videtur a ratione dicere omnes hominum caedes, omnes virginum violationes, omnes rerum alienarum ablationes esse absolute decretas et praeordinatas, ut fierent tali tempore, loco et modo ante omnem praevisionem causarum secundarum. Si enim Deus haec omnia absolute praeordinavit, ut tali tempore et loco fierent, necesse est, ut causas secundas, per quas haec exequitur, ad ea impellat et determinet, sicut eas determinat ad alia, quae sine peccato faciunt. Nam alioquin non certo et infallibiliter ita evenirent. Quid enim si causae secundae se illis momentis non inclinarent ad haec facienda? v. g. Deus secundum illos, num. 111., quia decrevit hunc infantem non admittere ad regnum, statuit illum eliso gutture interficere ante baptismum tali tempore et loco, antequam matris in illum immanitatem cerneret; deinde videns, matrem impiam futuram, vult uti eius malitia ad hunc infantem interimendum. Sed quaero, qui fit, ut mater illum tali prorsus modo et loco et tempore interimat, si Deus illam ad hoc non inflectat? Eadem est quaestio de infinitis hominum caedibus, quae mediante peccato fiunt, quomodo hae omnes caedes ante praevisionem discordiarum et odiorum definitae et decretae sunt, ut tali modo, tem-

pore et loco fiant, si Deus tales discordias et odia non immittit et homines ad haec facinora talibus temporibus et locis non determinat? Sine omni enim probabilitate dicitur, quod semper causae secundae seipsas tunc praecise ad haec determinent et inflectant, nisi a Deo ad haec efficaciter impellantur, ut vult Calvinus. Sed *inquiunt,* nisi causae secundae sua malitia ad haec flecterentur, Deus illis praeciperet vel certe per se illa inferret. Nam per se potest occidere, quos, quando et quomodo vult, et aliis etiam praecipere. Sed non minus absurdum videtur et a communi doctrina alienum, quod Deus omnes illas caedes hominum, exustiones urbium et villarum, direptiones bonorum, violationes virginum praeciperet fieri vel per se faceret, si homines impii non essent vel se ad ea inferenda sponte non inflecterent. Similiter quod S. Laurentius in craticula tali tempore et loco pro confessione nominis Christi assatus et omnibus aliis tormentis excruciatus fuisset et tot alii utriusque sexus tam diris et variis et saepe nefandis tormentis mactati tali tempore et loco fuissent, etiam si impietas tyrannorum et hominum crudelium sponte non exstitisset, cuius sane auctor Deus esse nullo modo poterat. Non ergo haec Deus ante praevisam hominum malitiam, quos praevidebat sponte ad haec futuros paratos, absolute voluit, ut fierent. Omitto, quod etiam ex hac sententia sequi videatur omnes eos qui sunt damnandi eadem aeterna tormenta, quae propter sua peccata patientur, perpessuros fuisse, etiamsi non peccassent. Nam cum haec supplicia inferri possint sine peccato, sicut caedes hominum, Deus illa ante omnem praevisionem causarum secundarum decrevit. Cur enim non aeque atque caedes hominum? Unde si ipsi postea sponte non peccassent, debuissent illis inferri sine peccato vel certe Deus debuisset curare, ut peccarent. Sed profecto valde mirum est, haec omnia nunc poni a Deo absolute decreta, cum supra num. 56. dicant perseverantiam Angelorum quoad sui complementum non fuisse praedestinatam, sed praescitam tantum. Nunc autem caedes omnes hominum et supplicia etc. ponuntur non tantum praescita, sed etiam praeordinata seu praedestinata; nam haec idem valent; quae quomodo consentiant, ego non intelligo.

Sed *inquiunt:* In iis omnibus, quae gubernatione Dei contingunt, Deus causam ad effectum determinat et ideo praevidet determinationem illam, quia illam vult facere. Ergo Deus vult omnes tales effectus ante praevisionem determinationis causae secundae. In iis vero quae facit homo non ex gubernatione Dei, sed ubi gubernationi suae ipse relinquitur, ibi seipsum determinat ad effectum vel potius defectum. Ita ratiocinantur num. 106. Ibi nolo examinare illam distinctionem, cum D. Thom. omnia velit divinae gubernationi subdi. Sed *respondeo:* [1.] si in omnibus iis, quae Dei gubernatione contingunt, Deus causam ad effectum determinet etc., ergo etiam determinat et inclinat hominum voluntates ad caedes, rapinas etc., nam haec Dei gubernatione contingunt, cum sint ab ipso absolute decreta, ut fierent, ante praevisionem

causarum secundarum. Quid enim magis Dei gubernatione et directione contingit quam id, quod absolute et in particulari ab ipso est decretum? 2. Ex hac sententia videtur subverti libertas etiam in actibus civilibus et indifferentibus, quia, si Deus absolute decrevit, ut ego tali momento rideam vel iocer, et ut hoc faciam me efficaciter praeveniendo determinat, non est in mea potestate facere, ut hoc momento non rideam. Non enim in mea potestate est facere, ut Deus me praeveniendo determinet vel non determinet, et posita illa determinatione non est in mea potestate non facere, ad quod efficaciter sum praedeterminatus. *Confirmatur.* Nam quando suppositio non est in mea potestate, id quod ex ea suppositione necessario sequitur, non est in mea potestate, praesertim quando illa suppositio liberum arbitrium praeveniendo determinat; non enim in mea potestate est separare effectum ab illa determinatione; nam eodem momento effectus est, quo ponitur illa determinatio. In momento autem deliberare non possum. Quis enim non videat prorsus mihi inevitabilem esse risum, si Deus absoluto decreto statuit, ut rideam, et ad hoc me praeveniendo libertatem determinat?

Dices. Est necessarium solum ex suppositione. *Resp.* Hoc non refert. Nam haeretici nullam aliam ponunt necessitatem in actibus humanis civilibus, nisi ex suppositione decreti divini, quod non est in nostra potestate, ex cuius virtute suis temporibus et momentis ad singulos actus impellimur. Videatur Calvin. lib. 1. instit. c. 16. § 8., 9. et c. 18. § 2.

Ne autem MM. NN. putent istud axioma novum esse: Id quod sequitur necessario ex aliqua suppositione, quae non est in nostra potestate, non est liberum, sciendum illud tradi a Gregor. Arim. in 1. dist. 38. quaest. 2. art. 3. ad 4., ubi demonstrat fieri non posse, ut aliquid respectu primae causae necessario seu inevitabiliter eveniat, [et] respectu secundae libere seu evitabiliter. Quod etiam ostendit Scotus dist. 39. et Guillelmus Occam dist. 38. et Thom. Walden. lib. 1. doctr. fid. cap. 28.; et existimant hi doctores everti libertatem hominis, si actus voluntatis ita causantur a Deo, ut respectu Dei eveniant necessario et inevitabiliter; quod tamen docent MM. NN. expresse num. 78., ubi sic dicunt: „Quamvis causarum secundarum operationes, quatenus ab ipsis procedunt, impediri possint, tamen in quantum ad Dei voluntatem et operationem ut causam referuntur, impediri non possunt.“ Si enim non possum impedire, quin istae actiones procedant a Deo et a Deo causentur, perspicuum est non posse me impedire, quin ego illas in me habeam; nisi forte dicat quis, quod me impediente Deus produceret illas in aëre. Itaque illud axioma firmissimum est, maxime quando simul ponitur, quod illa suppositio liberum arbitrium praeveniendo determinet.

Quod autem Deus non determinet voluntatem ad actum liberum prius natura quam voluntas seipsam determinet, seu independenter ab ea determinatione, qua voluntas seipsam determinat, puto esse senten-

tiam omnium doctorum scholasticorum: Henrici quodl. 9. quaest. 5., Scoti in 1. dist. 39. et in 2. dist. 37., D. Bonaventurae in 2. dist. 37. quaest. 5., Guill. Occam 2. quaest. 5., Gabr. Biel in 2. dist. 37., Greg. Arim. in 1. dist. 45. conclus. 5. ad 2. et in 2. dist. 34. 35. art. 3. ad 8., Andreae a Castro novo in 1. dist. 22., Marsilii lib. 2. quaest. 16. art. 4., Caiet. 1. part. quaest. 14. art. 13., Ruardi art. 7. p. 314. et aliis multis locis, Cuneri opusc. de praedestinatione cap. 5. et alibi frequenter, Iulii Syrenii lib. 8. de fato c. 21. et alii plurimi, quorum verba afferemus infra. Quod autem D. Thom. et qui ipsum sequuntur interdum dicunt, Deum ut causam primam applicare omnes causas secundas ad agendum, intelligi debet non quod Deus illas praeveniat proprie, sed quia nulla creatura potest se determinare, id est, inchoare actionem suam nisi virtute divina sibi praeparata et Deo simul cooperante et veluti condeterminante. Deus enim ita se coniungit et veluti unit libero arbitrio, ut liberum arbitrium eius cooperationem habeat quodammodo in sua potestate, proinde ac si habitus quidam esset libero arbitrio intime insidens illique cooperans. Quia tamen perfectius influit in effectum omnem, etiam in actus intrinsecus malos, quam causa secunda, attingens per se primo tamquam causa universalis totius entis ipsum gradum entitatis generalissimum et primum, ideo dicitur plus influere et quodammodo prius, i. e., perfectius et illimitatius, quam causa secunda, quae per se tantum primo attingit gradum specificum et genericum effectus, sicut metaphysici docent. Non ergo determinat liberum arbitrium praeveniendo aut eo modo, ut haec determinatio in liberi arbitrii non sit potestate. Nam revera, si ita Deus sua gubernatione vel concursu liberum arbitrium determinaret, non video quomodo posset salvari libertas. Si enim concursum divinum non habeo quodammodo in mea potestate, neque etiam actum voluntatis habeo in mea potestate, v. g. si ad hoc ut tali momento velim ambulare, necesse est, ut Deus me tali momento praeveniendo determinet ad hoc volendum, quomodo habeo in mea potestate, ut hoc vel illo momento velim, si non habeo in mea potestate ut Deus me praeveniendo determinet? Neque satisfacit dicere: Deus facit, ut libere velis, et similia. Nam ad veram libertatem requiritur, ut habeam in mea potestate hoc velle et non velle. Quod certe non habeo, si Deus debet praevenire et determinare liberum arbitrium ad singula. Nam ex terminis notum est, hominem non habere immediate in sua potestate, ut a Deo ad hoc vel illud praeveniatur et praedeterminetur. Concludo ergo, eam sententiam quae dicit, Deum omnes actus humanos non per se malos ante omnem praevisionem absolute decrevisse et sua gubernatione voluntatem hominis ad eos, quos decrevit, praeveniendo determinare, non videri satis securam. Nam ex ea per evidentem consequentiam videtur sequi, hominem non habere suos motus in sua potestate, ut hoc vel illud velit et sese ad quaevis flectat etiam in rebus civilibus, quia non habet in sua potestate, ut Deus illum praeveniendo determinet; quae tamen de-

terminatio et praeventio est necessaria, ut possim illud velle. Nemo enim habet opus in potestate, nisi qui habet in potestate sua omnia necessaria ad illud. Itaque ratio, cur homo nunc hoc, nunc illud velit, erit, quia Deus illum nunc ad hoc, nunc ad illud flectit. Praeterea hinc sequitur neminem in sua potestate habere, ut plura faciat, vel pauciora, vel alia opera civilia non mala, quam facit etc. Nam nemo habet in sua potestate facere alia aut alio tempore quam Deus decrevit, ut faciat. Ergo, si Deus decrevit, ut tantum haec faciat, non potest facere alia. Item nemo habet in sua potestate facere aliquid non malum, nisi Deus illum ad hoc determinet. Deus autem non statuit illum determinare nisi ad haec certa et numerata, quae decrevit ipsum operari. Ergo non potest alia; alioquin homo posset aliqua facere non mala, quae non essent a Deo decreta, et sine gubernatione et determinatione Dei. Accedit quod homo omnia, quaecumque vult, necessario vult, si praeveniendo determinatur, ut velit. Ut enim determinetur a Deo, non est in ipsius potestate, et cum determinatus est ad velle, non potest fieri, ut non velit, sicut patet ex terminis. Nam eodem momento vult, sed de hoc plura infra.

Sed mirum sane est MM. NN. velle, ut Deus voluntatem humanam ad omnes actus civiles et indifferentes praeveniendo determinet, non autem ad actus intrinsecus malos, cum hi saepe versentur circa obiecta supernaturalia et pertineant ad aeternam praedestinationem vel reprobationem; nimirum hic periculum erat Calvinismi, quamquam ex hoc ipso fortissimum peti possit argumentum. Si enim potest quis odisse Deum et proximum, blasphemare, superbire, invidere etc. absque hoc, quod Deus illum ad haec praeveniat et determinet, cur non potest etiam facere aliquos actus civiles et indifferentes: ridere, iocari, ludere etc. absque tali praedeterminatione? Adeone natura nostra per peccatum est prostrata, ut nihil aliud possit quam actus intrinsecus malos, nisi a Deo efficaciter determinetur ad non malos? Profecto hoc incredibile est et a nemine, quod sciam, unquam assertum. Licet enim quidam voluerint, hominem viribus naturae solis non posse facere aliquod opus non malum, nemo tamen requirit, ut Deus ad illud determinet hominem.

Aliud argumentum, quo probent, Deum omnia minima in particulari ante omnem praevisionem causarum secundarum absolute praeordinasse, est, quia etiam in his unum est propter aliud, v. g. tale semen propter talem muscam; sed volitio finis est prior dispositione mediorum. Ergo Deus absolute voluit res omnes minimas fieri, et ideo singulis tales causas praeparavit. *Resp.* Si hoc argumentum aliquid valeret, maxime Angelorum gloria deberet esse absolute in particulari decreta ante praevisionem gratiae et meritorum, quae tamen supra negarunt num. 54. et sequentibus. Deinde quod aliquae muscae vel similia animalcula tali tempore et loco nascantur, in causa interdum est strages hominum, ex quorum nascuntur sanguine etc. Non ergo Deus

illas muscas absolute nasci voluit, antequam praevideret sanguinem effusum; aut certe debuissent ex sanguine illorum hominum nasci, etiamsi interfecti non fuissent, vel Deus debuisset curare illos interfici, ut muscae istae nascerentur. Similia multa posset quis enumerare quae valde ab omni ratione aliena sunt, sicut quod Deus debeat perpetuo regere illorum animalculorum phantasiam ut tali modo, tempore et loco volent, saliant etc., sicut ipse decrevit. Sane hoc non est sinere res suos motus agere, sed perpetuo novos imprimere. Ad rationem autem illam dictum est, Deum non velle omnes fines particulares absoluta et efficaci voluntate ante praevisionem causarum secundarum; unde possunt facillime humana libertate impediri. Quomodo autem divina providentia extendat sese ad omnia minima et ad actiones omnes humanas, dictum est in Apologia. Ad testimonium D. Augustini ex Psalm. 148.: Agit D. Augustinus contra eos, qui putant providentiam Dei non extendi infra nubes, sed hic omnia casu fieri. Nos autem dicimus non solum pluviam, grandinem etc. non fieri sine providentia Dei, sed nullum penitus motum in tota creatura posse fieri sine nutu, providentia, ordine et lege Dei. Nihil enim fit quod non ipse ordinet et procuret fieri vel ob certas causas permittat, ut qui omnium causarum radices in manu sua habeat, et hoc est, quod ipse vult quando dicit: „Quicquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei“ etc., scilicet praeordinante vel permittente; loquitur enim in genere etiam de suppliciis tyrannorum et mortibus hominum et omnibus, quae nobis displicent in mundo. Certum tamen est, quod Deus non velit absolute, ut homines seipsos vel alios interimant, furentur, fornicentur et cetera, quae piis displicent, perpetrent; quod ad monstra attinet, certum est, non omnia quae nascuntur esse a Deo praeordinata ante praevisionem causarum secundarum, neque causas secundas ad haec procurari, ut quando ex nefario concubitu hominum cum bestiis foetus nascuntur, cuius exempla exstant nostra aetate; non enim Deus hanc coniunctionem procuraverat. De sententia D. Thom. dictum est in Apologia. Reliqua responso non indigent.

Caput 11. ad Antapologiam in assertionem octavam, nonam, decimam, undecimam, duodecimam, vigesimam quintam De gratia sufficienter praeparante.

Status controversiae, in qua est praecipua dissensio:

Dicimus nos: 1. fieri posse ut homo ex parte Dei sit sufficienter praeparatus per auxilium praeveniens vel ad conversionem, id est, ad assentiendum divinae vocationi, vel ad inchoandam conversionem, vel ad aliud aliquod opus bonum; et tamen illud opus non faciat, quia non vult.

2. Proinde, ut aliquis habeat in sua potestate converti vel facere aliquod opus bonum, non requiri praeter ceteras praeparationes Divinas auxilium praeveniens ita efficax, distinctum a concursu supernaturali,

ut liberum arbitrium efficaciter determinet, ita ut cum eo constare non possit, ut homo non faciat.

3. Ut quis de facto vel inchoet conversionem, vel convertatur, vel faciat aliquod opus bonum, non esse necessariam motionem quamdam Divinam praevenientem, propriam statui lapso, ita efficacem, ut liberum arbitrium determinet, et cum ea stare non possit, ut homo non faciat. Et haec indicantur in assertione 8., 9. et 10.

MM. NN. censent haec repugnare Scripturis et D. Augustino. Et docent: 1. numquam fieri, nec fieri posse in statu lapso et in tanta naturae imbecillitate, ut homo habeat auxilium sufficienter ex parte Dei praeparans ad initium conversionis vel ad conversionem vel ad aliquod opus bonum, et tamen illud opus non faciat, quia non vult. Ita docent in Censura ad propositionem 8., 9., 10., et in Antapologia num. 113. et sequent. et 152. et sequent. Item. num. 164., 167., 177. 2. Hominem non habere in sua potestate converti vel facere aliquod opus bonum, quantumcumque sit praeparatus per habitus infusos et alias excitationes piasve affectiones, nisi ulterius immittatur ei quaedam motio praeveniens ita efficax, ut liberum arbitrium efficaciter determinet, et cum ea stare non possit, ut non faciat; idque propter naturae imbecillitatem. Quam tamen motionem habere non est, inquiunt, in eius potestate. Nam Deus dat illam, cui, quando et quomodo vult; immo non est paratus cuipiam illam dare, nisi cui eam de facto dat. Nam si esset paratus, non obstarent hominum malae voluntates, et eodem momento temporis, quo datur, bonum opus est, quia liberum arbitrium determinat. Ita docent locis citatis et praecipue num. 135. et 136. 3. Ut quis de facto vel inchoet conversionem, vel convertatur, vel faciat aliquod opus bonum, praeter omnem aliam dispositionem necessaria est motio quaedam Divina praeveniens, propria statui lapso, ita efficax, ut cum ea stare non possit, ut non convertatur, vel non faciat illud opus bonum. Itaque ad omne opus bonum praeter habitus infusos et omnes alias praeparationes et excitationes requirunt novam quamdam motionem praevenientem propriam statui lapso, quae efficaciter liberum arbitrium ad opus determinet et eodem momento opus bonum ponat. Tam enim esse imbecillam naturam nostram per peccatum Adami, ut sine motione tam efficaci non possit ad aliquid bonum flecti. Et hanc motionem habere, in nullius esse potestate. Nec Deum esse paratum eam dare, nisi cui de facto dat.

Ergo non requiri ad omne opus bonum, nempe ad initium conversionis, ad orationem, ad dolorem peccatorum, ad voluntatem implendi hoc vel illud mandatum, ad resistendum huic vel illi tentationi novam quamdam motionem Dei praevenientem, ita efficacem ut liberum arbitrium ad haec determinet etc.: *probavimus* 1. ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 5. 6. can. 4., quibus locis Concilium clare docet, liberum arbitrium sufficienter excitatum et motum a Deo habere in sua potestate flectere se in utramvis partem, id est, consentire et dissentire, si

velit, ac proinde non requiritur aliqua motio ita efficax, ut cum ea stare non possit, ut dissentiat. Ad hunc locum attulerant MM. NN. varias explicationes, quas in Apologia posui et refutavi. Eas autem ipsorum esse, satis constat ex eorum dictatis, quae passim omnium teruntur manibus, ut mirum sit haec ita nunc dissimulari. Quorsum autem tot Concilii torsiones, si simplex eius definitio placet? Nunc vero prae ceteris explicationibus videntur amplecti illam, qua dicitur, liberum arbitrium posse assentire et dissentire, quia intellectu possumus assentiri gratiae vocanti, quatenus ipsa est illuminatrix et suasoria. Sed certum est, hanc expositionem non satisfacere. Non enim error, contra quem Concilium hanc suam definitionem dirigit, est, quod homo non possit internae suasioni per intellectum dissentire, sed [definitur] quod voluntas, quae a Deo excitatur et sufficienter movetur ad conversionem, id est, ad dolorem peccatorum vel amorem Dei, vel ad volendum obtemperare Deo et servare mandata, possit nihilominus non poenitere, non amare, non velle obedire; unde non sufficit, quod suasoriam illuminationem possit voluntas nondum inclinata respuere; neque Calvinus hoc magnopere detrectaret; sed requirit Concilium, ut Deus ita inclinet voluntatem, ut non obstante illa inclinatione voluntas plene in potestate habeat non acquiescere.

Sed *inquiunt* num. 128.: „Bona acquiescendi voluntas proprie loquendo seipsam respuere non potest. Si enim respuit, mala est, sin acquiescit, bona; simul autem et bona et mala esse non potest.“ *Resp.* Hoc est in quo consistit controversia. Putant enim ipsi voluntatem consentiendi a Deo praeveniendo nostram libertatem immitti, et hanc immissionem esse gratiam efficacem. Quod si ita est; ergo in potestate voluntatis non erit acquiescere et non acquiescere, quia in potestate eius non est, ut Deus immittat actum acquiescendi, et quando ille immittitur, non potest homo dissentire. Quae autem sit haeresis, contra quam Concilium agit eo loco, non est obscurum ex Calvini lib. 2. Instit. c. 3. et ex eiusdem Antidoto et Kemnitii Examine in hunc locum. Quae non tantum docet, gratiam afferre bene vivendi credendique necessitatem seu fidem et gratiam semel habitam non posse abiici (nam contra hoc sunt alii canones, ut 6. et 23.), sed docet ad singula bona opera requiri motionem quamdam, quae efficaciter liberum arbitrium afficiat, ita ut ei non possit resisti, quam motionem habere non sit in cuiusquam potestate, sed Deus immittat, quibus vult. Patet hoc ex Instit. lib. 2. c. 3. § 10., ubi sic ait: „Voluntatem Deus movet, non qualiter multis saeculis traditum et creditum est, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo.“ Deinde reiicit Chrysostomum, et dicit illam fuisse conditionem hominis adhuc stantis, ut potuerit in alterutram partem inclinare; nunc autem in hac infirmitate oportere, ut Deus ipse in nobis operetur velle detque gratiam, quae a seipsa efficax sit, quam Deus non statuerat aliis dare quam electis. Et infra: „Medium quem sophistae imagi-

nantur motum, cui obsequi vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia.“ Similia habet paragraphis sequentibus et in Antidoto. Quae quomodo distinguantur a sententia MM. NN., ego hactenus videre non potui. Hoc autem advertendum, Calvinum, tum in Institutionibus, tum in Antidoto afferre fere omnes Scripturas et loca D. Augustini pro hac gratia efficaci, quae ipsi afferunt; unde adhibebimus communem catholicorum solutionem.

[2.] Attulimus praeterea plurimos auctores, qui nostram sententiam expresse docent, ad quos nihil respondetur, sed infra omnes reiiciuntur, tamquam Fausti lectione decepti.

3. Ostendimus, ex contraria sententia multa sequi incommoda, nempe quod nemo habeat in sua potestate converti aut facere aliquod opus bonum, nisi qui convertitur aut illud facit, quia nemo habet in sua potestate aliquid boni facere sine hac motione efficaci, quam habere non sit in cuiusquam potestate; item Deum deserere hominem, antequam deseratur; et neminem posse dicere se minus boni fecisse, quam in sua potestate habuerit facere. Ad quae omnia nihil responsum est, nec video quid possit responderi. Solum autem nituntur ostendere, per hanc gratiam non everti liberum arbitrium, de quo statim. Nunc aliis argumentis sententiam nostram confirmemus. Itaque primo pergamus probare talem motionem praevenientem non requiri ad singulos actus, deinde videri per eam everti liberum arbitrium in operibus pietatis.

Quod ergo talis motio efficax non requiratur ad singula opera bona, *probatur* I. ex Scripturis. Scriptura docet, multis dari auxilium sufficiens ex parte Dei ad conversionem et ad bona opera, qui tamen non convertuntur nec bene operantur; ergo non requiritur ad conversionem et ad unumquodque opus bonum motio quaedam praeveniens ita efficax, ut cum ea stare non possit, ut non convertaris vel bene opereris, quae non sit in hominis potestate. Patet consequentia. *Anteced. prob.* Isaiae 5.: „Quid ultra debui facere vineae meae et non feci?“ etc. Hic Dominus clarissime significat nihil ex parte sua fuisse praetermissum, quod erat necessarium ad conversionem. At si requisita fuisset talis motio, potuisset Domino responderi: Non fecisti vineae tuae omnia quae erant necessaria ad ferendos fructus, quia non dedisti illis illam motionem efficacem, quae illos determinaret ad conversionem, quae tamen erat necessaria, et quam non habebant in sua potestate. Itaque immerito Dominus conquereretur, quod non sint conversi, quia non dedit illis nec paratus fuit dare auxilium sufficiens. Nec vere diceret: „Quid ultra debui facere et non feci?“ Similis locus est Matth. 23.: „Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos sub alas, et noluisti.“ Hic exprobrat illis Dominus, quod ex parte sua sufficienter eos iuverit, ut crederent, et tamen noluerint. Habuerunt ergo illi auxilium sufficiens, cum quo vere et proprie erat in illorum

potestate credere. Neque valet explicatio quorumdam, qui dicunt Dominum tantum loqui de externo auxilio praedicationis. Nam per solam externam praedicationem non poterant fieri fideles. Dominus autem exprobrat illis, quod voluerit illos congregare ad fidem et tamen noluerint. Alius locus Act. 7.: „Vos semper Spiritui Sancto resistitis." Vel illi habebant in sua potestate non resistere et acquiescere Spiritui Sancto, et ita habebant auxilium sufficiens ex parte Spiritus Sancti. Nam sine auxilio sufficienti nemo potest acquiescere divinae inspirationi. Vel non habebant, et ita immerito exprobrat illis s. Stephanus duritiam cordis et quod non acquiescant divinae inspirationi. Nam nemo recte reprehenditur, quod non faciat id, ad quod non habet auxilium sufficiens, neque in potestate eius est habere. Alius locus est Apoc. 3.: „Ego sto ad ostium et pulso" etc., quem expendimus cum aliis quibusdam in Apologia Duacensi.

II. Ex Conciliis. Nam Conc. Arausicanum can. 25. sic ait: „Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati (Christo auxiliante et cooperante), quae ad salutem pertinent, possint et debeant (si fideliter laborare voluerint), adimplere." Hic manifeste Concilium docet ex Christi auxilio in potestate iustorum esse omnia, quae ad salutem sunt necessaria. Ergo habent ex parte Dei auxilium sufficiens ad bona opera. Falsum est ergo, requiri ad singula bona opera motionem quamdam ex se efficacem, quam habere non sit in eorum potestate, et quam Deus nemini paratus sit dare, nisi cui dat. Ex eodem testimonio patet, usum gratiae et energiam esse in potestate hominis, quod ipsi negant num. 43. Nam si laborare voluerimus, possumus uti gratia Dei et per illam facere bona opera. Ergo quod gratia Dei saepe in nobis sit inefficax, est, quia nolumus nobis vim adhibere et eam applicare ad opus.

Concilium Tridentinum sess. 6. c. 13.: „Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere." Hic locus solus sufficere poterat ad hanc controversiam dirimendam. Nam primo, si ad omne opus bonum atque adeo ad orandum opus est quadam motione praeveniente et efficaci, quam habere non est in cuiuscumque potestate et Deus nemini paratus est dare nisi certis quibusdam, quibus illam dat: quomodo omnes poterunt firmissimam spem in Deo collocare! *Dicent*, quia nemo scit se esse ex illis, quibus Deus statuit denegare gratiam efficacem. Sed *contra*. Ergo ex sola ignorantia obligantur ad spem firmissimam collocandam in Dei auxilio; non ex eo quod Deus revera ex parte sua sit paratissimus sufficiens auxilium praebere, quod est contra intentionem Concilii et sequentia verba et per se valde absurdum. Deinde Concilium dicit, ideo nos spem firmissimam collocare debere in Dei auxilio, quia, qui coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere, nisi gratiae eius defue-

rimus; ubi clarissime significat ipsum esse paratum operari in nobis bonum opus et perseverantiam, si nos gratiae ipsius non desimus. Est ergo in potestate nostra eidem gratiae deesse et non deesse, id est, cum eadem operari et non operari. Sunt ergo aliqui qui ex parte Dei habent auxilium sufficiens, ut operentur, cui tamen desunt. Non ergo requiritur quoddam novum auxilium ita efficax, ut nemo illi desit, quod non sit in eorum potestate. Denique quando dicit, quod, nisi gratiae Dei desimus, Deus operabitur in nobis velle etc., significat esse in nostra potestate, ut Deus immediate operetur in nobis opus bonum. Non ergo requiritur ad quodque opus bonum motio quaedam praeveniens, quae non sit in nostra potestate.

Hinc patet etiam solutio illius argumenti, quod toties inculcant: Deus est qui operatur velle, qui facit ut in praeceptis ambulemus. Ergo nemo habet auxilium sufficiens ex parte Dei, nisi is, cui datur ipsum velle et opus bonum immittitur. Nam Deus dupliciter dici potest operari in nobis velle: 1. quia dat auxilium praeveniens et vires, quibus possumus velle, et excitat simul, ut velimus et ei consentiamus. Et hoc modo operatur sine nobis in nobis, ut velimus, ut inquit Augustinus, quia, ut haec operaretur, non erat in potestate nostra. 2. Quia immediate operatur ipsum actum nostrum, et hoc est in potestate nostra, unde, si gratiae praevenienti desimus, non utendo ea, Deus non operatur in nobis bonum opus, ut Concilium indicat. Non enim Deus praeter gratiam praevenientem, cuius usus est in nostra potestate, debet immittere opus bonum praeveniendo libertatem. Nam hoc omnino videtur accedere ad errorem Calvini. Fieri ergo potest, ut homo habeat auxilium praeveniens sufficiens ex parte Dei, ut velit, ita ut ipsum velle seu actum bonum voluntatis habeat in sua potestate, sicut Adam, et tamen non velit sua culpa. Et in hoc operatur Deus ipsum velle ex parte sua. Quod autem non operetur ipsum actum immediate, in causa est hominis libertas. Haec enim operatio est divina cooperatio, quae tunc erat in ipsius potestate, sicut inter homines alter suadet alteri aliquid sufficientissime, ut hoc faciat, et tamen non persuadet, quia alter non vult, quamvis erat in ipsius plena potestate, ut persuaderetur. Eodem modo Deus saepe sufficiens praebet auxilium praeveniens, ut et homo doleat de peccatis et ipsum amet, et tamen non facit haec, quia negligens est etc.

Sed *inquiunt*, si ille habet auxilium praeveniens sufficiens, ita ut sit in ipsius potestate converti et poenitere, si velit, cur Ecclesia orat, ut Deus illum convertat? *Resp.* Ideo Ecclesia orat, ut Deus illi auxilia maiora et efficaciora adhibeat atque adeo ita suadeat sicut novit ipsum non aspernaturum. Multa enim sunt, quae plenissime sunt in potestate nostra, quae tamen non facimus, nisi valde rogati, suasi et interdum minis compulsi. Ita etiam in bonis operibus, etiamsi facillime interdum possit quis vel converti, vel facere opus bonum, vel resistere tentationi, non tamen faceret reipsa, nisi alio modo Deus illi suadeat vel excitet;

unde Ecclesia non solum rogat Dominum, ut det nobis, ut possimus converti, bene operari etc., sed etiam ut convertamur, bene operemur, id est, ut ita nos moveat, excitet et suadeat, sicut novit nos facturos et acquieturos, non autem quod ita simus debiles, ut praeter ceteras omnes divinas praeparationes Deus haec bona opera debeat immittere et immediate operari praeveniendo libertatem. Nam hoc omnino videtur dogma Calvini.

Alius locus Concilii Trid. est eadem sess. cap. 11.: „Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce utatur, Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis et adiuvat ut possis“ etc. 1. Si praeter cetera omnia auxilia, scilicet habitus supernaturales, protectionem et directionem, requiritur ad singula opera quaedam alia motio per se efficax quam habere non est in potestate hominis, et quam Deus nemini paratus est dare nisi cui dat: ergo praecepta Dei multis sunt impossibilia; nam non possunt ea servare sine illa motione efficaci, et hanc motionem Deus non est paratus omnibus iustis dare, sed paucis quibusdam, et eo tantum temporis momento, quo ante omnem praevisionem decrevit. Respondit quidam [MM.] NN. praecepta iustis non esse impossibilia per naturam, sicuti lapidi est impossibile intelligere; tamen per infirmitatem multis esse impossibilia, nempe iis, inquit, quibus non datur gratia efficax; non tamen dicenda esse simpliciter impossibilia, quia Deus potens est quosvis iuvare. Sed *contra.* Quia hoc modo libenter etiam nostri haeretici concedunt praecepta homini esse possibilia. Nam ipsi non negant, quin natura sit capax observationis et Deus possit facere ut servet. Sed volunt naturam ita debilitatam per peccatum, ut ad singula opera egeat gratia efficaciter voluntatem ad opus determinante et sine hac eam nihil posse boni, et Deum non omnibus illam paratum esse dare; ut patet apud Calv. lib. 2. instit. c. 3. § 10. et sequentibus. Itaque hominem per infirmitatem non posse servare praecepta quia caret auxilio sufficiente. Vult ergo Conc. praecepta ita esse iustis possibilia, ut divina benignitate habeant in sua potestate mediate vel immediate omne auxilium necessarium.

Deinde quando Conc. dicit, quod Deus iubendo monet facere quod possis et petere quod non possis, aperte indicat, iustum habere auxilium praesens sufficiens, quo immediate quaedam praecepta impleat et opera bona faciat, et pro aliis adimplendis auxilium ulterius petat. Ostendit enim, etsi non omnia opera bona iustus habeat immediate in sua potestate (quaedam enim sunt interdum valde difficilia propter vehementiam tentationum), tamen omnia habere in sua potestate vel immediate vel mediate, quia habet saltem sufficiens auxilium, ut oret et petat auxilium ad difficiliora. Falsum ergo est, quod nemo habet auxilium sufficiens ex parte Dei ad orandum vel ad aliquod praeceptum implendum, nisi qui habet ita efficax, ut ad haec determinetur.

Alius locus est eodem cap. „Deus (inquit) sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.“ At si nemo in hac infirmitate naturae habet auxilium sufficiens ex parte Dei, nisi qui habet ita efficax, ut ab eo liberum arbitrium determinetur, idque non omnibus iustis Deus paratus est dare, deserit, antequam deseratur. Probatur: quia nihil est aliud deserere, nisi non esse paratum dare in omni casu et eventu auxilium sufficiens ne ad orandum quidem; deinde quia quicumque succumbit tentationi non habet auxilium sufficiens ad ei resistendum, ut ipsi fatentur, quia in hac infirmitate nullum est auxilium sufficiens, nisi quod voluntatem efficaciter determinat; plurimi autem iusti quotidie succumbunt tentationibus, ergo omnes illi caruerunt auxilio sufficienti necessario ad resistendum tentationi; fuerunt ergo deserti a Deo antequam desererent. Nam illi ne ad orandum quidem auxilium necessarium secundum eos habuere; si enim habuissent, orassent. Respondent quidam MM. NN. Deum iustos non deserere antequam deseratur, quia, quod non det illis auxilium sufficiens et necessarium ad vincendam tentationem, vel saltem ad petendum novum auxilium, est, quia ante illum deseruerunt in praevaricatione primi parentis. Sed hoc est expresse contra intentionem Concilii. Nam Concilium vult probare, iustos posse proficere et mandata servare, quia Deus non deserit eos, antequam deseratur; vult ergo in nostra potestate esse Deum non deserere et loquitur de desertione futura per peccatum actuale, non de praeterita in Adamo, quae non est in nostra potestate. Deinde inepta esset illa sententia nec quicquam concluderet ad propositum. Nec haeretici negant, hoc modo neminem deseri. Talis ergo interpretatio pervertit sententiam Concilii. Sunt et alia loca in Conc. Trid., ex quibus videtur illa sententia de gratia efficaci efficaciter refutari, sed haec sufficiant.

III. *Prob.* ex Patribus, qui omnes docent, opera bona per Dei gratiam et auxilium esse in potestate hominum, ita ut possint ea facere vel omittere, prout libuerit, sicut poterat Adam, et multos esse, qui faciant qui tamen poterant non facere, et contra, multos qui negligant, cum tamen possent facere, et liberum arbitrium posse sese in utramque partem flectere, prout voluerit. Non ergo illi requirunt ad unumquodque opus novam quandam motionem praevenientem ita efficacem, ut cum ea stare non possit, ut non facias opus bonum, quam habere non sit in tua potestate, et quam Deus nemini paratus sit dare nisi cui dat etc. Ne autem longus sim, praetermittam eorum testimonia, quia multis opus esset ad rem expendendam; videatur Irenaeus lib. 4. c. 71. et 72. clarissime, Iustinus dialog. cum Tryphone pag. ultima, Cyprianus lib. 4. epist. 7. versus finem, Hilarius lib. 1. de Trinitate paulo ante medium, Ambrosius lib. 2. in Lucam c. 12., Hieronymus quaest. 10. ad Hedibiam et in c. 5. Matth. in fine, Chrysostomus hom. 19. in Genesim in princip.

Sed forte dicent, illos Patres, qui ante tempora Pelagii fuerunt,

non accurate locutos fuisse de gratia Christi; itaque ad Aug. et Prosperum provocare solent. Et ex D. Augustino quidem attulimus aliquot testimonia apertissima; 1. ex lib. 12. de civit. c. 6., ubi, propositis duobus animo et corpore pariter affectis et pari tentatione interius et exterius pulsatis, inquirit causam, cur alter deficiat, alter non. Et respondet non apparere aliam, nisi, quod alter voluerit deficere a castitate, alter noluerit. Quod non est ita intelligendum, quasi alter vicerit tentationem illam per solum liberum arbitrium, sed quod per liberum arbitrium et vires gratiae vicerit, quae alteri non deerant, si illis voluisset uti. Quod si Augustinus existimasset necessariam esse talem motionem efficacem, dicere debuisset, eos non fuisse pares ante consensum; nam uni fuisse datam motionem efficacem et ideo stetisse; alteri minime et sic tentationi succubuisse. Loquitur autem Augustinus de tentatione contra castitatem, cui non potest resisti sine gratia ex ipsorum sententia; unde patet nullo modo satisfacere, quod hic respondent. Sed in his non est valde laborandum. Nam si istud et reliqua b. Augustini testimonia a nobis in Apologia allata ita explicari possunt, ut ipsi ea explicant, certe eodem modo eludi poterunt a Calvino, cum tamen contra illum a Catholicis proferantur; unde patet illas explicationes esse extortas et alienas a mente D. Aug. Possent multa alia ex D. Aug. adferri ut lib. 1. retract. c. 22., lib. 5. de civit. c. 10., lib. 2. contr. Felicem Manichaeum cap. 4. et aliunde. Et ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. c. 9. Item ex lib. de Ecclesiast. dogm. c. 21. Sed quia eodem modo eludi et torqueri possent et opus esset plurimis verbis ad ea stabilienda (quae causa est cur rarius utar testimoniis Patrum in hac disputatione), ea praetermittam.

IV. *Prob.* ex doctoribus scholasticis. Quia nemo est doctorum scholasticorum, qui doceat hominem per peccatum originale ita esse factum debilem, ut praeter omnes habitus supernaturales, praeter divinam protectionem et directionem et concursum supernaturalem, quo Deus concurrit et cooperatur suis donis, requirat ad singula opera bona, etiam ad orandum, novam quamdam motionem praevenientem ita efficacem, ut liberum arbitrium determinet etc. Patet hoc 1., quia ipsi nullum pro se afferunt nec afferre possunt. Immo inferius num. 175. aperte indicant eos in hoc deceptos fuisse ex lectione Fausti Regiensis. Nec aliud respondent ad plurimorum testimonia a nobis in Apologia allata; unde quidam illorum Doctorum, qui putatur auctor huius sententiae, in 2. Sentent. dist. 28., postquam conatus esset ostendere iisdem testimoniis, quibus utitur Antapologia, proprie dictam Christi gratiam, quae ad singulos actus necessaria est, respui non posse, tandem subiicit: „Sed nec scholasticorum omnium hic nobis deest suffragium. Videat studiosus commentarium Thomae in illud Ioannis 6.: „*Nemo potest venire ad me*“ etc. Haec ille. Alium nullum affert, satis indicans, eos omnes contrarium sentire. Sed longe abest, ut D. Thom. sit in illa sententia. 2. Quia omnes doctores scholastici praeter Gregor. Arim.

(qui tamen non requirit ad singulos actus motionem praevenientem, quae liberum arbitrium efficaciter determinet, quin immo hanc prorsus repudiat tamquam libertati contrariam), docent omnibus dari auxilium sufficiens ex parte Dei, sufficiens, inquam, mediate vel immediate. Ex qua sententia clarissime haec opinio evertitur, ut ipsi fatentur. Si enim omnibus datur pro tempore et loco, ut saltem possint quaerere Deum, et sic sensim inchoare suam salutem, ut doctores scholastici volunt, multum abest, ut ad singulos animi bonos motus requiratur gratia ita efficax, ut liberum arbitrium determinet, quae in nullius sit potestate, et quam Deus nemini paratus sit dare quam certis quibusdam, quibus eam dat. Ac D. Thomam quidem, quem unum ille M. N. adfert, longissime abesse ab hac sententia patet 1., quia ipse peccatum originale constituit in privatione iustitiae originalis, quod est contra fundamentum huius sententiae, quae constituit illud in pravo quodam habitu semper ad malum tendente, quo homo redditus est adeo impotens ad bonum, ut semper ad illud debeat efficaciter a Deo incitari atque adeo determinari. [2.] Deinde, quia D. Thom. lib. 3. contra gentes c. 159. clarissime docet, Deum esse paratum omnibus dare auxilium sufficiens et [eo] solos illos privari, qui in seipsis gratiae impedimentum praestant, cum tamen in illorum omnino sit potestate illud impedimentum non praestare. Illi autem dicunt, Deum nemini paratum esse dare auxilium sufficiens, nisi cui de facto dat. Nam si esset paratus, non obstarent hominum malae voluntates. Idem docet quaest. 14. de veritate art. 11. ad 1. et I. 2. quaest. 109. art. 9. clare docet praeter habitus non requiri aliud auxilium ad bene operandum quam motionem seu cooperationem divinam (quae etiam necessaria erat Adamo, atque adeo omni creaturae, ut ipse ait) et protectionem contra tentationes etc., et directionem ratione ignorantiae etc., quae tria etiam ponit Ruardus. Neque usquam requirit D. Thom. propter infirmitatem motionem illam efficacem, quae liberum arbitrium determinet. Immo Caiet. in hunc locum docet ex sententia D. Thom., iustum posse facere aliquod opus sine nova excitatione divinitus immissa, tantum abest ut requirat illam motionem efficaciter determinantem; quod sequuntur hac tempestate plurimi qui scribunt contra haereticos, ut Andr. Vega et Ruardus. Item Roffensis, Cunerus et Ritthovius, Episcopi doctissimi, citati in Apol. Duacensi, et alii. Unde parum vel considerate vel fideliter scribit Antapologia num. 154., D. Thom. in summa 1. 2. quaest. 109. art. 8. praeter infusos habitus requirere ad singulos actus propter imbecillitatem naturae humanae Dei motionem distinctam a concursu supernaturali, nam in art. 8. nihil hac de re dicit, quin potius ibidem in resp. ad 1. aperte indicat, omnes ex parte Dei habere auxilium sufficiens, quod est contra hanc opinionem, art. 9. requirit ad singulos actus motionem Dei, sed ratione generali, quae etiam in Angelis et Adamo locum habebat, ut patet in corpore et ad 1. Adde quod secundum D. Thom. omnia opera moraliter bona, id est, rectae rationi consentanea,

in iustis sint meritoria, ad quae tamen certissimum est non requiri illam motionem efficacem. In illum autem locum Ioan. 6. D. Thom. nihil dicit contra nos, sed multa pro nobis contra hanc sententiam. Admittimus enim attractionem Patris esse efficacissimam (ad haec enim verba respicit ille Doctor, et domini Censores Duacenses in sua Censura), non quod homo ei non possit resistere proprie loquendo; sed quia praebet homini vires veniendi ad Christum, ita ut nemo sine hoc tractu possit venire. Tractus enim est vocatio seu omnis gratia, qua voluntas praeparatur et corroboratur a Domino, ut veniat, id est, ut credat et actum fidei eliciat, sed ibidem ait D. Thom., Deum paratum esse omnibus suam gratiam largiri et omnes ad se attrahere, sed nobis imputari, quod non sequamur et gratiam eius acceptemus; quae sunt contra illos.

V. *Probatur* haec sententia ratione. Si ad singula opera bona etiam ad orandum et ad omnes motus animi bonos et liberos praeter habitus, protectionem excitationemque divinam etc. requiritur nova quaedam motio praeveniens ita efficax, ut liberum arbitrium determinet, et hanc habere non est in cuiusquam potestate, et sine hac nemo habet auxilium antecedenter sufficiens ad opus etc.: sequuntur multa gravissima incommoda, quae videntur contra fidem. 1. Neminem posse aut habere in sua potestate converti, nisi qui convertitur. Nemo enim potest converti sine auxilio sufficienti et necessario ad conversionem, ut patet; sed nemo habet auxilium sufficiens, nisi qui convertitur; et quicumque non convertitur, nec habet illud, nec in eius potestate est illud habere. Ergo quicumque audita praedicatione vel percepta inspiratione et vocatione divina interna non est conversus, non habuit in sua potestate converti. Si enim non habet auxilium necessarium ad conversionem in sua potestate, nec Deus paratus est ei dare (si enim esset paratus, inquiunt, non obstarent hominum malae voluntates), non magis habet in sua potestate converti quam diabolus; quia repugnat ut quis possit converti sine auxilio sufficienti, hoc autem habere nullo modo est in ipsius potestate. Neque satisfacit, si dicant illos posse converti, quia natura est capax conversionis et Deus potest dare (huc enim videtur pertinere illa distinctio, quod *posse* multipliciter dicatur, num. 178.), quia hoc haeretici etiam non negarent, et daemon hoc modo potest converti. Nam si Deus statuit non dare, saltem pro illo tempore est ei penitus impossibile, sicut impossibile est hominem lecto affixum prae infirmitate currere, si nemo velit illum iuvare.

2. Sequitur neminem unquam habere in sua potestate orare, aliquid boni cogitare, mentem ad Deum convertere, aut aliquod bonum opus internum aut externum facere, nisi qui et quando haec facit. Probatur evidenter, quia nemo potest haec facere sine auxilio sufficienti seu necessario, ut per se patet, sed nemo habet auxilium antecedenter ad haec necessarium (secundum illos), nisi cui datur ita efficax, ut liberum arbitrium ad haec determinetur ita ut haec faciat, quod habere non est in illorum potestate etc. Ergo nemo potest haec facere, nisi qui et quando facit.

Quando enim non facit, non habet tale auxilium nec in potestate ipsius est tum habere; v. g. non erit in mea potestate initio vel in fine horae orare, quia non possum tunc orare sine illa motione efficaciter praeveniente, quam tunc habere non est in mea potestate. Itaque si ter oravi, signum est, ter tantum habuisse me auxilium sufficiens seu motionem illam efficaciter determinantem, quae sola sufficit; si decies, signum est, decies mihi fuisse immissam hanc motionem et aliis temporibus non potuisse orare, quia tunc non habui illam motionem, nec in mea potestate erat habere eam. Nam Deus immittit illam cui vult et quando vult et ad quodcumque opus vult. Est enim haec motio gratia novi testamenti, inquiunt, quam Deus sine conditione promisit, quae facit, ut faciamus, quae a nullo duro corde respuitur etc. Est etiam illud conforme isti eorum principio, nempe Deum ante omnem praevisionem dispositionis et determinationis liberi arbitrii constituisse et praeordinasse in particulari omnia bona opera, quae vellet electis suis talibus momentis et locis efficaciter dare, et ad haec eorum voluntatem praeveniendo certis illis temporibus inflectere et determinare, unde clare sequi videtur hominem nec aliud nec alio tempore posse facere in bonis operibus quam facit. Non enim potest habere aliud opus aut alio tempore quam Deus illi absolute ante omnem praevisionem statuit donare; item nec aliud aut alio tempore, quam ad quod et quando Deus absolute statuit et paratus est illi gratiam sufficientem immittere. Unde perspicue concludi videtur 1) vitam nostram fore perpetuae necessitati astrictam, cum nec alia, nec aliter, nec alio tempore bona opera facere sit in nostra potestate, quam de facto et re ipsa facimus. 2) Non posse nos opera nostra disponere per certa temporum spatia, v. g. ut hoc die talibus horis orem vel excitem in me actum fidei, charitatis, reverentiae, gratiarum actionis etc. Nam nihil horum homo potest facere sine motione illa efficaciter determinante, quam habere tali vel tali tempore ad hoc vel illud opus non est in cuiusquam potestate. Oportebit ergo exspectare, donec illa veniat et Deo placuerit illam immittere, quod est contra communem opinionem et consuetudinem omnium piorum. 3) Illa opera, quae homo facit extra illa momenta, quibus Deus statuit immittere gratiam efficacem et operari efficaciter in illo, non esse meritoria, nec quicquam valere coram Deo. Nam ut ipsi docent omne opus, quod non proficiscitur ex hac motione efficaci, quae sola est gratia Christi et proprie novi testamenti, pertinet ad legem et vetus testamentum. Cur ergo sumus solliciti vel ut oremus vel ut aliquid aliud boni faciamus? Nam si Deus nobis immittit gratiam efficacem, infallibiliter faciemus. Si non immittit, quicquid facimus vanum est.

Si *dicant*, nos per talia opera facta sine gratia efficaci disponi et aptos reddi, quibus immittatur gratia efficax etc., et ideo conandum esse quovis tempore bene operari: *contra*. 1) Quia nemo suis viribus potest se reddere aptum huic gratiae recipiendae ut ipsi fatentur;

2) quia Deus decrevit illam ante omnem praevisionem dispositionum talium ex mero beneplacito talibus momentis etc. et ad talia opera bona, et non alias, nec ad alia opera dare; ergo in illa conferenda non habet ullum respectum ad illas dispositiones, frustra ergo videmur esse solliciti de bonis operibus.

3. Sequi videtur omnes eos, qui tentationibus suis cedunt, non habuisse in sua potestate resistere, quia quicumque cedunt, non habuerunt auxilium sufficiens ad resistendum, ut ipsi fatentur (nam in hac infirmitate nullum est auxilium sufficiens, nisi quod est ita efficax ut liberum arbitrium determinet ad opus, ut dicunt); neque etiam erat in illorum potestate illud habere, neque Deus erat paratus dare ne auxilium quidem petenti: alioquin dedisset. Quomodo ergo habuerunt in sua potestate resistere, cum non habeant in sua potestate vires necessarias ad resistendum? Peccant ergo in eo, quod vitare non possunt; non enim poterant vitare lapsum sine auxilio sufficiente etc.

Ad hoc conantur respondere per multas distinctiones potentiae propinquae et remotae etc., num. 178., nempe quod aliud sit posse propinquum, aliud remotum; item aliud per naturam, aliud per gratiam, et illud rursus bifariam accipi; sed haec omnia nihil faciunt ad solutionem difficultatis. Nam certum est neminem peccare in eo, quod non potest vitare sive defectu potentiae remotae, sive propinquae, sive defectu naturae, sive defectu divini auxilii. Cui enim Deus non est paratus praebere auxilium sufficiens et necessarium ad vincendam tentationem, is humano more non potest vitare, quin cadat; si ergo peccat in casu, perspicuum est eum peccare in eo, quod vitare non potest. Neque valet, quod quidam dicunt hanc sententiam: „Nemo peccat in eo quod vitare non potest," esse intelligendam de eo, quod vitari non potest per divinum auxilium, sicut volebant Manichaei, qui putabant, naturam hominis esse malam et propterea ne per Dei quidem auxilium posse vitare, quin peccet. Nam hoc modo etiam Calvinus et Lutherus bene admitterent hominem non peccare in eo, quod non potest vitare, et tamen dicunt hominem necessario peccare defectu auxilii divini.

Alius quidam Doctor respondet: nihil obstare, quominus quis peccet in eo, quod vitare non potest, seu in eo, quod accidentaria quadam et non naturali necessitate facit, quando per peccatum originale nos ipsos in hanc impossibilitatem vitandi seu necessitatem committendi coniecimus. Nam necessitas peccandi ex peccato contracta non excusat a culpa, quae tamen excusaret, si ex peccato orta non esset. Citat Aug. de perfectione iustitiae, ratiocinatio 15.: „Ubi charitas (inquit Aug.) minor est, quam esse debet, peccatum committitur, sive vitari potest, sive non potest" etc. Et D. Bernardus sermo 81. in cant.

Resp. [1)] Haec doctrina non videtur differre a sententia Calvini lib. 2. Inst. cap. 3. § 5., ubi docet, hominem per peccatum originale se coniecisse in necessitatem peccandi et non excusari a scelere, quia sua culpa hanc necessitatem contraxit. Et ad hoc confirmandum adducit

eadem testimonia Divi Augustini et Bernardi, ad quae multi Catholici responderunt, quia inspectis locis difficultatem non habent.

[2)] Deinde si homo peccat in eo, quod vitare non potest, undecumque haec necessitas proveniat: ergo immerito damnatus est iste articulus ita generatim a duobus Pontificibus: „Homo peccat damnabiliter in eo quod vitare non potest.“ Et satis constat eos, qui istum articulum asseruerunt, nihil aliud voluisse quam hominem ex peccato originali ita factum debilem ad bonum et proclivem ad malum, ut sine gratia illa efficaci necessario peccaret, sed hoc imputari, quia in hanc necessitatem sua culpa devenit.

3) Peccatum originale iam iustis remissum est; ergo si in illis est aliquando talis necessitas, non debet eis imputari ad culpam, quod ex ea committitur.

Ad hoc respondet quidam doctor, peccatum originale esse quidem remissum iustis quoad poenam aeternam, non tamen quoad poenam temporalem huius vitae. Quod igitur Deus quibusdam iustis non electis ad vitam subtrahat in tentatione gratiam efficacem, unde ipsi incidant in quamdam peccandi necessitatem, esse poenam temporalem, eo quod in hac vita exerceatur. Et ideo peccatum, quod ex tali necessitate sequitur, merito imputari. Sed hoc multis modis refutari posset. Nam

[1)] revera talis poena non est temporalis, sed aeterna; nam aequivalet aeternae damnationi, utpote quae infallibiliter inde sequatur. Perinde enim est iusto in fine vitae denegare auxilium necessarium ad vincendam tentationem atque illum ad inferos praecipitem agere.

[2)] Deinde hoc modo perspicuum est Deum deserere iustum, antequam deseratur, ut supra dictum est.

3) Nemo peccat, nisi in eo quod libere facit, sed id quod quis necessario facit non facit libere. Nam articulus iste damnatus est a duobus Pontificibus: „Id quod voluntarie fit libere fit, etiamsi necessario fiat,“ ergo etc.

Respondet quidam doctor, illum articulum loqui de necessitate naturali hoc modo: id quod voluntarie fit, libere fit, etiamsi necessario fiat necessitate naturali, quali Deus amat seipsum, et hoc tantum sensu esse damnatum, non autem de necessitate adventitia. Id enim quod necessitate adventitia fit inducta per peccatum vel gratiam efficacem recte dici libere fieri. Sed haec non videtur mens Pontificum qui hunc articulum damnarunt, neque eorum qui eum asseruerunt. Nam articulus generalis est; et haeretici hac tempestate aliquando non agnoscunt in bonis et malis operibus aliam necessitatem, quam adventitiam inductam ex originali peccato et efficacia gratiae; ut patet ex multis locis Calvini, ubi Adamo concedit potestatem flectendi se in utramvis partem, et tamen iudicatur ab Ecclesia evertere liberum arbitrium. Denique certum est omnem necessitatem, tam adventitiam quam naturalem, undecumque proveniat, si non subest potestati arbitrii, repugnare libertati, quae requiritur in peccato, unde si aliquis ita esset destitutus a

Deo, ut non haberet auxilium ex parte Dei sufficiens et necessarium ad resistendum tentationi peccati, quod scit esse peccatum, vel saltem ad petendum et orandum pro auxilio, is necessario caderet et vinceretur a tentatione. Sed non peccaret, nec ei imputaretur, quia Deus non obligat illum sub novo peccato ad id, quod ei moraliter impossibile est. Unde, cum absurdum sit dicere quemquam esse sive ethnicum, sive Iudaeum, aut malum Christianum, qui suis cupiditatibus obsequens non peccet: non videtur dubitandum, quin nemo sit auxilio necessario seu sufficienti saltem ad petendum auxilium destitutus. Tamen quod ad iustificatos attinet, certissime credo, neminem ita a Deo unquam destitui. Nam clarissima est Concilii Tridentini sess. 6. cap. 11. doctrina, quod Deus iustificatos non deserat, antequam ab eis deseratur etc.

4. Sequi videtur neminem debere corripi seu reprehendi aut puniri, quod Deo inspirante non sit conversus aut bona opera omiserit aut suis cupiditatibus cesserit. Quid enim agat, si non habet auxilium sufficiens, ne ad orandum quidem? Poterit itaque excusare se, quod in sua potestate non fuerit illud opus tunc praestare aut cupiditatis vim compescere; nam destitutum se tunc fuisse auxilio sufficienti, non solum ad illa praestanda, sed etiam ad auxilium petendum, eiusque signum certissimum hoc esse, quod ea praestitisset, si auxilium sufficiens habuisset. Sane hic non video, qua ratione talis merito reprehendi possit; nam iustissimam habere videbitur excusationem, si illa sententia vera est. Respondet quidam Doctor: Si iste qui non habet gratiam efficacem, quae sola sufficit, legem non observaret ob defectum solius potestatis, videlicet quia non potest, admittendum esset non debere puniri; nunc autem quia homo gratia efficaci destitutus legem non observat non tam quia non potest, quam quia non vult estque ei impotentia dicta quodammodo voluntaria, a peccato non excusatur. Sed contra. Si iste haberet gratiam sufficientem, omnino vellet servare legem et sine hac non potest velle; ergo quod non vult, non est ei imputandum; sicut quod ethnicus carens sufficienti instructione mysteriorum fidei nostrae non credat ea firmiter, non est ei imputandum, si in eius potestate non est, sufficientem instructionem habere: ergo similiter ei, qui omittit bona opera aut legis observantiam, non erit imputandum; quia non habet auxilium sufficiens nec est in potestate ipsius habere. Unde falsum est, talem impotentiam esse quodammodo voluntariam, nisi intelligant, sicut ipsos puto intelligere, esse voluntariam per voluntatem, qua peccavimus in primo parente; ex hac enim voluntate ortam volunt. Sed hoc non refert. Nam impotentia, qua ethnicus non potest credere ob defectum instructionis, etiam hoc modo est voluntaria: et tamen excusat a peccato. Ut autem impotentia antecedens non excuset a peccato, requiritur, ut ita sit voluntaria, ut sit in potestate nostra illam submovere. Nam omnis impotentia antecedens, quam submovere non est in potestate nostra, vere excusat a peccato. Haec autem impotentia, quae est ex defectu auxilii sufficien-

tis, est impotentia antecedens. Nam si haberet auxilium sufficiens, omnino faceret bonum opus; et eam submovere non est in potestate nostra, quia non potest submoveri, nisi per gratiam sufficientem, quam habere non est in potestate nostra. Excusat ergo a peccato. Et qui bona opera omittunt, suis cupiditatibus cedunt, praecepta divina violant, nec reprehensione, nec poena digni erunt. Sed *inquiunt* num. 184.: si excusabilis esset homo in eo, quod non convertitur, quia non habet ad hoc in praesentia sufficiens auxilium, saltem ad incipiendum, sequeretur hominem semper ita moveri oportere, ut converti posset; ubi videntur velle hominem non excusari a peccato novo, si non convertitur, dum caret auxilio sufficienti, quod et clare docent num. 190. *Resp.* Sine dubio homo excusatur a novo peccato, si non convertitur eo tempore, quo non habet auxilium sufficiens ne ad incipiendum quidem, ut communiter docent doctores. Non enim homo obligatur converti aut se incipere disponere ad conversionem, nisi divinitus excitatus. Praecepta enim affirmativa non obligant pro semper, ut dici solet. Cum autem per gratiam praevenientem excitatur, omnino obligatur sub novo peccato, ut tunc se incipiat disponere, unde firmissime colligitur illum tunc habere auxilium ex parte Dei sufficiens ad inchoandum. Alioquin necessario non converteretur, nec esset reprehendendus, quod non se disponat ad conversionem.

5. Cur Deus dat hominibus toties sanctas inspirationes, ut ad ipsum convertantur vel ad maiorem perfectionem aspirent, si non praebet illis auxilium sufficiens, ut eas sequantur, aut saltem ut petant auxilium sufficiens ad illas sequendas, immo nec paratus est praebere? Quia si esset paratus, non obstarent hominum malae voluntates. Profecto non videbitur ob alium finem dare, quam ut miseros magis involvat miseriis. Nam sine auxilio sufficienti non possunt illas sequi. Itaque non possunt non peccare. Nam moraliter loquendo, cum non possint illas sequi, necessario debebunt repellere, quod est peccatum. Suspensio enim actus in tali eventu vix est humano more possibilis; quamquam etiam illa suspensio non esset sine peccato. Nam homo pro tunc obligatur praecepto affirmativo, ut sequatur. Peccator enim non tenetur sub novo peccato pro quovis momento se ad Deum convertere, sed tunc tantum, quando divinitus excitatur. Ergo si tunc non habeat ex parte Dei auxilium sufficiens, non poterit se convertere atque ita necessario peccabit. Cur ergo Deus illi dedit istas inspirationes, nisi ut magis involveretur peccatis?

6. Falsa erit illa communis Doctorum sententia: „Homini facienti quod in se est, Deus non denegat suam gratiam.“ Quae sententia admittitur ab omnibus intellecta de homine divinitus excitato. Probatur fore falsam. Quia si ad omne opus bonum, etiam ad incipiendum et ad se sensim disponendum ad iustificationem, requiritur motio quaedam praeveniens efficaciter determinans liberum arbitrium, quae sola sufficiat, is qui non habet hanc motionem nec in potestate habet eam acquirere,

non poterit, etiamsi totis viribus conetur, bene uti illa inspiratione. Nemo enim potest illa bene uti, hoc est illam sequi sine gratia sufficienti, quam iste non habet, etiamsi divinitus sit excitatus, nec in potestate eius est habere. Falsa ergo est illa doctorum sententia. Nam praesupponit hominem divinitus excitatum habere iam sufficiens auxilium in sua potestate, quo, si velit sibi suisque affectionibus vim afferre, possit ad bonum conari sicuti ad actiones civiles.

7. Deus Adamum ita instruxit per gratiam habitualem et iustitiam originalem, ut haberet auxilium sufficiens, quo seipsum flecteret in utramque partem, nempe ad hoc vel ad illud bonum opus, et etiam ad malum, sicut ad opera civilia. Nec egebat ipse, praeter dona habitualia et concursum supernaturalem, in operibus pietatis alia quadam motione praeveniente liberum arbitrium determinante. Cur non similiter homo lapsus potest instrui donis habitualibus, ut posita divina protectione et directione habeat auxilium sufficiens, quo possit seipsum flectere ad hoc vel ad illud bonum opus vel etiam ad malum, sicut ad opera civilia, sine illa nova motione efficaci liberum arbitrium praeveniente et determinante? Respondebunt, quia homo lapsus ita est debilitatus per peccatum originale, ut non possit ullum opus bonum habere, nisi Deus illud immediate operetur in nobis praeveniendo liberum arbitrium. Ita num. 76. et 154. et alibi. Sed etiamsi homo sit debilitatus, cur non potest rursus ita corroborari per gratiam et dona habitualia, ut seipsum virtute gratiae et divini auxilii concomitantis possit determinare ad bona opera, sicut Adam, Deo illum protegente et dirigente (quae duo ratione infirmitatis huius necessaria sunt iuxta D. Thomam et Ruardum), praesertim cum hoc sit eius naturae magis consentaneum, quam ut ipse Deus opera bona ita immittat. Confirmatur, [1)] quia habitus supernaturales sunt vires proportionatae suis actibus. Cur ergo homo illis instructus non potest in aliquem actum bonum, sicut Adam, sine nova illa motione liberum arbitrium efficaciter flectente, quae Adamo non erat necessaria? 2) Quia virtus est qua bene vivitur et cuius usus est in nostra potestate. At si illa motio nova requiritur, quae non est in nostra potestate, usus virtutis non erit in nostra potestate neque homo bene vivet virtute, sed illa motione. Nam illa ponit totum bonum opus in primo instanti, quo immittitur. Quod autem quidam Doctor dicit, illam definitionem virtutis apud Augustinum non intelligi de habitibus, sed de actibus, quibus bene vivitur et quos Deus in nobis sine nobis, id est, sine nostro, inquit, praevio conatu, operatur, est contra communem sententiam omnium Doctorum, ut nihil gravius dicam. Adde, quod non tam debilitatum, quam exstinctum videatur liberum arbitrium, si per dona habitualia, divinam protectionem et directionem non potest rursus ita confirmari et disponi, ut sufficienter sit instructum ad sese flectendum ad bona opera et ad mala eo fere modo, quo Adam, et quo se flectit ad opera civilia.

Sed, *inquiunt*, gratia habitualis, protectio et excitatio tantum tri-

buunt posse, si velis; at specialis gratia Christi, de qua loquitur sacra Scriptura, dicens „Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis", et de qua D. Augustinus disputavit cum Pelagio, non tantum tribuit posse, si velis, sed absolute tribuit velle iuxta Augustinum. Ergo homini lapso praeter ista omnia datur specialis quaedam motio libertatem praeveniens, per quam immediate immittitur ipsum velle. Et haec motio est necessaria ad singulos actus. Ita num. 152. et sequentibus.

Resp. Ad hoc supra responsum est; sed quia ista locutione se quidam mire involvunt, rursus dico, dupliciter posse intelligi, quod gratia Christi non tantum tribuat posse, si velis, sed etiam ut velis:

1) Quod gratia Christi non tantum tribuat vires supernaturales, quibus possimus proprie in actum supernaturalem voluntatis, sicut Adam poterat, relinquendo ipsum actum in nostra libertate, ut illum eliciamus vel non, sed ulterius praeveniendo libertatem immittat ipsum actum. Et hoc modo videntur MM. NN. illam sententiam accipere. Sed ego non possum illam distinguere ab errore Calvini. Nam sic actus boni non essent unquam in hominis potestate. Videatur Calvin. lib. 2. Inst. c. 3. § 10. et sequentibus.

2) Ut non tantum tribuat posse consistens in naturalibus viribus liberi arbitrii et doctrina legis, quibus possimus, si velimus, sed etiam tribuat ipsum velle, dando vires voluntati et ita suadendo, ut velit; et hoc modo illa locutio usurpatur a D. Augustino contra Pelagium, qui ponebat ipsum posse in natura liberi arbitrii et doctrina legis. Et hanc dicebat esse gratiam Dei, qua possimus omnia bona opera, id est, incipere credere, orare, poenitere, amare Deum, sperare etc. Nec aliam gratiam volebat ad haec esse necessariam. Unde dicebat Deum dare nobis, ut possimus haec omnia, non autem ut velimus, sed hoc reliquisse in nostro arbitrio nudo, sola doctrina instructo, ut patet apud D. Aug. lib. de gratia Christi cap. 4., ubi distinguit Pelagius haec tria: posse, velle et agere. Et dicit ipsam boni possibilitatem esse donum Dei atque adeo neminem hoc dono posse privari; sed bene velle et bene agere esse nostrum, nec Deum esse huius causam, nisi quia dedit et conservat liberum arbitrium et naturalem possibilitatem. Contra quod passim D. Aug. docet, de fide Catholica esse, Deum non solum dare, ut possimus, si velimus, ut vult Pelagius; sed etiam facere, ut velimus, et operari ipsum velle. Quia, inquit, voluntas praeparatur a Domino ut velit (sic enim passim sese explicat), id est, divina virtute instruitur et adiuvatur, ut eliciat actum bonum. Non autem vult D. Aug. immitti voluntati praeter ceteras omnes praeparationes ipsum actum bonum, praeveniendo libertatem. Et sic intelligendus est locus D. Aug. de gratia Christi cap. 47., ut diximus in Apologia Lovaniensi ad propositionem nonam sub finem.

Sed, *inquiunt* num. 151., Pelagius non negabat liberum arbitrium iuvari per doctrinam legis. Cur ergo ab Augustino est reprehensus? *Resp.* Quia per liberum arbitrium nudum cum sola doctrina legis

habemus quidem posse quoddam, sed remotum, per quod numquam bene et salubriter vellemus. Requiritur enim ex parte voluntatis novum adiutorium gratiae praevenientis, quod negabat Pelagius, et ideo erat reprehendendus ut haereticus. Nam voluntas per internas vires debet confortari et corroborari ad bona opera, ut in potentia proxima ea habeat; non tamen ulterius requiritur, ut Deus opera ipsa, id est, actus ipsos internos, praeveniendo voluntatem immittat. Nam sic non videntur esse in potestate hominis. Notandum autem hic est eos num. 151. et sequentibus docere haeresim esse Pelagii, quod homo gratia et donis habitualibus instructus, Deo illum protegente et excitante, possit sine nova motione praeveniente, propria statui lapso et liberum arbitrium efficaciter determinante, facere aliquod opus bonum, quod etiam satis clare docent in Censura ad propositionem octavam et nonam et decimam. Ratio illorum est: quia illa motio efficax est proprie dicta gratia Christi, necessaria ad singulos actus, secundum definitionem Patrum, in statu lapso, quam quia negabat Pelagius, iudicatus est haereticus. Quam eorum sententiam saepe vehementer sum admiratus. Si enim ista est haeresis Pelagii, ergo omnes doctores scholastici et antiqui doctores Lovanienses, et quicumque scribunt hoc tempore contra Calvinum, fuerunt haeretici vel saltem erraverunt in fide; et ita tota Ecclesia per quingentos vel sexcentos annos erravit in fide. Nam doctores, quos habuit toto hoc tempore, hanc motionem efficacem non requirunt. Non video sane, quid ad hoc responderi possit, cum etiam infra num. 175. satis indicent, doctores omnes in hac quaestione errasse. Sed profecto hoc adeo absurdum est, ut vix alio argumento opus sit ad illam opinionem refutandam. Illa autem sententia, quam 214 Patres in quadam Synodo (teste D. Prospero c. 10. contra Collatorem) ad fidem orthodoxam pertinere iudicarunt, gratiam ad singulos actus nos adiuvare, et ea, quam Augustinus epist. 107. ad Vitalem tamquam ad fidem pertinentem ponit, dicens: „Scimus maioribus ad singulos actus gratiam dari“, non negatur a doctoribus scholasticis nec a nobis. Nam et ipse Pelagius hoc confiteri coactus est, ne tamquam haereticus damnaretur; verum ea non significatur ad singulos actus praeter ceteras praeparationes immitti quamdam novam motionem praevenientem, qua liberum arbitrium determinetur, ut volunt MM. NN.; sed nullum actum bonum posse a nobis fieri, nisi antea divina gratia praeventi et corroborati simus, Deo etiam in singulis nos protegente, dirigente et cooperante. Est enim haec definitio facta contra Pelagium, qui volebat, gratiam Dei sitam esse in natura liberi arbitrii et doctrina legis et alia gratia opus non esse ad bonas functiones. Contra quem errorem Patres definierunt Dei gratiam dari et necessariam esse et nos adiuvare ad singulos actus; quia nullus sine ea fieri potest; non autem volunt, quod ad singulos actus praeter dona antecedentia habitualia et divinam protectionem requiratur nova quaedam motio praeveniens, non necessaria Adamo, qua liberum arbitrium

determinetur ad opus, ut etiam recte docent. Nova tamen cooperatio supernaturalis requiritur in singulis actibus, sed haec est quodammodo in potestate liberi arbitrii sufficienter praeparati, neque praevenit proprie, sed comitatur, ut dictum est in Apologia. An autem haec cooperatio debeat esse alterius generis vel potentior quam in statu integro, parum refert. Probabilius mihi videtur non debere esse potentiorem seu maiorem. Nam infirmitas naturae per peccatum contracta instauratur per dona habitualia, per protectionem et directionem divinam, ad quam pertinent crebrae inspirationes et sanctae affectiones divinitus immissae. Pertinet tamen haec cooperatio seu concursus supernaturalis ad gratiam Christi, ut diximus in Apologia et ostendimus in 3. parte quaest. 19., quia Christus non tantum meruit nobis, ut essemus iusti, sed etiam omnia necessaria ad bene operandum, quae per peccatum amissa erant. Scripturae tamen non loquuntur peculiariter de hoc concursu, quando gratiam Christi commendant, quia Christi gratia multiplex est. Unde verum non est, quod dicunt num. 153., concursum supernaturalem nostra sententia non pertinere ad specialem Christi gratiam. Nam in Apologia expresse dicitur contrarium ad Propositionem nonam in fine.

Quod autem dicunt, non petere nos illum concursum quando dicimus: „Fiat voluntas tua.“ „Ne nos inducas in tentationem.“ „Adiutor meus esto“ etc., *resp.:* Non tantum concursum petimus, sed protectionem quoque et directionem seu excitationem et suasionem internam talem, qualem Deus aptam novit, ut tentationes vincamus et eius voluntatem faciamus. Hunc tamen concursum in aliis semper intelligimus, quia sine hac divina et admirabili cooperatione in nullum actum bonum voluntas nostra conari potest; qui non est nobis debitus ex pacto creationis, sed est gratuitus, sicut ipsa gratia; est tamen connaturalis gratiae et donis supernaturalibus. Quod autem Pelagius non solum hunc concursum supernaturalem, sed etiam naturalem negaverit, clare patet ex Hieronymi epistolis ad Ctesiphontem, ubi Hieronymus vocat Pelagium sacrilegum, quod neget auxilium Dei esse necessarium ad curvandum digitum, ad movendam manum, ad sedendum, ad standum, ad ambulandum, ad spuendum. Ad quae certum est non egere nos alio auxilio quam conservatione potentiarum et cooperatione seu influentia generali, ut dicunt doctores. Similia habet Hieron. dialogo 1. contra Pelagianos. Respondent Domini MM. NN. requiri ad haec singula gubernationem Dei, quae praeveniat liberum arbitrium et determinet ad haec, ut dicunt num. 106., quam gubernationem negabat Pelagius et ideo reprehenditur ab Hieron. Sed profecto talem gubernationem distinctam a concursu, quae determinet nos ad singulos actus, nullus doctorum scholasticorum agnoscit. Erunt ergo et illi sacrilegi cum Pelagio. Et sane si possumus sine hac gubernatione aliquid mali, ut ipsi fatentur, cur non aliquid indifferens, ut movere manum. Neque mirum videri debet, quod Pelagius negaverit concursum, ut salvaret

liberum arbitrium, quia difficillimum doctoribus scholasticis semper visum fuit explicare, quomodo homo sit liber in actionibus etiam civilibus, si Deus ad singulas immediate et in eodem instanti debet cooperari, unde etiam Durandus, Pelagio multo doctior, hunc concursum negavit. Eundem Pelagii errorem satis indicat D. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 4. Nec desunt hac tempestate viri doctissimi et in Patribus versatissimi, qui doceant ex Augustino Pelagium hunc concursum negasse.

Haec de priore parte huius quaest., etsi multa alia adferri possent, sufficiant. Nunc ad alteram veniamus, in qua probandum est, si ad singulos actus bonos requiritur motio quaedam praeveniens, quam habere non sit in nostra potestate, quae liberum arbitrium efficaciter ad bonum opus determinet etc., videri everti liberum arbitrium in actibus pietatis. Suppono autem tamquam certum, eam motionem praevenientem evertere libertatem, quam habere non est in nostra potestate, et [quae] iam voluntati immissa et habita est ita efficax, ut voluntas non habeat in sua potestate propinqua non velle, non consentire. Dico propinqua; quia bene concedunt quidam voluntatem posse dissentire, si haec motio absit, sed non, si praesens sit, quod etiam Calvinus libenter admittit.

Probatur. 1. Quia in censura ad Propositionem octavam, nonam et decimam, docent, hanc gratiam esse ita efficacem ut cum ea consistere non possit, ut non agas; et in suis lectionibus docent eam non posse respui. Quod etiam hic indicant non obscure num. 128. Immo querela ipsorum apud Reverendissimum Middelburgensem contra nostram doctrinam prima fuit, quod doceremus gratiam Christi respui posse, ut ipsemet nobis retulit; quibus ipse ostendit eam doctrinam scripturis esse consentaneam. Quomodo ergo relinquit opus in potestate hominis? si enim cum ea stare non potest, ut non agas, ergo illa immissa non potes actionem prohibere. Ergo illa actio non est in tua potestate; quia, ut immittatur, non est in tua potestate.

2. Quia docent num. 43. et 149. in Antapologia, gratiae efficacis energiam et usum non dependere a libero arbitrio, quia summa celeritate rebellia corda efficaciter sibi subdit. Loquuntur autem non tantum de gratia, qua Paulus conversus est, sed de omni prorsus: nam excepto externo miraculo volunt omnibus qui convertuntur, immo ad omne opus bonum dari tam efficacem gratiam praevenientem, quam data fuerit Paulo ad conversionem. Quod aperte etiam Censura indicat ad Propositionem decimam. At si gratiae energia seu operatio non dependet a libero arbitrio, perspicuum profecto est, in potestate voluntatis non esse, ut gratia efficax ponat in nobis opus bonum vel non ponat. Ergo neque in potestate nostra est, opus bonum habere vel non habere. Sicut, si Deus infunderet aliquem habitum, cuius operatio non dependeret a libero arbitrio, certe illa operatio non esset libera. Liberum enim esse, est a libero arbitrio dependere in eiusque dominio et potestate esse.

3. Quia docent, gratiam efficacem esse ipsam divinam operationem, qua immediate operatur et veluti creat ipsum bonum opus in nobis, ut patet ex ipsorum lectionibus, thesibus impressis et ex Antapologia num. 115. et 116. 118. Unde volunt, illam non distingui reipsa a bono opere, sed esse ipsummet opus internum, quatenus a Deo gratis immissum. Quod saepissime indicant, ut num. 124. et 125. 128. etc. Et hanc operationem dicunt non esse in nostra potestate. Nam Deus operatur bonum opus in nobis, quando ipsi lubet, praeveniendo voluntatem, unde clarissime sequi videtur, non esse in nostra potestate non habere bonum opus, posita illa motione. Non enim est in nostra potestate facere, ut non habeamus bonum opus, quando Deus in nobis illud operatur. Hoc enim contradictionem implicat. Neque etiam in nostra potestate est, ut Deus illud operetur. Quomodo ergo sumus liberi? *Confirmatur.* Quia si concursus Dei generalis non esset in nostra potestate, sine dubio nulla esset libertas, quia ille concursus est immediata operatio seu cooperatio operis voluntatis. Unde impossibile est, concursum esse et opus non esse, sicut impossibile est, creationem esse et tamen creaturam non esse. Nulla enim potentia creaturae haec potest separare. Ergo similiter si gratia efficax est ipsa immediata Dei operatio, qua bonum opus in nobis praeveniendo libertatem operatur, perspicuum est illud non relinqui in nostra potestate. Neque video, quomodo cum his consistat, quod interdum dicunt Deum operari illud ita, ut libere illud faciam et ut possim non facere etc. Nam implicat manifeste, ut Deus immediate in me operetur bonum opus praeveniendo libertatem meam et tamen illud ego libere faciam et possim non facere, nisi per *libere* intelligatur *libenter* et *posse non facere* intelligatur in sensu diviso, nempe absente illa operatione Dei.

4. Quia docent, hanc motionem efficacem in eodem momento, in quo est, ponere opus bonum. Patet ex censura ad propositionem octavam et decimam et num. 136. et alibi saepissime. Atqui in momento homo non potest deliberare; ergo actus, quem producit illa motio, non est liber, quia non deliberate elicitus. Patet hoc clare. Omnis enim motus animi, qui sequitur subito ex aliquo nobis immisso, non est liber, quia in tempore brevissimo non possumus deliberare; multo ergo minus erit liber, qui in puncto temporis sequitur ex motione divina, quae non erat in nostra potestate. Sed, *inquiunt,* ad actum liberum non requiritur praevia deliberatio. Nam Deus qui est liber non deliberat. Ita num. 135. *Resp.* Sine dubio in nobis requiritur deliberatio praevia secundum omnes doctores, quam non possumus habere maxime perfecte in instanti, unde patet eos aliud intelligere per actum liberum, quam omnes doctores scholastici intelligant.

5. Quia docent, quod haec motio efficax liberum arbitrium praeveniendo determinat ad opus, et quod non est in potestate liberi arbitrii, ut determinetur: tum quia praevenit haec determinatio libertatem, tum quia ista motio efficax, quae per seipsam voluntatem deter-

minat, non est in potestate liberi arbitrii. Atqui hac determinatione posita, non est in potestate liberi arbitrii niti eo momento in contrarium vel non agere. Quia actus necessariam habitudinem habet ad hanc determinationem, ita ut non possit ab ea separari, ut ipsi fatentur. Nam si voluntas est determinata, agit, ut ipsi dicunt num. 156. Haec enim determinatio non distinguitur reipsa ab actu. Quomodo ergo ille actus est liber et quomodo, motione illa efficaci posita, est in potestate voluntatis dissentire, cum non possit se flectere in contrarium?

Si dicant, Deum per hanc motionem efficacem determinare liberum arbitrium, sed modo sibi consentaneo, nempe ut libere agat per modum electionis: *Contra.* Omnis determinatio extrinsecus voluntati immissa, quae non subest eius potestati et ex qua actus necessario sequitur, repugnat liberae electioni, ut patet ex terminis. Quomodo enim libere eligo, ad quod alius me subito determinat? Movetur autem liberum arbitrium modo sibi consentaneo, ut libere agat et per modum electionis, quando inspirantur illi vires divinitus, quibus seipsum Deo cooperante possit flectere, et simul interius vel exterius suadetur, consulitur, vel praecipitur, ut eligat, ipsa autem cooperatio ita attemperatur ut sit quodammodo in eius potestate. Si autem praeter haec omnia Deus immittit voluntati immediate ipsum actum praeveniendo liberam cooperationem, quomodo immittit sanctas inspirationes et pias affectiones, iam non determinat illam, ut libere agat, sed ut necessario.

6. Posita illa motione efficaciter determinante, actus voluntatis sequitur necessario, quia illa motio est operatio divina, qua immediate facit et veluti creat in nobis illum actum, omnis autem res operata necessario provenit ab operatione, qua fit. Dicent, etiamsi a motione illa actus proveniat necessario seu inimpedibiliter, tamen ut procedit a libero arbitrio, provenit impedibiliter. Sed hoc fieri non potest, quia haec motio non est in potestate voluntatis, nec ab ea potest impediri; et posita illa motione necessario est actus. Ergo nec actus potest impediri a voluntate. Prob. consequentia. Quia quod necessario et inimpedibiliter sequitur ex aliqua suppositione liberum arbitrium efficaciter determinante et inimpedibili, illud non est liberum, sicut patet in amore beatifico (qui ideo non est liber, quia provenit necessario a suppositione liberum arbitrium intrinsecus determinante, quae non est in hominis potestate) et inspirationibus et affectionibus piis divinitus immissis, quia necessario et inimpedibiliter proveniunt ab operatione Dei, quae non est in nostra potestate etc. Unde patet nihil ad rem pertinere quae contra hoc axioma adferunt num. 136. Nam supposito, quod agam, necesse quidem est me agere necessitate consequentiae, sed suppositio illa est in mea potestate. Gratia autem efficax non est in mea potestate. Unde actus, qui ex ea necessario sequitur, non est liber; nam necessitas consequentiae ibi locum non habet, sed tantum in iis, ubi antecedens est in nostra potestate, ut cum dico: Si currit, necesse est illum moveri, vel certe ubi antecedens

praesupponit aliquid, quod est in nostra potestate, sicut supra dictum est de praescientia conditionata. De quo modo necessitatis loquitur Ruardus in priori testimonio, citatus in Antapologia num. 132. Nam *„secundum propositum agi“* est ita vocari, suaderi, affici etc., sicut Deus noverat illum secuturum, ut ubique docet Ruardus, unde necesse est ita vocatum sequi, nempe necessitate consequentiae, sicut necesse est eum cadere qui ita tentatur, sicut Deus praevidet casurum. In altero testimonio loquitur Ruardus de concursu Dei (ut patet ex verbis consequentibus), quem vocat ibi gratiam efficacis operationis, quomodo etiam Andreas Vega lib. 13. in Trident. cap. 13. et Cunerus cap. 9. et 10. de libero arbitrio loquuntur; sed haec efficax operatio quodammodo est in hominis iam praeparati potestate etc., ut iidem auctores docent, unde solam necessitatem consequentiae adfert. Nam etiam in civilibus Deo in nobis per concursum operante necessario sequitur opus. Et mirum profecto est Ruardum hic afferri pro hac sententia, cum in eadem p. 307. aperte doceat contrarium. Ex his patet, solidissimum esse istud axioma. Quando enim sunt duae causae unius effectus, a quarum altera effectus provenit necessario, quae alteram praeveniendo determinet ad eumdem effectum, ita ut illa determinatio non sit in alterius potestate, perspicuum est, illum effectum illi alteri inimpedibilem esse.

7. Determinatio voluntatis proveniens ex motione efficaci non est realiter distincta ab actu bono, sed est ipsemet actus voluntatis, ut a Deo immissus et voluntatem informem formans et determinans, ut ipsi fatentur. Sed haec determinatio non est in potestate voluntatis, nam praevenit liberam cooperationem. Ergo actus bonus, qui non distinguitur reipsa ab illa determinatione, non est in potestate voluntatis.

8. De ratione actus liberi est, ut procedat a voluntate in omni instanti priori et temporis et naturae indeterminata ad ipsum. Loquor autem de actu elicito, ut excludatur actus liber in Deo, qui non est elicitus, sed est eius essentia. Dico: in omni instanti temporis etc., nempe si voluntas tempore antecedat suum actum, sicut fit in nobis. Omnes enim actus liberi nostrae voluntatis sunt posteriores tempore ipsa potentia et ita potentia debet esse prius tempore indeterminata ad ipsos, quam ipsos eliciat; unde omnes illae instantiae, quas ipsi adferunt, nihil faciunt ad infirmandum illud axioma; nam aeque magnam vim habet, etiamsi ita poneretur: Omnes actus liberi nostrae voluntatis procedunt a potentia prius tempore et natura indeterminata. Non enim hic urgemus, quod voluntas debeat esse prius tempore indeterminata, quam eliciat actum, sed prius natura. Unde concludo eum actum, qui procedit a voluntate prius natura determinata ad ipsum, non videri liberum. Antecedens patet. Quia est commune axioma receptum ab omnibus theologis et philosophis, qui docent hoc esse discrimen inter causam necessario et libere agentem: quod illa positis omnibus praevenientibus necessariis ad agendum non possit non agere, quia tunc

est determinata ad agendum; haec autem positis omnibus praevenientibus necessariis ad agendum adhuc sit indeterminata, ita ut iis omnibus eodem modo se habentibus, in potestate habeat se flectere ad hanc vel illam partem, adeo ut, si se flectat ad consensum in hoc instanti, potuerit in eodem sese flectere ad dissensum. Neque sufficit ut ipsi volunt, quod voluntas sit naturaliter, id est, in nuda sua natura, indeterminata ad actum; quia sic etiam haeretici bene concedunt illam manere indeterminatam, dum adest gratia efficax; sed requiritur ut nihil accidentarium superveniat, quo prius natura quam agat determinetur et astringatur ad consensum.

Probatur istud axioma ex Doctoribus. Scotus in 1. dist. 39. illud demonstrat evidenter; inter cetera sic ait: „Actus primus (scilicet liberum arbitrium habens se per modum actus primi seu principii sufficienter praeparati ad eliciendum actum) consideratus in illo instanti in quo est prior naturaliter actu secundo (id est volitione), ita ponit illum in esse tamquam effectum suum contingenter, ut prior natura posset aeque ponere aliud oppositum in esse.“ Idem in 3. dist. 18. loquens de actu meritorio: „Voluntas,“ inquit, „in primo instanti, ut prior natura suo actu, ita contingenter elicit actum, sicut si per diem praecessisset actum elicitum. Atqui nulla causa prius determinata contingenter agit. Nam semper agit.“ Perspicuum est ergo, Scotum velle voluntatem debere esse prius natura indeterminatam. Henricus, Quodlibet. 9. quaest. 5.: „Cum voluntas sit libera et domina suorum actuum, impossibile est, ut ab alio procedat ad actum volendi. Hoc enim repugnat libertati. Nam non minus ageretur voluntas quam appetitus sensitivus; unde si Deo agente (nempe prius natura et independenter a libero arbitrio) fieret de non volente volens, non esset ille actus liber nec laudabilis. Nam actio libera debet esse in potestate ipsius agentis, ita quod ab alio non moveatur, licet aliquo assistente et cooperante, ut Spiritu Sancto vel per se et immediate vel per aliqua dona sua vel utroque modo.“ Nihil potest dici clarius contra illam determinationem. In eadem sententia est D. Thom., quia passim docet voluntatem esse liberam, quia est domina suorum actuum. Quomodo autem est domina eius actus, ad quem est determinata efficaciter, cum illa determinatio non sit in eius potestate? Item voluntatem suos actus habere in sua potestate, posse seipsam determinare etc. 1. part. quaest. 82. art. 1. 3. et 4. et 1. II. quaest. 1. et 2. art. 1. Et in 2. Sentent. dist. 24. quaest. 3. art. 2. in corp. Idem docet S. Bonav. in 2. dist. 25. quaest. 2., ubi etiam ostendit, actum liberum debere esse deliberatum. At si Deus praeveniens determinat hominem subito immittendo ipsum actum, quomodo est deliberatus? quia nos in momento non deliberamus. Si quis dicat nos deliberare, antequam Deus immittat illam motionem efficacem: *Contra.* Quia tunc deliberaremus de re quae non est in nostra potestate, quia non est in nostra potestate, ut Deus illam immittat. Quid si ergo illam non immittat; nonne vana erit deliberatio nostra? Praeterea

ipsa deliberatio est actus bonus et inchoatio quaedam conversionis, unde non potest fieri sine gratia efficaci. Itaque non est in nostra potestate deliberare, utrum aliquod bonum opus facere debeamus an non. Denique ipsi dicunt, non requiri ullam praeviam deliberationem num. 135., unde videntur accipere libere agere pro libenter et voluntarie agere. Marsilius lib. 2. quaest. 16. art. 4.: „De natura agentis liberi est, ut omnibus eodem modo habentibus possit in opposita. Item ut possit se determinare ad acceptationem et refutationem.“ Et infra: „Causa determinans voluntatem ad volitionem liberam non est aliud, quam ipsa voluntas per suam libertatem,“ intellige in operibus bonis, ubi vires supernaturales acceperit Deo ipsam protegente et cooperante, ut idem auctor alibi docet. Unde clare patet ipsum sentire, quod voluntas non praedeterminetur a Deo etc. Guillielmus Occam Quodlibet. 1. quaest. 16.: „Libertas est potestas, qua possum eumdem effectum causare et non causare nulla diversitate circa ipsam potentiam facta.“ Et infra: „Omnibus requisitis ad actum volendi positis, potest voluntas actum elicere et non elicere sine omni actione extrinseca, solum propter suam libertatem.“ Et in 2. quaest. 5.: „Deus non attingit effectum prius quam causa secunda, nisi quia perfectius et illimitatius“ etc. Quod etiam docet Scotus in 2. dist. 37., Gabriel ibidem et in 1. dist. 38. et 45., Gregor. Arimin. iisdem locis et alii, unde evidenter sequitur Deum non operari ipsum opus immediate praeveniendo libertatem. Et ut brevis sim, videantur alii Doctores ut Andreas a Castro novo, Andr. Vega, Ruardus, Cunerus, Mart. Ritthovius, Caret, et alii in Apologia Duacensi, qui omnes docent voluntatem seipsam Deo concomitante et cooperante determinare.

Quod etiam docent passim illi, qui scribunt in nonum Metaphysicorum, ubi demonstrant liberum arbitrium in eodem instanti esse in potentia contradictionis; et in eodem instanti quo vult, prout est prius natura suo velle, posse non velle omnibus aliis eodem modo se habentibus, et voluntatem a seipsa Deo tamen cooperante determinari ad exercitium actus. Videatur Paulus Concinas in 9. Metaphysicorum quaest. 14. 17., Chrysostomus Iavellus quaest. 5., Antonius Andreas quaest. 2. Ob eandem causam omnes fere doctores docent expresse operationem Dei, qua immediate cooperatur creaturis ad singulos actus, non determinare liberum arbitrium praeveniendo, aut prius natura (quod idem est), independenter a libera determinatione, qua liberum arbitrium se determinat. Alioquin liberum arbitrium non esset liberum. Nam illa determinatio non esset in potestate eius, et sic actus non esset in eius potestate. Nam nulla est ponenda determinatio in libero arbitrio distincta realiter ab actu; unde si aliqua determinatio praevenit libertatem seu non est in potestate voluntatis, actus, qui non distinguitur ab illa determinatione, non est liber. Videant ergo Domini Doctores, quomodo salvent liberum arbitrium cum hac motione efficaciter liberum arbitrium praeveniente et determinante, quae sit necessaria ad singulos

actus ob imbecillitatem contractam ex peccato originali, nec sit unquam in potestate voluntatis.

Sed *inquiunt:* Cur Deus non potest liberum arbitrium determinare immittendo illi actum et tamen ita ut libere agat? *Resp.* Non quaerimus, quid Deus per absolutam potentiam possit, sed quid naturae rerum sit consentaneum. Nam consentaneum est naturae liberi arbitrii, ut, postquam divinas vires sufficientes acceperit ad agendum, moveatur per praecepta, consilia, suasiones, inspirationes, affectiones, praevias divinitus immissas, quae tamen omnia relinquunt in eius potestate, ut se flectat in hanc vel illam partem. Ipsa autem cooperatio supernaturalis ita ei attemperatur, ut sit in eius quodammodo potestate.

Addo videri implicare contradictionem, quod voluntas determinetur actu illi immisso, ita ut illa immissio non sit in eius potestate, et tamen actum illum habeat in sua potestate. Si enim non est in eius potestate illa immissio actus, neque ipse actus in eius potestate est.

Ex his etiam patet responsio ad illorum argumenta, quae nihil aliud nituntur probare quam Deum praeter omnia cetera dona debere immittere ipsum actum voluntatis et immediate in nobis efficaciter operari operatione, quae non sit in voluntatis potestate. Quod iam ostendimus esse falsum, et diximus Deum dare vires supernaturales voluntati per habitus fidei, spei, caritatis etc., per excitationes, affectiones praevias immissas, inspirationes internas, suasiones etc., quibus positis, voluntas habeat in potestate sua elicere actum supernaturalem sicut Adam, et Deum relinquere in eius arbitrio, ut eliciat vel non, prout videbitur, paratum cooperari supernaturali modo, prout eius dona postulant etc. Et hoc modo operatur in nobis velle et opera bona. Quod autem in multis non operetur opera bona immediate aut non persuadeat ipsis, in causa est eorum negligentia vel malitia, quia gratiae Dei desunt iuxta Concilium Tridentinum sess. 6. c. 13. Illae autem locutiones D. Augustini: „Deus non tantum dat posse, sed etiam velle; non tantum suadet, sed etiam persuadet,“ supra explicatae sunt. Gratia autem distinguens bonos a malis proprie est gratia iustificationis seu habitualis, aliquando vocatio qua quis sic vocatur, sicut Deus aptum novit, ut vocantem non respuat. Eadem est gratia, quam Augustinus c. 8. de Praedest. Sanct. dicit a nullo corde duro respui; nam est ea qua Pater occulte ita docet, ut homo discat, id est, consentiat, ut ibi ait, quae singulari Dei benignitate tribuitur, ut cordis durities auferatur. Adiutorium autem, sine quo Adam et Angelus perseverare non poterant in bono supernaturali, erant virtutes supernaturales earumque conservatio et concursus, ut docet Ds. Ritthovius in 2. sent. dist. 25. ex D. Augustino et D. Thoma 1. 2. quaest. 109. art. 4. et 9. ad 1. Non autem requirebatur in illis ea protectio et directio, quae nobis est necessaria ad perseverandum, ut docet D. Thomas supra art. 9. et 10. Falsum autem est nos sentire eam tantum gratiam sufficere, qua Deus sic movet, sicut nos novit secuturos, ut patet in Adamo

et in angelis qui ceciderunt, qui sufficientissimam gratiam habuerunt, sed non eam, cum qua Deus praeviderat illos perseveraturos etc. Operatur autem Deus credere et consentire in nobis non proprie per praedicationem externam, quia haec vires non tribuit voluntati, sed per internam suasionem et affectionem supernaturalem divinitus immissam, quae non est libera, et potest ei voluntas resistere. Item per suam cooperationem supernaturalem, quam tunc homo habet quodammodo in sua potestate.

Ille autem locus: „Quis te discernit?“ nihil ad rem facit. Nam si loquamur de actuali fide, respondeo: non ego, sed gratia Dei mecum, id est, ego per vires gratiae, unde non possunt gloriari nisi in Domino, qui gratis vires dedit, protexit, adiuvit etc. Sum tamen laudandus supra eum, qui noluit consentire, quia actum laudabilem feci. Non tamen ideo in me debeo gloriari, quia tota dignitas actus pendet ex gratia. Posset hoc multis exemplis declarari; si rex duobus pauperibus offerat magnas opes et alter eas admittat, alter aspernetur munus regium, non potest is qui accepit in se gloriari, quia dives est; multo minus is, qui divinae vocationi consentit, quia ipsum consentire et acceptare munus divinum est, totum ex viribus gratiae praevenientis et comitantis.

Addo ne angelos quidem, qui perseverarunt, in se debere gloriari, sed in Domino. Nam et illis dici quodammodo potest: Quis te discernit etc.

Ut finem faciam, duo hic valde notanda videntur. Alterum est, hanc sententiam illorum de gratia sufficienti penitus novam videri in Ecclesia, cum constet non solum omnes doctores scholasticos nobiscum sentire, sed etiam antiquos doctores Lovanienses, quorum scripta exstant: Adrianum, Driedonem et Ruardum et horum auditores, inter quos tres Episcopi undequaque doctissimi (de quibus mihi certo constat): D. Mart. Ritthovius, Episcopus Iprensis, Dominus Iohannes Stryen, Episcopus Middelburgensis, et Dominus Cunerus, Episcopus Leuwardiensis, qui etiam subtilissimum libellum nuper de istis quaestionibus in lucem emisit, qui solus omnibus istis censuris et Antapologiis opponi poterat. Nam ex Scripturis, Patribus, doctoribus scholasticis et antiquis doctoribus Lovaniensibus eam sententiam quam nos sequimur pulcherrime explicat. Quomodo autem haec nova sententia sit post mortem Domini Ruardi cum multis aliis articulis sensim introducta praetextu doctrinae D. Augustini, malo alios, qui praesentes fuere, quam me referre. Hoc tamen satis constat, duorum illorum, qui huius sententiae et articulorum auctores putantur, reliquos, qui eam sequuntur, discipulos exstitisse vel auctoritate fuisse permotos, ut mirum non sit, quod scribit D. Tiletanus, Ruardi sententiam plerisque in hac facultate non placuisse.

Quod autem indicant quodam loco, Casalium secum sentire, valde mirum est; nam etsi Casalius inciderit in aliquos articulos in Bulla Pontificum Pii V. et Gregorii XIII. damnatos, ut: „Liberum arbitrium

sine gratia Christi ad nihil valet nisi ad peccandum," „Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis bonus sive non malus liberi arbitrii sine gratia," et similes, in quaestione tamen de auxilio sufficienti nobiscum sentit et quidem paulo liberalius. Nam lib. 1. part. 1. de quadripartita iustitia p. 163. docet, auxilium speciale pertinens ad proprie dictam gratiam Christi ita esse homini praeparatum sicut auxilium generale et utrumque esse aeque in hominis potestate, et Deum dare illud regulariter omnibus habentibus usum liberi arbitrii idque omnino sufficienter, ut valeant bene operari etc. Pag. 165. docet adiutorium gratiae Dei nobis omnibus et singulis esse praesentissimum et non deesse nobis nisi nos desimus illi; relinquere tamen hominem indifferentem ad bonum et malum in potentia propinqua.

Haec omnia clarissime sunt contra ipsos et pro nobis. Quod autem hic auctor quodam loco Ruardum reprehendit, ideo facit, quia putabat Ruardum sentire, adiutorium divinae cooperationis non esse ex gratia redemptionis Christi, sed solum ex gratia creationis. Quod etiam ego penitus reiicio, sed an Casalius Ruardum recte intellexerit, alii viderint. Nam ad praesentem quaestionem nihil refert.

Alterum est, quod controversia Ecclesiae cum haereticis de gratia operante non sit: quod haeretici velint ad singulos actus requiri quamdam motionem ita efficacem, ut necessitet, Ecclesia autem velit ad singulos actus requiri quidem motionem praevenientem, non quae absolute necessitet, tamen ita efficacem ut cum ea stare non possit ut non agas, eo quod efficaciter voluntatem determinet. Nam si non esset maior differentia, non puto, Ecclesiam unquam fuisse illos propter hoc iudicaturam haereticos. Nam illa differentia nihil videtur referre nec ad fidem nec ad mores, sed mere videtur esse verbalis. Non est ergo illa Ecclesiae sententia, ut MM. NN. volunt, sed gratiam Dei non necessitare hominem ad bonum, ita ut multi possint bene agere per praesens auxilium, qui tamen non bene agunt; et contra multi possint male facere, qui tamen bene agunt, quia gratia Dei bene uti vel non uti est in eorum potestate propinqua etc.

Quod longior fui in hac quaestione causa est: quia eam in lectionibus non tractavi, sed tantum brevissime attigi, unde ipsi occasionem nostri reprehendendi in sua censura acceperunt.

Caput duodecimum ad Antapologiam de auxilio sufficienti quod omnibus detur.

Omnibus rationis usum habentibus dari pro tempore et loco auxilium sufficiens mediate vel immediate, quo valeant singula peccata vitare et sensim ad salutem aspirare, satis probatum est in Apologia Duacensi, ubi ostendimus, hanc sententiam esse omnium fere Patrum, etiam D. Augustini et Prosperi, et omnium doctorum scholasticorum (praeter Gregorium Arim.) et antiquorum doctorum Lovaniensium, deni-

que recentiorum doctorum, qui hoc tempore scribunt contra haereticos. Et licet inter doctores sit quaedam discrepantia, omnes tamen in eo conspirant (praeter Gregor.), quod omnibus detur pro loco et tempore tale auxilium, cum quo, si vellent sibi vim adhibere et laborare, quantum res ista postulat, possent sensim ad salutem tendere, quod nos affirmamus, unde illa discrepantia nihil obest, quominus haec sententia sit habenda tamquam doctorum omnium sententia. Quod autem ipsi dicunt, illos omnes lectione Fausti fuisse deceptos, parum certe est honorifice de illis sentire, ut non dicam haereticorum partes mirifice hoc modo iuvari, dum omnes scholastici tamquam in sententia fidei errantes reiiciuntur. Quae autem sit ipsorum sententia supra dictum est. Docent enim nemini dari auxilium sufficiens ex parte Dei ad inchoandam conversionem aut ad orandum aut ad ullum bonum opus, nisi cui datur ita efficax, ut liberum arbitrium determinetur, cum quo stare non possit, ut non agas, et Deum nemini esse paratum hoc dare, nisi cui re ipsa dat. Si enim esset paratus, non obstarent hominum malae voluntates. Haec illi. Unde etiam hic et alibi saepe dicunt, Christi gratiam non esse a bono usu seiunctam, sed facere hominem bene uti oblatis salutis occasionibus. Quod sane videtur accedere ad sententiam haereticorum, qui dicunt, gratiam Dei semel habitam non posse amitti, aut ad rem non facit. Clarissimum enim est apud Catholicos dogma, multos habere gratiam Dei atque adeo esse iustos, qui illa gratia non bene utuntur et gratiam Dei in vacuum recipiunt. Quod autem non omnibus semper sit praedicatum evangelium aut salutis via, ut ipsi obiiciunt, nihil refert; quia non defuit Deus per internas inspirationes (quis enim dubitet, quin Deus saepe ad ostium cordis pulset et ad honestatem suadeat et incitet?), quas si voluissent sequi (sicut supra ostensum est eos potuisse), sensim maiora auxilia divina largitate accepissent. Non enim Deus dat bonas inspirationes aut affectiones honesti nisi ut hominem ulterius promoveat, si suae gratiae non desit. Illa autem sententia Augustini: „Scimus gratiam Dei non omnibus dari," intelligenda est, quod non omnibus eo modo et ita copiose detur, ut reipsa fiant iusti. In quo apparet Dei iudicium, cum uni ita detur, alteri non. Hinc tamen nullo modo sequitur, quin alteri etiam sufficienter adsit. Quod autem dicunt, „si Deus est paratus dare auxilium sufficiens, cur non dat?" *resp.:* Dat omnibus reipsa initium aliquod, ut dictum est; quod autem non perficiat, ipsi in causa sunt, quia negligunt vel resistunt divinae inspirationi, atque adeo desunt gratiae acceptae, ut supra ostendimus in multis iustis, quibus paratus est dare auxilium sufficiens ad perseverandum etc., si gratiae ipsius non desint. Neque etiam dicimus eam tantum gratiam sufficientem, qua Deus ita vocat et iuvat, sicut videt nos secuturos, ut hic nobis imponitur; sed etiam eam, cum qua videt hominem non secuturum vel perseveraturum, ut patet in Adamo et angelis; sed hoc eventurum videt non ex insufficientia gratiae, sed ex negligentia vel

malitia hominis, ratione cuius fit, ut gratia Dei sit insufficiens quoad effectum, quia impeditur; sed hoc ad rem non pertinet. Sic enim etiam Adami gratia insufficiens erat. Sed *inquiunt:* Ruardus dicit alteram opinionem esse magis consentaneam Augustino et Patrum Conciliis. *Resp.:* Vehementer mirari me hanc obiectionem. Ruardus enim ibi disputando loquitur, ut patet intuenti; affert enim argumenta pro utraque parte. Pro nostra quidem plurimos Patres et multa ex D. Augustino et unum Concilium generale; pro altera quaedam loca Augustini et unum Gregorium Ariminensem. Tandem p. 352. amplectitur nostram, et solvit loca D. Augustini et reliqua argumenta, quae contra eam fecerat. Alioquin si altera Ruardi iudicio est magis consentanea Conciliis et D. Augustino, stulte fecit, quod ab ea recesserit. Hoc autem notandum, [quod] cum Gregorius Ariminensis solus, quod sciam, ex scholasticis doctoribus doceat, non omnibus dari auxilium sufficiens, etiam consequenter docet, hominem necessario seu in eo, quod vitare non potest, peccare, sed imputari illud peccatum, quia haec insufficientia auxilii est poena peccati originalis etc.

Domini autem Doctores nunc libenter se hinc extricarent, ut patet num. 184. et 190., quia est articulus expresse damnatus. Dicunt ergo hominem non necessario peccare, etiamsi non habeat auxilium sufficiens ad resistendum, quia non est obduratus sicut diabolus et auxilium sufficiens potest obtineri a Deo. Sed utrumque facile concederet etiam Calvinus. Itaque neutrum sufficit. Etsi enim non sit obduratus, ut diabolus, in praesentia tamen nullo modo potest resistere, ut patet ex terminis, quia non habet auxilium sufficiens ad resistendum. Deinde etiamsi possit auxilium impetrari a Deo, si oret, tamen non potest orare; quia si haberet auxilium sufficiens ad orandum, oraret, ut ipsi constanter docent. Sed de hoc supra satis.

Reliqua responso non egent.

Caput decimum tertium ad Antapologiam assertionis 31.

Ad ea, quae hoc loco habentur, responsione opus non est, cum ex supradictis pateat, quo animo et qua fide dicantur. Quanto satius fuisset ab initio coram tractare, quam postea tam amaris scriptis in alios invehi!

Non dixi illas sententias, quas Apologia ibi commemorat ut nostris contrarias, ipsorum esse; neque de illorum opinationibus praecise explicandis sollicitus fui, sed dumtaxat in contrariis ponendis, quas tamen partim ex Censura, partim ab illorum doctoribus traditas esse facile est ex eorum dictatis et scriptis, quae in omnium passim manibus versantur, probare. Quod etiam nuper ostendi.

Quod ad postremam partem attinet, in qua suam praefationem defendere nituntur, non est opus multis verbis, quia ex dictis satis patet, quae sit nostra sententia et quam D. Augustino non repugnet,

et quam longe absit a Massiliensium erroribus, ut non sit necesse rursus singula capita percurrere, quae hic depravatissime in collatione nostrae sententiae cum doctrina D. Aug. et Massiliensium ponuntur etc. Quam multa autem hic referantur a veritate aliena, longum esset persequi. Dolemus vehementer, bonos istos viros tantopere in nos, sine ulla iusta occasione a nobis data, exarsisse. Nam istae sententiae de auxilio sufficienti et efficaci, ad quas cetera pene omnia reducuntur, saepe ante nos hic traditae sunt a non ita multis annis a Reverendissimis Episcopis Mart. Ritthovio et Cunero, doctoribus Lovaniensibus, a Reverendo P. Matthia Felisio ordinis S. Francisci, qui etiam edito libro eas non solum ut Divi Thomae, B. Bonaventurae et aliorum scholasticorum, sed etiam tamquam B. Augustini doctrinae consentaneas defendit et docet contrarias niti falsis et damnatis fundamentis; et a Patre Bellarmino, qui omnia loca D. Augustini huc pertinentia diligenter expendit. Proinde mirum est, illis omnibus relictis, nos praesertim sibi oppugnandos sumpsisse, cum istas sententias summa modestia, nemine ex ipsis directe vel indirecte reprehenso, tradiderimus neque contrarias damnaverimus. Nam opinionem nostram de electione ad gloriam solum ut probabiliorem defendimus; neque unquam significavimus nos in quaestione de auxilio sufficienti a D. Augustino recedere. Nam ex ipsius sententia eam conati sumus explicare. Neque vero hae quaestiones adeo sunt adiaphorae, ut oportuerit nos cum MM. NN. conformare, quia in aliis academiis extra Belgium omnibus, quod sciam, nostrae sententiae traduntur, et hoc tempore ad haereticos oppugnandos sunt commodissimae. Et quamvis Bart. Medina et Dominicus Baignes a nobis nonnihil in modo explicandi discrepent, ponunt tamen illi, maxime Bartholomaeus, auxilium sufficiens ad salutem dari omnibus; qui etiam dicit contrarium esse temerarium et haereticum; unde patet, quo loco illi eam sententiam MM. NN., ad quam cetera fere omnia reducuntur, habeant. Iidem auctores gratiam efficacem vocant concursum Dei supernaturalem, qui etiam erat necessarius Adamo, quod ipsi tantopere oppugnant; utrum autem concursus determinet liberum arbitrium prius natura, annon (in quo videtur fere consistere omnis discrepantia inter istos Patres et nos), parum refert, modo ponatur in hominis potestate. Nam quaestio illa ad Physicam pertinet. Nostram quoque sententiam de auxilio sufficienti, quae praecipua est, alii clarissimi eiusdem ordinis viri: Sylvester, Ferrariensis, Caietanus, Franciscus Victoria, Dominicus Soto et Melchior Canus tenent; et in primis fons eruditionis D. Thom., quem in omnibus sequimur praeterquam in paucissimis, ubi iam passim diversa sententia communior censetur. Mirum autem est, quod, cum has sententias traderemus et studiosi passim de illis disputarent, nihil in nos moverint, sed post annum tandem, quando omnes de illis conticescebant, mortuo iam Illmo et Rmo Nuntio Apostolico Episcopo Vercellensi, repente in nostram doctrinam inquirere coeperint. Ex quo apparet, quid eos ad hoc potuerit com-

movisse. Sed hoc eorum conscientiis et Deo iudici relinquamus. Satis nobis est, constare passim omnibus, a nobis nullam datam fuisse occasionem, cur merito in nos inveherentur, quaesitasque rationes omnes, quibus haec controversia ab initio sine strepitu et alterius partis infamia componeretur. Sed non placuit illis aliter quam censuris agere, e quibus quanta incommoda consecuta sint, nemo non intelligit.

Haec sunt, Illustrissime et Reverendissime Domine, quae pro temporis angustia ad Antapologiam Venerandae Facultatis s. Theologiae Lovaniensis respondenda putavimus. Pauca illa quidem, cum plerumque responsio duplo maior esse soleat obiectione, sed quae coniuncta duabus Apologiis nostris, quas Facultas oppugnavit, sufficere possint ad plenam causae istius instructionem. Et quia haec controversia ad Sanctae Sedis Apostolicae summum Tribunal deducta est, rogamus obnixe Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram, ut quam primum hoc nostrum responsum una cum duabus iam dictis Apologiis ad Suam Sanctitatem transmittere dignetur. Cuius iudicio (ut qui solus sit omnium fidei controversiarum etiam extra Concilium generale infallibilis Iudex), sicut ab initio huius controversiae semper testati sumus, omnia dicta nostra humiliter et ex animo submittimus, ne latum quidem unguem ab eo quod ipse sequendum iudicaverit, recessuri.

Lovanii 17. Octobris 1588.

LEONARDUS LESSIUS,

Societatis Iesu, Sacrae Theologiae Professor in Collegio eiusdem Societatis.

Exemplum hoc Responsi ad Antapologiam Ven. Facultatis sacr. Theolog. Universitatis Lovaniensis collatum et per me infrascriptum Notarium diligenter auscultatum cum suo originali de verbo ad verbum concordare reperi. Ideoque in veritatis test. nomine signoque mei Tabellionatus illud communivi rogatus.

HENRICUS VERLACIUS LINTREN,

Clericus Mechliniensis Dioecesis publicus Apostolica auctoritate atque in Arch. Ro. Cu. descriptus Notarius.

R. P. LEONARDI LESSII

SOC. IESU THEOLOGI

DE DIVINA INSPIRATIONE DOCTRINA

E DOCUMENTIS MAGNAM PARTEM INEDITIS

ILLUSTRATA ET PONDERATA

A

IOSEPHO KLEUTGEN,

SOCIETATIS IESU PRESBYTERO.

1. Quamquam fide catholica certum est, libros canonicos omnes divinitus esse inspiratos; multum tamen inter sacrarum litterarum cultores controvertitur, quae et qualis sit actio illa divina, quam inspirationem dicimus. Quae quidem controversia eo potissimum aucta est, quod sub finem saeculi decimi sexti Academiae *Lovaniensis* et *Duacensis* assertiones e *Lessii* et *Hamelii* scriptis excerptas publica censura notarunt, aliis non paucis Academiis reclamantibus. Inter has enim assertiones tres de sacrarum Scripturarum inspiratione legebantur. Ex illo igitur tempore theologi paene omnes, hanc materiam tractantes, de Lessii assertionibus in utramque partem disputant. Quamvis vero nonnulli paucis saltem adnotarint, a Lessio ipso positiones illas non eo sensu acceptas et defensas esse, quem verba, quibus in Academica censura enuntiantur, prae se ferunt; plerique tamen hujus rei ignari vel negligentes, Lessii doctrinam aut damnant aut tuentur assertionum litterae inhaerentes. Quum igitur mihi ex Archivio Societatis Jesu Romano documenta multa, hanc causam spectantia tradita sint, quorum alia quidem jam a Livino de Meyer typis mandata, alia autem, quoad equidem novi, in lucem nondum prodierunt: operae pretium virisque doctis gratum facturum me esse arbitratus sum, si ex illis documentis demonstrarem, qualis vere fuerit Lessii de inspiratione doctrina, et quid de eadem existimandum sit, disquirerem.

I.

Lessii doctrina qualis fuerit ostenditur.

2. Quum Lessius anno 1586 Lovanii Theologiam primum professus esset, sequenti anno Academia Lovaniensis, instigante *Michaele Bajo* [1], cujus doctrina aliquot ante annis a S. Sede proscripta erat, lectiones Lessii, ab auditoribus calamo exceptas, per-

[1] Cf. Habert, Vabrensis Episcopi et Doct. Sorbonici, Defens. fidei c. 14. § 3.

scrutata est, atque propositiones triginta et unam de gratia, praedestinatione et reprobatione excerptas Lessio exhibendas curavit, ut ediceret, num eas suas esse fateretur. Qui respondit, suas quidem esse, sed mutilas suisque locis avulsas, ut verus sensus difficulter cognosci posset. Itaque ipse doctrinam a se traditam triginta quatuor articulis breviter comprehendit, hosque Universitati exhibens rogavit, ut duos ex suis Doctoribus deputaret, qui secum de ea re coram agerent. Universitas vero, hanc conditionem respuens, post aliquod tempus de propositionibus, non quas Lessius concinnaverat, sed quas ipsa ex auditorum scriptis selegerat, pronuntiavit, et censuram, quam vulgatura erat, Lessio transmisit. Ad triginta unam vero, quas dixi, interim tres alias de Scriptura sacra adjecerat, quae sunt sequentes:

a) *Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium, singula ejus verba inspirata esse a Spiritu Sancto.*

b) *Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae.*

c) *Liber aliquis (qualis forte est 2. Machabaeorum) humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur, ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.*

3. Censura accepta P. Lessius responsum seu Apologiam exaravit, quam una cum censura Romam misit, et postea etiam Academiae Lovaniensi tradidit. Quoniam vero interea censura cum aliis Academiis et nonnullis Episcopis communicata erat, atque Duacensis Academia in easdem propositiones censuram ediderat, Archiepiscopus Mechlinensis petiit, ut Lessius, si qua in re doctrinam suam minus recte expositam aut perperam intellectam esse putaret, sententiam suam clarius patefaceret. Itaque Lessius controversiam ad sex capita, quas *antitheses* nominavit, revocans, quae ipse et quae Doctores Lovanienses docerent, paucis declaravit. Sexta igitur antithesis haec est:

„Nos docemus, ut aliquid sit Scriptura sacra, non esse necessarium, ut omnia verba aut omnes omnino sententiae sint auctori positive et immediate inspirata, *Spiritu Sancto proponente et formante in ipsius intellectu singula verba et singulas sententias scribendas,* sed sufficere, ut auctor hagiographus divinitus instinctus ad scribendum ea, quae vidit, audivit vel aliter novit, habeat infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, quae non permittat eum falli, etiam in iis, quae cognoscit relatione, experientia aut ratione naturali: ab hac enim assistentia Spiritus Sancti habet Scriptura, ut sit infallibilis veritatis. Denique si aliquod opus pium et salu-

tare, humana industria *ex divino instinctu* compositum, *publico testimonio Spiritus Sancti* approbaretur tanquam in omnibus suis partibus verissimum; tale opus habiturum auctoritatem aeque infallibilem atque Scriptura sacra, et recte Scripturam sacram et verbum Dei appellatum iri. Nam ejusdem est auctoritatis epistola a rege dictata et ab eo subscripta. Qui modus, *etsi de facto putem eum non inveniri in aliquo Scripturae canonicae libro*, non tamen est impossibilis."

„Doctores Lovanienses putant haec esse periculosa et accedere ad haeresim Anomaeorum."

4. Sed haec omnia Lessius in Apologia, quam, ut paullo ante dixi, Romam misit, accuratius et uberius explicat. In ea enim haec leguntur:

„*Responsio ad censuram Assertionum de Scriptura.*

„In istis propositionibus non potest esse difficultas, si explicentur sicut alias a nobis sunt explicatae. Nam quod attinet ad duas priores, non negamus Auctores hagiographos, ex peculiari inspiratione Spiritus Sancti, et directione ac assistentia scripsisse; sed hoc tantum dicimus, non fuisse necesse, ut ad singulas sententias, et ad singula verba scribenda habuerint novam et positivam inspirationem ex parte ipsius, id est, *novam illuminationem, qua novo modo cognoscerent* veritates, quas scribebant, et viderent verba, quibus Spiritus Sanctus volebat eos uti; sed suffecisse, ut Spiritus Sanctus *peculiari modo illos excitaret ac impelleret ad scribendum* ea, quae vel audierant, vel viderant, vel alio modo cognoverant, et simul iis *ad singulas sententias ac verba assisteret, et ubi opus esset, dirigeret.*

„Haec sententia visa est mihi probabilior quam contraria. Primo quoniam Evangelistae, ac alii scriptores hagiographi — ad ea scribenda, quae viderant, vel ab infallibilibus testibus audiverant, non videntur eguisse *nova revelatione* illarum veritatum, sicut Paulus, qui non ab hominibus, sed per revelationem Jesu Christi brevissimo tempore didicit doctrinam evangelicam. Joannes enim scripsit, quae vidit, ut patet I. Joannis 1; similiter Matthaeus; Marcus autem, quae audivit a Petro, ut refert D. Hieronymus de viris illustribus in Marco, et Irenaeus l. 3. contra haereses c. 1. et alii Patres; Lucas vero, quae acceperat ab ipsis, qui viderant, ut testatur initio evangelii. Sic multa crediderim scripta ab ipsis Historicis sacris, quae ipsi viderant, vel audierant, vel alio modo certo cognoverant, *absque nova revelatione.*

„2° Probatur adferendo rationem. Quia Spiritus sanctus utitur instrumentis idoneis, prout ea invenit, et sicut in necessariis non deest, ita in sufficientibus non redundat. Atqui tales, qui iam aliquid certo cognoscunt, et habent eloquendi facultatem, sunt idonei ad illa scribenda. Ergo si Spiritus Sanctus velit his ut instrumentis et amanuensibus uti, non est necesse, ut illis *de novo revelet* res istas; sed satis est, ut eligat illos in suos amanuenses, et *excitet peculiari instinctu* ad scribenda ea, quae iam ante cognoverant, ac simul illis *specialissimo modo assistat* in omnibus verbis et sententiis, ut ne minimum quidem errorem committere possint. Quod ut melius explicetur, sciendum est duobus modis posse aliquid scribi ex inspiratione Spiritus Sancti.

„*Primo,* ut Spiritus Sanctus nova inspiratione supernaturali ostendat singulas res scribendas, ac singula verba; et sic scripserunt Prophetae suas prophetias, ut patet Jeremiae 36, qui tanta facilitate prophetias dictabat, ut eas legere videretur.

„*Secundo,* ut Spiritus Sanctus peculiari instinctu excitet, et impellat eum, quem delegit ad scribendum ea, quae antea vidit, audivit, vel alio modo cognovit, et simul assistat in singulis verbis ac sententiis. Et hoc modo probabiliter teneo scripsisse multa Evangelistas et Historicos hagiographos; ita ut non fuerit opus illis nova et positiva inspiratione et illuminatione circa singula. Et eo magis inducor in hanc sententiam, quod haeretici huius temporis ex contrario fundamento, id est, quia putant singula verba Spiritus Sancti positiva et nova inspiratione dictata, conantur probare, libros Machab. non esse Scripturam canonicam, quia l. 2. c. 2. Author dicit, se esse abbreviatorem Jasonis Cyrenaei, et in hoc opere breviando negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsisse, et cap. ultimo veniam petit, si minus convenienter historiae dixit. Unde concludunt hunc librum non esse Scripturam canonicam, quia Scriptura canonica debet esse sine humana industria a Spiritu Sancto immediate dictata et revelata. Adfert hoc argumentum Calvinus in antidoto Concilii Tridentini. Ad quod Catholici respondent, sicut iam dixi; non esse necessum, ut Spiritus Sanctus singulas sententias et singula verba, et verborum sententiarumque ordinem ac structuram, per novam illuminationem et internam locutionem dictet. Nam si ita esset, non diceret Lucas, se scribere ea, quae accepit ab Apostolis, qui viderant, sed quae acceperat a Spiritu Sancto, qui singula de novo dictaverat. Nec Patres dicerent, Marcum scripsisse ea, quae acceperat a Petro, sed quae a Spiritu Sancto. Nec recte diceret Author

2. Machab. se suscepisse negotium plenum vigiliarum et sudoris: quia parum est laborandum ei, cui omnia penitus ita dictantur, ut tantum habeat nudum officium scribendi. Nec etiam recte veniam peteret, si minus convenienter historiae dixisset, quia hoc videretur redundare in injuriam Spiritus Sancti, qui ita omnia dictaverat. Sed satis est in Historicis sacris, ut Deus peculiari instinctu impellat eos ad scribendum ea, quae antea noverant, ac simul infallibiliter illis ad omnia assistat. Per hoc enim non tollitur labor revocandi in memoriam audita, visa et lecta, ac digerendi omnia in ordinem, et aptis verbis, prout iudicaverit esse convenientius, explicandi. Unde etiam fit, ut scriptores eloquentiores eloquentius, minus facundi minus ornate scripserint. Utitur enim Spiritus Sanctus idoneis instrumentis, prout ea invenerit. Confirmari haec etiam ex eo posse videntur, quod non habeamus aliqua certa verba, quibus traditiones a Spiritu Sancto sint expressae; et tamen illae sunt tantae auctoritatis, quanta est Scriptura sacra, ut definit Concilium Trident. sess. 4. decreto de lib. canonicis; ergo non est de ratione auctoritatis sacrae Scripturae, ut omnia verba secundum sonum materialem a Spiritu Sancto sic positive sint inspirata."

5. „*Tertia* propositio, semota parenthesi, videtur mihi esse omnino certa, nisi quaestio sit de nomine. Ponamus enim, aliquam piam historiam ab aliquo pio viro, qui eam optime norit, *ex instinctu Spiritus Sancti scriptam*, qui absque illa singulari assistentia verum scripturus sit, et nullum omnino commissurus errorem; si Spiritus Sanctus postea per aliquem prophetam vel aliter testetur, omnia quae ibi scripta sunt, vera ac salutaria esse; non video, cur talis liber non sit habiturus auctoritatem Scripturae sacrae, cum eandem habeat rationem credendi, quam alia quaevis prophetia, nempe auctoritatem divinam. Eiusdem enim auctoritatis est epistola ab ipso rege dictata, et ab alio dictata, ab ipso tamen rege subscripta. Confirmatur: quia multae sunt veritates naturales in Scripturis, quae priusquam divino testimonio erant confirmatae, non censebantur verbum Dei, nec pertinebant ad obiectum fidei: simulatque autem a Deo per Prophetas vel Apostolos vel alios Authores hagiographos fuerunt confirmatae et assertae, factae sunt verbum Dei et obiectum fidei. Atqui duobus modis potest aliquid asseri et confirmari.

„*Primo* expresse, ut cum verbatim omnia repetuntur, quae ab alio dicta erant: sicut si rex omnia repeteret et assereret, quae ipsius Secretarius scripserat.

„*Secundo* implicite et per compendium, ut cum dicitur, omnia illa esse verissima; qui duo modi in moralibus, et in ordine ad fidem et auctoritatem tribuendam, idem valent; ut patet in omnibus litteris principum. Hoc enim ipso, quo testatur quis omnia esse verissima, censetur omnia illa asserere, et omnia illa censentur verbum ipsius, dictum tamen per compendium. Unde si Spiritus Sanctus per Prophetam testaretur, hanc propositionem esse verissimam: Terra est in medio mundi; non video, cur haec propositio tali testimonio confirmata, non esset tantae auctoritatis, quanta est illa: Terra in aeternum stat: atque adeo cur non esset paris auctoritatis, atque si Spiritus Sanctus ipsam expresse per Prophetam protulisset.

„Dicet aliquis: Ergo epistola Leonis ad Flavianum, quae approbata est in quarta Synodo generali tanquam a S. Petro dictata, et a Gelasio in Concilio septuaginta Episcoporum, erit Scriptura sacra. Nam publico Spiritus Sancti testimonio est approbata tanquam omnibus suis partibus verissima et saluberrima. Respondeo: Non sequi, quia auctoritas, quae isti epistolae accessit, per approbationem istorum Conciliorum, dependens est ex auctoritate verbi Dei. Unde est quodammodo minor. Nam Concilia cum suo capite habent quidem infallibilem assistentiam Spiritus Sancti in definiendis fidei veritatibus; sed deducendo eas ex Scripturis et Traditionibus; ut communiter docent scriptores, et insinuat Concilium Tridentinum sess. 4. cum dicit, verbum Dei scriptum et traditum esse fontem omnis salutaris doctrinae etc. Unde nituntur auctoritate verbi Dei; et hac ratione decreta Pontificum et Conciliorum sunt quodammodo infra authoritatem sacrae Scripturae, quanquam in ordine ad fidem non putem hanc differentiam esse essentialem; sicuti differentia authoritatis articulorum fidei et conclusionum Theologicarum, quae essentialis est.

„Si autem illa epistola tempore Apostolorum scripta fuisset, et a D. Petro vel Paulo, divino Spiritu comprobata, tanquam omnibus suis partibus verissima et saluberrima; videtur mihi parem sacrae Scripturae auctoritatem habitura; sive quis eam velit appellare Scripturam sacram sive non. Nam quaestio videretur de nomine. Scripturam enim sacram generatim voco verbum Dei scriptum. Verbum autem Dei recte vocatur, tam id quod explicite, quam quod compendio Deus per se vel Prophetas suos et Apostolos dixit. Illa enim authoritas, quae isti epistolae accederet, nullo modo dependens esset ex sacra Scriptura, vel traditionibus; sed immediate tantum a Spiritu Sancto, idque tam per-

fecte, quam si Spiritus Sanctus per Apostolum illam expresse dictasset.

„Et *hoc dico, non quod asseram, hunc modum in aliqua scripturae parte servatum;* immo puto *de facto hunc modum in scripturis non inveniri,* sed tantum loquor de possibili. Unde et propositio est conditionalis. Si enim Deus voluisset, potuisset hunc modum in aliqua scripturae parte servare, quia non implicat contradictionem; ac illa esset tam infallibilis authoritatis quam alia.

6. „Ex his patet, quam longe distet haec sententia ab errore Anomaeorum ac Erasmi, qui volebant Apostolos interdum ut homines locutos, id est, aliquando humano more errasse, ac lapsos memoria esse. Ita enim respondebant Anomaei, cum illis aliquid ex Apostolo, vel Scripturis obiiceretur: ‚Apostolus ibi ut homo locutus est,‘ et: ‚Cur nobis obiicis vetus testamentum?‘ — Nos enim dicimus, omnes Scripturae partes esse infallibilis veritatis, et esse a Spiritu Sancto vel nova revelatione inspirante, vel peculiari instinctu excitante, et assistente ad singula verba et sententias, et nec minimum quidem in iis posse esse errorem; quia redundaret in Spiritum Sanctum, ut fuse ostendi alias; et totius sacrae Scripturae authoritas corrueret; etiamsi non sit necessarium, ut Spiritus Sanctus novo modo singula inspiraverit, positive hominem illuminando.

„Unde ad primum testimonium respondeo: Non dicit Concilium Tridentinum loco citato, totam Scripturam esse Dei verbum a Spiritu Sancto dictatum. Fateor tamen esse Dei verbum et a Deo dictatum modo supra explicato: quia scilicet vel a Deo novo modo illuminante ac inspirante dictatum, vel excitante et infallibiliter assistente scriptum, et hi duo modi de facto reperiuntur in Scripturis.

„Ad testimonium D. Petri respondeo: Loquitur de Prophetiis, quae sine dubio positive per novam illuminationem inspirantur.

„Ad testimonium D. Pauli: Scriptura dicitur divinitus inspirata, quia vel positiva et nova Spiritus Sancti inspiratione et illuminatione scripta; qualis sine dubio est maior scripturae pars: vel peculiari instinctu Spiritus Sancti excitantis, ut scriberent ea, quae vel revelatione vel narratione vel experientia noverant, et ad singula peculiariter assistentis.

„Ad ultimum dico. Linguas et manus Scriptorum sacrorum fuisse calamos Spiritus Sancti, non tamen eodem modo omnium. Aliter enim Prophetarum, quibus omnia ita dictabantur, ut solum

laborem scribendi haberent: aliter Historicorum sacrorum, qui debebant etiam industriam humanam adhibere.“

7. Per haec igitur apparet, quod in epistolis ad Bellarminum aliisque nonnullis scriptis, quae in Archivio Romano exstant, Lessius apertius monet, voluisse se per has tres assertiones definire, quid *de ratione* seu *essentia Scripturae sacrae* sit, sive quid requiratur, ut aliquid possit dici verbum Dei scriptum; quam quidem quaestionem discernendam putavit ab hac alia, qua divina inspiratione libri illi, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos veneratur, conscripti sint. Posterius si quaeratur, respondet, conscriptos esse Spiritu Sancto vel revelante seu supernaturali lumine menti scriptoris res et verba ostendente, vel ad scribendum aliunde nota impellente, atque continue assistente et dirigente. Sin quaeratur alterum, quid nimirum necesse sit, ut liber aliquis dici possit verbum Dei scriptum, respondet, librum ex instinctu quidem divino, de cetero autem humana tantum industria, i. e., sine assistentia et directione Spiritus Sancti compositum, fieri divinum et Scripturam sacram, si Deus eum veracem et salutarem esse publica revelatione testatus sit.

Ceterum si Lessius in tertia propositione interiectam illam sententiam: *„qualis forte est secundus Machabaeorum“* tollendam esse dicit; non tamen Doctores Lovanienses accusat, quod eam fraude intruserint, sed in alio quodam scripto, ad sibi obiecta respondens, rem ita explicat:

„Coniecturam illam, qua dicitur, forte librum Machabaeorum humana industria scriptum esse, ex mea sententia non dixi, sed eorum, quos ante retuleram, non tamen probaveram, qui putant, auctorem illum gentilem fuisse et eos libros ab Apostolis et Ecclesia auctoritatem accepisse. Quam sententiam satis indicat *Sixtus Senensis* 8. Bibl. sanct. Haer. 12. resp. ad 7., ubi sic ait: ‚De sententia Hebraeorum circa hos libros, quaecumque ea sit, nihil refert, cum Ecclesia catholica eos in canone recipiat; nec quidquam eorum fidei derogatur, si ab auctore profano scripti sint; cum libri fides non ab auctore, sed ab Ecclesiae catholicae auctoritate pendeat: et, quod illa acceperit, verum et indubitatum esse oportet, a quocumque dictum sit auctore, quem ego neque sacrum, neque profanum ausim affirmare.‘ Haec ille. Hanc tamen sententiam non probavimus, sed diximus, auctorem illum fuisse virum fidelem, qualem decet esse hagiographum. . . Quod autem ad hanc propositionem conditionatam attinet: si aliquis liber humana industria etc. *sentio sensique semper nullum talem*

librum [1] *exstare, qui sine assistentia Spiritus Sancti eiusque excitatione et directione scriptus sit.* Potuisset tamen Deus illo modo, qui hic exprimitur, uti. Volui enim tantum ostendere, rationem Scripturae sacrae consistere in illa summa auctoritate primae veritatis, quae tribus modis alicui sententiae possit applicari: 1mo si Deus aliquid supernaturaliter revelet; 2° si aliquem excitet ad scribenda ea, quae novit, et infallibiliter assistat: et hos duos modos dixi de facto reperiri in Scripturis; 3° si aliquid tamquam verum approbet, quod non aliter probavi, quam quia hoc non implicat contradictionem; attulique coniecturam ex aliorum sententia de libro secundo Machabaeorum. Oportet tamen, ut materia sit Deo digna, ut merito Scriptura s. appellari possit: deinde, ut approbetur tamquam omnibus suis partibus verissima atque adeo recte Deus habeat illud pro verbo suo.

II.

Quid de Lessii assertione prima et secunda existimandum sit.

8. Expedierit, aliqua de terminis, qui in hac materia usurpari solent, praemittere. *Revelatio* etsi per se significet occultae rei manifestationem, divinam tamen revelationem appellamus, quando Deus aliquid non *per ea, quae facta sunt* [2], sed per se ipse manifestat, sive occultum illud fuerit sive aliunde iam notum. Haec igitur revelatio multis modis fieri potest, locutione externa et interna, viso item interno et externo, denique illustranda mente, ita tamen, ut mens non solum iuvetur ad res propria facultate percipiendas, sed rerum notitia divinitus imbuatur. Revelationem enim non intelligimus concursum divinum in operatione creata, sed operationem divinam in mente creata. *Per assistentiam* vero, de qua hic sermo est, Deus sic scribenti adest, ut in seligendis rebus et verbis dirigat; quare duplicem distinguunt, *negativam,* quae errorem removet, et ideo etiam *praeservans* dicitur; et *positivam,* quam alii *suggerentem* dicunt, propterea, quod per eam Deus sive res et sententias tantum, sive verba quoque suggerit. Haec assistentia, etiamsi positiva sit, revelatio putari non debet, cum adeo altera sine altera esse possit. Neque enim semper Deus illi, cui facta est revelatio, in ea referenda assistit; unde revelationes a sanctis quibusdam viris et feminis

---

[1] Intellige: in Scriptura sacra. [2] Rom. 1, 19.

scriptas, etsi factas esse non dubitemus, certa tamen fide, quod ad singula pertinet, non recipimus. Contra vero ei, qui non divinitus revelata, sed naturaliter cognita litteris mandat, Deus assistere potest, ita, ut non solum ab errore tueatur, sed etiam scribenda suggerat. A revelatione denique et assistentia differt *confirmatio* seu *approbatio,* qua liber divinitus inspiratus esse cum auctoritate declaratur. Quare hoc nomine significare solemus sanctionem, qua Ecclesia librum aliquem in canonem SS. Scripturarum refert. Potest autem procul dubio etiam confirmatio appellari, cum Deus ipse de libro testatur; quod quidem testimonium nisi praecesserit, Ecclesia librum pro divino suscipere et in canonem referre nequit.

9. Iam vero his positis quaeritur, quid ipso *inspirationis* vocabulo significetur: quaestio sane difficilis et perplexa. Quandoquidem agitur accurate definire, quaenam sit illa, ut sic dicam, divina qualitas, propter quam Scriptura divinitus inspirata, vel quae illa divina operatio propter quam auctores eius (hagiographi) Spiritu Sancto inspirati dicuntur. Neque tamen concedendum est, verbum *inspirandi* per se ipsum, et in communi usu ambiguum aut obscurum esse. Certe Vulgata nostra per illud reddidit graeca θεόπνευστος [1], et ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενος [2]. Quid vero est θεοπνεύεσθαι nisi *divinitus afflari,* et ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φέρεσθαι, nisi *a Sancto Spiritu agi?* Quare etiam apud profanos scriptores haec duo verba afflari et inspirari promiscue usurpantur. Virgilius de Sibylla, quam alias *afflatam numine* (Aen. 6, 50.) vocat, dicit:

Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates (6, 11. 12.).

Nemo vero dubitaverit, utraque locutione proprie significari vim divinam animo immissam ad insolita et grandia, quae communes vires superant aut superare videntur, excitantem et impellentem. Hoc si tenemus, vocabulum inspirationis, si proprio et vulgari sensu accipitur, significat aliquid tum a revelatione, tum ab assistentia distinctum, illum scilicet impulsum divinum, quo fit, ut homo non tam ex propria deliberatione quam ex instinctu divino agat vel loquatur. Quare apud S. Petrum (l. c.) legimus: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati* (acti, φερόμενοι) *locuti sunt sancti*

---

[1] Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον. . . 2 Tim. 3, 16.

[2] Οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἐνέχθη ποτε προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν Θεοῦ ἅγιοι ἄνθρωποι. 2 Pet. 1, 21.

Dei homines. Iam vero Deus hominem ad loquendum et agendum excitare potest, nulla re nova revelata; potest impellere, nec tamen impulsum dirigere, ne erret, sed multa eius prudentiae et arbitrio permittere. Itaque sicut revelatio sine assistentia et haec vicissim sine illa; ita inspiratio sine utraque esse potest. Verumtamen non ita solet contingere: siquidem Deus, cum hominem insolito modo ad aliquid impellit, lumen quoque singulare infundere consuevit nova revelans, vel certe alias nota collustrans. Quodsi, quae homo ita divinitus motus eloquitur vel scribit, publicae fidei regula esse debent, Deus illi non potest non sic assistere, ut ab omni errore protegat. Atque hinc factum esse opinor, ut vis huius vocabuli inspirationis, etsi prima eius significatio perspicua et certa sit, aliter ab aliis determinetur. Quoniam enim, cum de Scriptura sermo est, inspirationis vocabulo significamus id, quod ei divinam illam auctoritatem conciliat; alii quidem inspirationem dicunt impulsum seu instinctum ad scribendum, alii hunc impulsum una cum lumine supernaturali mentem illustrante, et utrique hi ab ea assistentiam discernunt. Quidam contra eodem vocabulo etiam assistentiam comprehendunt. Nonnulli denique recentiores vim eius ad confirmationem extendunt, adeoque de inspiratione antecedente, comitante et subsequente loquuntur. *Antecedentem* enim vocant divinum ad scribendum impulsum, *comitantem* assistentiam divinam, *consequentem* vero confirmationem. Qui modus loquendi, si tolerari potest, propterea quod ea omnia, quae unius vocabuli „*inspirationis*“ significatione complectuntur, in re ipsa coniuncta sunt; ii tamen contra ius et normam loquendi faciunt, qui vel assistentiam vel confirmationem per se solam inspirationem appellant.

10. Ut iam ad Lessium redeamus, priores duae assertiones, sensu, quem Lessius exposuit, acceptae doctrinam continent, non solum sanam et probabilem, sed ex quo haec quaestio a theologis accuratius tractari coepit, longe communiorem.

Praeter scripta iam allegata exstat aliud quoddam, in quo Lessius ipse statum controversiae, quae sibi cum Academia Lovaniensi erat, paucis exponit [1]. In hoc igitur scripto duae illae assertiones una cum explicatione sic enuntiantur: 1° „Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium, singula eius verba in-

[1] Status causae inter facultatem theologicam Lovaniensem et theologiae professores in collegio Soc. Iesu Lovaniensi excerptus ex censura Facultatis et Apologia professorum Societatis.

spirata esse a Spiritu Sancto, scilicet ea inspiratione, qua Spiritus Sanctus singula verba materialia in mente scriptoris formet.“ 2° „Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae (quales sunt: *Lucas est mecum solus; Trophimum reliqui infirmum*) sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae, scilicet ea inspiratione, qua singularum sententiarum veritatem novo modo cognoscat; quando eas antea ratione naturali vel experientia certo cognoscebat; quamvis opus fuerit excitatione et directione et infallibili assistentia ad scribendum.“

Iam vero hanc sententiam plerisque theologis placuisse nemo, qui eos consuluerit, negabit. Inter recentiores certe perpauci inveniuntur, qui defendendum esse existiment, totius Scripturae sacrae sententias verbaque singula a Spiritu Sancto, cum scriberentur, dictata vel in mente scriptoris formata esse. Ex veteribus autem nonnulli hoc quidem thesi, quam probandam sumunt, asserere videntur; attamen in tractatione thesin ita restringunt, ut a Lessio non dissentiant. Sic *Melchior Canus* statuit quidem, *„singula quaeque sive magna sive parva a sacris auctoribus Spiritu Sancto dictante edita esse;“* paullo tamen post: „Fateor,“ inquit, „non singulas Scripturae particulas, ut a s. Scriptoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus Sancti instinctu afflatuque, vere et iure contendo“ [1]. *Suarez* quoque ponit: *„Est Scriptura instinctu Spiritus Sancti scripta dictantis non tantum sensum, sed etiam verba;“* at positionem mox ita explicat, ut ne illum quidem peculiarem Spiritus Sancti instinctum in singulis quibusvis postulet. „Adverto,“ ait, „duobus modis posse intelligi singula verba Scripturae esse a Spiritu Sancto, scilicet per specialem motionem antecedentem, vel tantum per assistentiam et quasi custodiam. . . Quando auctor canonicus scribit aliquid, quod secundum se humanum est, et sensibus subiacet, satis videtur, quod Spiritus Sanctus illi specialiter assistat et custodiat illum ab omni errore et falsitate, et ab omnibus verbis, quae non expediunt“ [2]. In eandem sententiam *Bellarminus:* „Respondeo: Deum quidem esse auctorem omnium Scripturarum, sed aliter tamen adesse solitum Prophetis, aliter aliis, praesertim historicis. Nam Prophetis revelabat futura, et simul assistebat, ne aliquid falsi admiscerent in scribendo, et ideo Prophetae non alium habuerunt laborem quam

---

[1] De locis theol. l. 2. c. 17. extr. et c. 18.

[2] De fide. Disp. 5. sect. 3. n. 3. 5.

scribendi vel dictandi: aliis autem scriptoribus Deus non revelabat ea, quae scripturi erant, sed excitabat, ut scriberent, quae viderant vel audierant, quorum recordabantur, et simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent" [1].

11. Nihilominus idem Bellarminus in chirographo, quod asservamus, de Lessii assertionibus ita iudicat: „Propositiones tres de Scriptura, ut nude proponuntur, non admodum recte sonant, et calumniis expositae sunt. Tamen priores duas recte exponit P. Leonardus." Itaque doctrinam in hac expositione contentam approbat, non item assertiones ipsas per se spectatas, sive in re quidem Lessio consentit, at non in modo loquendi. Et merito quidem. Quod enim in Scriptura ipsa ab Apostolis docetur et universa Traditio attestatur, id etiam orthodoxi omnes pro explorato fidei dogmate habuerunt semper habentque, scilicet omnem Scripturam sacram divinitus inspiratam esse. Quocirca Ecclesia ubi solemni decreto: „*Unum atque eundem Deum* Veteris et Novi Testamenti, h. e. legis et prophetarum atque evangelii profitetur auctorem," hanc addit rationem: „*quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt:* quorum libros suscipit et veneratur" [2]. Iisdem igitur verbis, quibus Petrus Apostolus de Prophetis loquens usus est, Ecclesia utitur de omnibus Veteris et Novi Testamenti libris. Porro Florentinum Concilium post verba modo recitata ipsos libros suscipiendos recenset; Tridentinum autem hoc decretum renovans anathema dicit ei, qui eos „*libros integros cum omnibus suis partibus*" *pro sacris et canonicis* non susceperit. Quare si libri integri cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis suscipiendi, pro sacris et canonicis autem habendi sunt, quia Deum habent auctorem, Deum denique habent auctorem, quia Spiritu Sancto inspirante conscripti sunt: consequitur profecto, libros canonicos omnes cum omnibus suis partibus divinitus inspiratos esse. Quamobrem dici non potest, ut aliquid sit Scriptura sacra, necessarium non esse, res et verba singula a Spiritu Sancto inspirata esse. Totam enim Scripturam sacram cum omnibus suis partibus inspiratam esse, extra omnem controversiam est: hoc solum quaeritur, quid inspirationis nomine significetur; et siquidem inspiratio plura complectatur, num omnia in omni Scripturae parte admitti debeant.

12. Ideo Lessius ipsa, qua se defendit, expositione thesium, has non accurate enuntiatas esse demonstravit. Duplex enim

---

[1] De Verbo Dei l. 5. c. 15. [2] Conc. Florent. Decr. pro Iacob.

dixit genus esse inspirationis, alterum, in quo cum divino afflatu et impulsu revelatio aut certe lumen supernaturale, res et verba singula ostendens, alterum, in quo assistentia tantum custodiens et dirigens coniuncta sit. Si igitur posterior haec etsi inferior, vera tamen inspiratio, ea autem in omni parte Scripturae sacrae admittenda est; non est simpliciter negandum, omnia in Scriptura inspirata esse, sed addendum est aliquid eorum, quae Lessius in expositione dixit. Verum est, facile a viris doctis adverti potuisse, cuius generis inspirationem Lessius non necessariam asserat. Nam si per priores assertiones etiam secundam illam inspirationem, h. e., impulsum divinum cum infallibili assistentia, excludere voluit: ad quid addidit tertiam propositionem, quae, hoc posito, nihil adiungeret? Atqui manifestum est, tres positiones velut gradus esse, per quos ad infimum descenditur. Nihilominus negari non potest, assertiones illas duas, si verba premantur, falsas esse; et ideo dixit Bellarminus, nude propositas non recte sonare et sinistrae patere interpretationi. Neque a viro doctissimo in modo loquendi aliquid commissum esse mirabitur, qui consideret, hanc quaestionem, in quo sita sit ratio seu natura inspirationis, eo primum tempore subtilius tractari coepisse. Quoties enim summos etiam Ecclesiae Patres sic defendere debemus, ut demonstremus reipsa a vera doctrina non deflexisse, etsi in quaestione nondum eliquata et definita non semper rectissime loquerentur?

III.

Quid de tertia assertione.

13. Omnes tres Lessii assertiones nude propositas Bellarminus iudicavit minus recte sonare et calumniis obnoxias esse: cum vero priores duas, ut a Lessio explicabantur, probaret, de ultima adiecit: „Pro tertia scripsit (P. Leonardus) nuper apologiam et quamvis mihi non plene satisfecerit, tamen ut ab eo modificatur et temperatur, tolerabilis videtur.“ Lessius hanc positionem duobus temperavit. *Primo* enim declaravit, nolle se per eam indicare, quem modum Deus in libris sacris, quos veneramur, condendis servaverit, sed quem servare potuisset; *secundo* adiecit, librum, de quo in thesi, etsi industria humana sine peculiari Spiritus Sancti assistentia, tamen ex huius impulsu conscriptum esse. Demonstravit autem, huiusmodi librum, si Deus revelaret, omnia in illo contenta et salutaria et vera esse, auctoritate donari non

minus certa, quam Scripturae sacrae. Qua igitur de causa defensio eius Bellarmino non satisfecerit? Ideo, credo, quia in assertione defendenda non legitur: „efficitur *certissimus*,“ vel efficitur *regula credendi* certissima“; sed „efficitur *Scriptura sacra*“: in quo discrimen est permagni momenti.

14. Quid enim sibi vult „efficitur Scriptura sacra“, nisi: efficitur liber eius generis, quales sunt libri ab Ecclesia pro sacris et canonicis recepti, ita ut his, si Ecclesiae de divino illo testimonio per traditionem constaret, accenseri posset? Itaque quod quidem Lessius ipse notavit, quaeritur hic *de ratione* seu *natura Scripturae sacrae.* Ea autem quaestio non ex sola libri auctoritate et certitudine, sed primo et maxime ex eiusdem *origine*, et, quae hanc consequitur, *dignitate* solvenda est. Si enim quaeras, quid sit Scriptura sacra; Lessius ipse cum eadem Scriptura et universa traditione respondet, esse *verbum Dei* scriptum, atque ideo etiam ostendere conatus est, librum, qualem finxit, recte appellari verbum Dei. Quod si ei concesserimus, ulterius inquirendum est, eodemne modo dici possit verbum Dei, quo Scriptura sacra dicitur. Etenim si constiterit, Scripturam sacram verbum Dei dici, quia a Deo processit; liber, de quo loquitur Lessius, etsi eiusdem auctoritatis ad certitudinem fundandam, non tamen esset eiusdem naturae ad dignitatem conciliandam. Quod nos quoque similitudine regis illustremus. Si enim rex in hominem quempiam auctoritatem filii transtulerit, iubens in omnibus ei tamquam sibi obtemperare; quin etiam si eundem adoptione filium faceret: plurimum tamen inter hunc adoptatum et naturalem filium interesset. Itaque etiamsi hominis scriptum Deus non solum tamquam verissimum approbaret, sed etiam tamquam suum accipi iuberet; hoc tamen scriptum ab eo, quod ipsa origine divinum esset, vehementer differret.

15. Iam vero si hac de causa quaestio ad id revocanda est: sitne Scriptura sacra ipsa origine verbum Dei; post ea, quae iam attulimus, non multum nobis laborandum est. Dicitur enim Scriptura divinitus inspirata, quia „Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Dei homines“. Quodsi ex propria vi et potestate vocabuli non constaret, ea tantum dici divino afflatu fieri, quae Deo in homine et per hominem agente fiunt; neque certum esset, quod B. Petrus de prophetis dixit, de universis sacris scriptoribus verum esse: utramque tamen dubitationem Ecclesiae oraculum nobis eximeret, utpote declarans, propterea, quod Sancti afflante divino Spiritu loquuti sint, Deum ipsum esse omnium sacrorum voluminum

auctorem; hoc enim in decreto Florentino paullo ante prolato legitur. Quo sane efficitur, ut inspiratio eiusmodi putanda sit divina in homine operatio, qua Deus constituatur libri causa principalis, homo vero causa subiecta et velut instrumentum.

16. In qua tamen sententia notandum est, aliter res inanimas et brutas, aliter animalia ratione utentia Dei esse et dici instrumenta. Illa enim providentia, quae sic a fine usque ad finem attingit fortiter, ut disponat omnia suaviter, quemadmodum in rerum cursu communi creata singula secundum cuiusque naturam dirigit: ita etiam, cum praeter consuetum ordinem per res creatas operatur, proprias earum facultates et vires harumque usum nec tollere nec perturbare, sed suae tantum operationi subiicere solet. Ex quo Lessius, primam et secundam assertionem defendens, bene collegit, inspiratione divina scriptoris industriam non excludi. At vero si hinc iure inferimus, Deum vere dici posse causam primariam et auctorem libri, etiamsi cum impulsu divino non semper lumen, quod scribenda revelet, sed aliquando solum assistentia, quae scribentem dirigit, coniuncta sit: non tamen concludi potest, etiam solam assistentiam sine instinctu divino aut vicissim divinum instinctum sine assistentia sufficere, ut Deus libri auctor nominetur. Qui enim scribenti tantum assistit, efficit quidem, ut quae scribuntur, recte scribantur, non vero, ut scribantur; auctor igitur est, non libri ipsius, sed veritatis vel praestantiae eius; et qui ad scribendum impellit, in ipsa vero scriptione scribentem sibi prorsus relinquit, efficit quidem, ut scribatur, sed non ut ea, quae ipse vult, modo, qui ipsi placet, scribantur. Tametsi ergo ipsius scriptionis causa aliqua sit, non tamen scripti causa est eiusmodi, ut hoc ei tamquam proprium tribui possit. Et sane quis unquam hominem, qui alium ad scribendum excitaverit, nihil vero praeterea contulerit, auctorem libri appellabit?

17. Quamobrem etiam Lessius librum sola humana industria compositum, non ideo, quod homo ad scribendum eum divinitus impulsus, sed ideo, quod Deus librum veracem esse testatus sit, verbum Dei dici posse argumentatus est. Ad hoc vero persuadendum constanter utitur exemplo epistolae, quae, etsi a rege non dictata, regis tamen esse iure dicatur, propterea quod a rege subscripta sit; et hoc argumentum recentiores plurimi repetunt. Quos miror non vidisse, aliud esse, epistolae, quam non dictaveris, nomen tuum subscribere, aliud alieni scripti veritatem testari. Quoniam enim epistola sua natura sermo est ad absentem, nomen tuum subnotando tu ipse iam hunc sermonem ad

eum, cui epistola destinata est, dirigis adeoque eam vere tuam facis. Quod profecto de eo, qui, quae alius scripsit, vera esse testatur, dici non potest: nisi forte censor publicus, quoties librum non solum edi in lumen permiserit, sed etiam quae eo continentur disertis verbis probaverit, auctor libri dicendus sit. Quare et hoc addemus, epistolam a rege subscriptam regis quidem epistolam esse, non ita tamen, ut rex quoque auctor eius dici possit. Ut enim auctor sit, necesse est, ut saltem eam fieri iusserit, et scribenda indicaverit. Nullus autem liber Scriptura sacra vocari potest, cuius Deus non est auctor. Et hac de causa illa locutio: „Scriptura sacra efficitur" secum ipsa pugnat. Quoniam enim haec est ratio Scripturae sacrae, ut Deum habeat auctorem; liber nullus nisi *origine* Scriptura sacra esse, neque cum origine non est, postea fieri potest.

18. Quare Lessius, ut supra dixi, in hoc defecit, quod inter *auctoritatem ad fidem faciendam,* quam liber testimonio divino de eius veritate utique summam acquireret, et inter *dignitatem,* quam Scriptura sacra ex *divina origine* habet, non distinxit. Quod quidem postea ipse intellexit. In scripto enim, quo ad „nova adversariorum argumenta" respondet, non esse, inquit, premendam vocem, qua in assertione usus sit *Scripturae sacrae;* cum nihil aliud affirmare voluerit, nisi librum eiusmodi non minus certa fide, quam ipsum verbum Dei suscipiendum esse. In *statu* vero *controversiae,* cuius supra mentionem feci, tertiam assertionem sic enuntiat: „Si aliquod opus vel sententia, humana industria sine illa infallibili Spiritus Sancti assistentia scripta, a Spiritu Sancto postea approbetur tamquam vera et salutaris, efficitur Scriptura sacra, *nempe quoad infallibilem auctoritatem,* independentem a Scriptura sacra. Ubi notandum est, opus illud continere debere materiam Deo dignam; nec excluditur excitatio Spiritus Sancti ad illud scribendum, sed solum infallibilis assistentia. Hic tamen modus in nulla Scripturae parte reperitur, sed non implicat."

Bellarminus vero *summam controversiae* [1], cum haec ad S. Sedem delata esset, exponens, de hac tertia propositione sic loquitur: „Addidit (Lessius) quod potissimum Censores offendit, fore etiam Scripturam sacram sine assistentia Spiritus Sancti, si postea divino aliquo testimonio constaret, nullum esse in eo libro errorem. Quae controversia non videtur magni facienda, cum non sit

---

[1] Asservatur in archivio Romano cum reliquis libellus „Summa controversiae" inscriptus et a Bellarmino propria manu subnotatus.

de facto, sed de possibili, *et auctor explicuerit, se voluisse dicere, librum illum fore Scripturam divinam quoad auctoritatem infallibilis veritatis, non autem simpliciter.* Quod quidem negari non potest, si ponatur (ut ipse ponit), Deum ipsum immediate revelare Prophetae alicui, in eo libro nullum esse errorem, et haec revelatio per Ecclesiam approbetur."

19. Itaque Lessius ipse tertiam assertionem ita temperavit, ut iam sic enuntianda esset: „Liber ex instinctu quidem Spiritus Sancti, sed sine eius assistentia speciali conscriptus, si Spiritus Sanctus postea publice testetur, omnia in eo contenta salutaria et vera esse, efficitur, etsi non simpliciter, tamen quod ad auctoritatem infallibilem pertinet, Scriptura sacra." Cui sententiae non credo quemquam fore, quin cum Bellarmino subscribat, etsi cum eodem fateatur, non magni eam momenti esse.

Quamquam etiam quod ad „auctoritatem illam infallibilem" attinet, notatu dignum est discrimen. Liber enim, ex instinctu quidem Dei, sed sine speciali eius assistentia conscriptus eiusmodi auctoritatem ex sese non habet, sed testimonio divino de eius veracitate extrinsecus accipit. Contra liber Deo movente et assistente confectus adeoque vere inspiratus et ipsa origine Verbum Dei natura sua ab omni suspicione erroris immunis summaeque ad fidem faciendam auctoritatis est.

IV.

De sententia Lessii apud alios theologos.

20. Censent theologi communiter, non solum priores duas, quas plerique amplectuntur, sed tertiam quoque Lessii assertionem in earum numero esse, quae libere in scholis catholicis disceptantur. Et merito. Causam enim suam Lessius ad Sedem Apostolicam detulit; et quamvis de nullo huius iudicio ex authenticis documentis constet; constat tamen Lessii appellationem admissam et controversiam a privatorum et Academiarum disceptationibus ad Romani Pontificis tribunal avocatam esse. In edicto enim *Octavii* Episcopi Calatini, Nuntii Apostolici, d. 10. Iul. 1588. vulgato, cuius plura exempla typis excusa in Archivio S. I. cum reliquis documentis asservantur[1], mandatum legimus: „ut nemo ... de his assertionibus controversis in alterutram partem ita dispu-

---

[1] Exstat etiam apud Livinum de Meyer l. c. cap. 13.

tare ... attentet, ut ausu temerario eas haereticas, offensivas, et periculosas esse, et qui eas asserunt, alicuius haeresis labe aut suspicione contaminatum iri, donec auctoritate Apostolica mature definitae fuerint, affirmare praesumat.“ Etsi vero ipsum hoc mandatum a Nuntio impositum non omni in loco ligandi vim haberet; recte tamen theologi existimaverunt, temeritatis futurum esse, ut in eodem illo edicto dicitur, „lectionibus scriptisque privatis sententiam damnare, quam S. R. Ecclesia, omnium Ecclesiarum magistra et salutaris disciplinae doctrix, non damnavit.“ Qua de causa, qui Lessii sententiam impugnabant, a censura tamen inferenda modeste abstinuerunt.

21. Atvero si nonnulli scriptores referunt, tertiam quoque Lessii assertionem postea a plurimis et gravissimis theologis admissam esse, a vero longe aberrant. Certe, quos nominatim citant, Melchior Canus, Bellarminus, Bonfrerius, Cornelius a Lapide, Mariana, Richardus Simon, Dupin, Calmet, Frassen, si unum alterumque excipias, primae quidem et secundae assertionis doctrinam (sic tamen, ut a Lessio in apologia exposita est) amplectuntur, tertiam vero nequaquam. Atque de *Melchiore* vel *Bellarmino* post ea, quae supra in medium attuli, non est sane, cur loquamur. *Cornelii* sententia haec est: „Spiritus Sanctus non eodem modo dictavit omnes sacras litteras: nam legem et prophetias ad verbum revelavit et dictavit Moysi et Prophetis; historias vero et morales exhortationes, quas antea vel visu vel auditu vel lectione vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse inspirari aut dictari a Spiritu Sancto. Dicitur tamen Spiritus Sanctus ea quoque illis dictasse, 1° quia scribentibus astitit, ne vel in puncto a veritate aberrarent; 2° quia eos excitavit et suggessit, ut haec potius scriberent quam illa. Conceptum ergo et memoriam eorum, quae sciebant, non eis ingessit Spiritus Sanctus, sed inspiravit, ut hunc potius conceptum quam illum scriberent. 3° Quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus Sanctus. . . Hoc enim proprie est librum concinnare et conscribere et hac ratione proprie sacrorum librorum auctor dicitur Spiritus Sanctus.“ [1] *Mariana* tertiam Lessii assertionem ne verbo quidem attingens sententiam de inspiratione, quam probat, sic enuntiat: „Pleraque (hagiographos) inflatu Spiritus divini excepisse sine ulla cura aut labore, alia ex memoria depromta scribentis, ex ratione vel experientia,

[1] In 2. Tim. 3, 16.

semper tamen Spiritus numine praesente, ne lapsus contingeret" [1]. *Dupin* tantum abest, ut opinionem, de qua sermo est, defendat, ut Cornelium a Lapide de laxiori doctrina accuset, licet immerito. Hic enim etiam in rebus historicis et obviis conceptus omnes et sententias a Spiritu Sancto suggeri et ordinari docet; cum Dupin in his assistentiam tantum, quae ab errore custodit, postulet. Hanc tamen vult actionem esse in voluntatem et intellectum, supernaturalem, constantem et certissimam, quae nunquam effectu frustretur [2]. *Calmet* postquam varias aliorum opiniones, etsi non satis distincte, protulit, sic pronuntiat: „Sacros interdum auctores, ut divinam sibi vindicarent auctoritatem, Spiritus Sancti, a quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis et praesentiae tantummodo indigos fuisse, fatemur." [3] Quid est, „interdum directionis et praesentiae tantum indigos fuisse," nisi non semper necessariam fuisse revelationem vel suggestionem? Hoc igitur unum concedens, postulat in rebus omnibus Spiritus Sancti assistentiam eiusmodi, quae sit directio et praesentia. *Frassenii* verba haec sunt: „Scriptoribus sacris Spiritus Sanctus assistit tripliciter: *antecedenter* cum inspirat, revelat aut demonstrat scribenda; *concomitanter*, dum scribentis mentem et manum ita dirigit, ut in nullo eam errare permittat; *consequenter* vero, dum aliquid humano spiritu et a profano auctore conscriptum assumitur a Scriptore canonico in testimonium eorum, quae scripsit, ut Act. 17. et ad Tit. 1." [4] Iam vero, quod postremis verbis, nemine sane repugnante Frassen asserit, id ad defendendam quidem opinionem Lessii, ut mox videbimus, a nonnemine usurpatur, sed hanc opinionem certe non continet.

22. Supersunt *Richardus Simon* et *Bonfrerius*. Prior omnes tres Lessii assertiones easque, ut in Censura Academiae positae sunt, erudite, ut solet, sed minus acute defendit, hoc uno contentus, quod eiusmodi liber a Deo approbatus omni erroris suspicione careret [5]. *Bonfrerius* non minus certe subtilis, quam doctus scriptor docet, librum humano spiritu absque Spiritus Sancti ope conscriptum, si postea Spiritus Sanctus testaretur, omnia in eo scripta vera esse, fore Dei Verbum et eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cetera inspiratione vel directione

---

[1] Tract. varii. Tr. 2. Pro edit. Vulgata. [2] Dissert. praelim. c. 2. P. 7.

[3] Ad 2. Petr. 1, 21. Dissert. de div. lib. inspiratione art. 2.

[4] Disquis. biblicae l. 1. c. 1. § 4.

[5] Hist. crit. du N. T. ch. 23. et 24.

eiusdem Spiritus Sancti conscripta. Quibus satis patet, Bonfrerium quoque ad certitudinem solam veritatis, non vero ad omnem proprietatem et dignitatem Scripturae sacrae respexisse. Mox autem subiungit: „Hoc tertio modo etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis, quos habemus, s. Scripturae libris, absolute tamen nihil vetat uti" (Pentat. Proleg. c. 8.). Affert deinde praeter exemplum regii mandati, a rege non scripti, sed sigillo muniti, argumentum ex Scriptura ipsa sumptum: „Quemadmodum Spiritus Sanctus, sententiam quamquam profanam ab ethnico et impio homine prolatam aut scriptam, potest reddere Scripturam sacram et verbum Dei, eam probando et veram esse asserendo, et ita de facto fecit (Act. 17. Tit. 1.); pari modo integram historiam vel librum aliquem sive de moribus sive de re quapiam alia tractantem, quamquam initio profano spiritu scriptum, potest Spiritus Sanctus Scripturam sacram reddere, asserendo vera esse omnia, quae in eo libro habentur."

23. Adversus hanc vero argumentationem valet, quod supra dictum est, approbare aliena non esse idem atque aliena sua facere. Quare, si proprie loquamur, neque Arati sententia: *Ipsius et genus sumus*, neque Epimenidis: *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri*, verbum Dei factae sunt; sed verbum Dei est attestatio Pauli, has sententias veras esse. Neque enim effata aliena, quae scriptor tamquam aliena suis inserit, propterea quod illa approbat, ipsius effata fiunt; nisi forte Aristotelis dicta effecta sint verba omnium eorum, qui ea laudaverunt. Nihilominus, quae ab homine pronuntiata sunt, fieri possunt vere verbum Dei, quando scilicet Deus per scriptorem inspiratum ea non ut aliena citat, sed ut sua assumere dignatur. Si v. g. nonnullae sententiae Salomonis iam a viro quopiam sapienti dictae erant; factae tamen sunt verbum Dei, ex quo Spiritus Sanctus per Salomonem eas elocutus est. Atque hoc modo fieri potest, ut Moyses aliique historici ex libris sola humana industria scriptis aliqua assumserint, id quod ab auctore libri secundi Machabaeorum factum esse nonnulli existimant, propterea quod is Iasonis Cyrenaei libros a se contractos esse dicit (2, 24).

24. Ex omnibus igitur, quos pro tertia Lessii assertione appellant, duo tantum, Rich. Simon et Bonfrerius, eam admiserunt. Antea vero quam quosdam aetatis nostrae scriptores audiamus, commemoranda est expositio, quam apud auctorem, qui nunc ad manus non est, legere memini. Ut liber aliquis inspiratus sit, non, ait, requiri, ut scriptor actionem in se divinam expertus

fuerit, sed satis esse, hanc reapse adfuisse. Quare si vir pius divina gratia excitante librum componere instituat, atque eadem gratia adiuvante, sic absolvat, ut salutarem doctrinam nullo admixto errore tradat; fieri posse, ut Deus longo etiam post tempore eum librum divinitus inspiratum esse revelet. Quod si contigerit, librum inter sacros ab Ecclesia adnumerandum esse. Quapropter nihil obstitisse, quominus liber, qui pro divino a Synagoga habitus non erat, ab Apostolis coelesti revelatione edoctis Ecclesiae tanquam canonicus traderetur. Haec vero, quamvis ingeniose excogitata, dubito tamen, an ecclesiasticae de inspiratione doctrinae consentiant. Secundum hanc enim, ut vidimus, inspiratio talis est divina operatio, qua Deus ipse libri auctor constituitur. Atqui cum gratia divina movente et adiuvante liber conscribitur, scriptionis quidem Deus auctor est, haud secus atque omnium bonorum, quae pii homines exequuntur, operum. Attamen, etsi qui scriptionis est causa, libri quoque causa sit, non tamen eo sensu auctor libri dici potest, quo Deus ab Ecclesia librorum sacrorum auctor esse definitur. Alioquin si satis esset, librum Dei gratia stimulante et opitulante scriptum esse, piorum scriptorum opera paene omnia, in quibus salutaris doctrina nullo corrupta errore traditur, inspirata dicenda essent: quod quam alienum ab Ecclesiae mente et definitione sit, per se quisque intelliget. Ex hac enim sic Deus est auctor librorum sacrorum, ut hi sint vere et proprie Dei eloquia ad homines. Non igitur communis illa motio, qua iusti ad bona opera excitantur, neque communis assistentia, qua ad ea sine errore absolvenda iuvantur, sed singularis quaedam et motio et assistentia requiritur. Quodsi quis quaesierit, qua re singularis haec motio et assistentia a communi discernatur; non existimo discrimen omne in eo reperiri, quod motio sit eiusmodi, cui scriptor certissime obtemperet, et similiter assistentia talis, ut ea eaque sola, quae Deus vult, litteris mandet; sed discrimen potissimum repetendum esse ex illo summae pietatis consilio, quo Deus statuit, huiusmodi scripto sermonem ad homines habere iisque fidei et morum normam per semetipsum tradere.

25. Iam vero his, quae modo dicta sunt, magis semper cognoscitur, quam longe a catholica sententia remota sit opinio, quae apud nostrae aetatis scriptores non paucos reperitur. Sola aiunt Ecclesiae approbatione et acceptatione fieri, ut liber quispiam pro sacro et inspirato merito habeatur. Etsi enim sine speciali motione et assistentia Spiritus Sancti conscriptus sit, si

tamen Ecclesiae iudicio omnia et singula, quae continet, vera et Deo digna sint, ab eadem Ecclesia pro divino et inspirato acceptari et in Scripturae canonem referri posse. Hanc putant esse illam Lessii sententiam, quam Lovaniensis quidem et Duacensis Academiae reprobaverint, Sancta vero Sedes a censura liberaverit eamque ex illo tempore a plurimis theologis admissam esse contendunt.

26. Verumtamen demonstratum a nobis est, assertionem illam, quam Academiae reprobarunt, a Lessio pro sua agnitam non esse, nisi temperamentis quibusdam adhibitis. Primo enim declaravit, ex sua sententiam nullum Scripturae librum humana tantum industria confectum esse: neque enim de eo, quod factum sit, sed de eo, quod fieri possit, sermonem sibi esse. Deinde si, ut liber inspiratus dici possit, non iudicavit necessarium esse, ut cum speciali Dei assistentia conscriptus sit, opus tamen esse, diserte et iterato declaravit, ex speciali Dei impulsu confectum esse. Vidit enim profecto, quam absurde liber divinus et inspiratus diceretur, ad quem conficiendum Spiritus Sanctus non aliter, quam ad quaevis opera pia, concurrisset. Atqui recentiores, de quorum opinione loquimur, non solum assertionem illam tertiam, quam Academiae censura notarunt, duplice hoc temperamento neglecto profitentur, sed insuper in eadem publico Dei ipsius testimonio Ecclesiae approbationem substituunt. Atque si Lessius perperam iudicavit, librum humana industria compositum hoc solo, quod Dei testimonio probaretur, verbum Dei, quale est Scriptura, effici, multo certe magis falluntur, qui hanc, ut ita dicam, vim commutandi librum humanum in divinum Ecclesiae testimonio de eius veracitate utut Dei assistentia infallibili, attribuunt. Si enim ipsa Ecclesiae verba, quibus salutarem doctrinam solemni iudicio assistente Spiritu Sancto definit, tametsi fidei divinae regulam infallibilem exhibeant, non tamen sunt eloquia Dei vel Scriptura sacra, multo certe miuus ad hanc dignitatem per eius approbationem scripta hominis pii, sed non inspirati, elevantur.

Quapropter tantum abest, ut haec opinio, a plerisque theologis, qui post Lessium scripserunt, admissa et defensa sit, ut si forte verbis Sixti Senensis supra recitatis contineri videatur, dubitem tamen, an apud ullum alium scriptorem ecclesiasticum, qui eruditionis et orthodoxiae fama sive ante sive post Lessium floruerit, inveniatur. Nova potius et usque ad hoc nostrum saeculum inaudita est.

27. Neque sane haec est, quam S. Sedes vetuit temeritatis

aut alia censura notari. Quaecumque enim Papa statuit, de illa opinione statuit, quae ad eius tribunal delata est. Non est autem delata isthaec, de qua nemo tum cogitabat. Immo vero dubitari merito potest, num mandatum Pontificium de opinione Lessii, qualis in censura Academiarum legitur, an non potius de ea tantum, quam Lessius in Apologia suam esse fassus est, interpretandum sit. In illa enim *Summa controversiae* quae a Bellarmino subscripta, una cum Censura academica et Lessii Apologia Summo Pontifici exhibita est, singulae assertiones, quae in Censura notantur, e mente Lessii declarantur, ultima vero, quae est tertia de Scriptura sacra: verbis a me supra (n. 18.) allatis exposita, subiicitur:

„Circa has controversias Professor ille Societatis, qui primus iudicium Sedis Apostolicae appellavit, non petit definiri, utra pars sit verior (id enim fortasse longiorem discussionem desideraret), sed solum, utra pars sit tutior, vel certe, an doctrina ipsius libera sit ab errore et temeritate."

Liquet igitur, non Academiam Lovaniensem, sed Lessium S. Sedis iudicium requisivisse, requisivisse autem de ea doctrina, quam ipse in his apologeticis scriptis profitetur. Quae cum ita sint, qui Lessii assertiones de s. Scriptura sine temperamentis, de quibus dictum est, defendunt, immerito se S. Sedis sive iudicio sive mandato tueri conantur; quanto magis illi, qui etiam audaciora addunt!

Haec ante scripseram, quam in Vaticano Concilio Constitutio de fide Catholica prima ederetur. Quae quidem cum Ecclesiae de libris sacris eorumque inspiratione doctrinam declaret; de hac declaratione eo magis aliqua addenda esse existimo, quod in nonnullis doctorum virorum ephemeridibus legi, Lessii de sacra Scriptura sententiam a Vaticana Synodo damnatam esse.

V.

Quaenam S. Synodus Vaticana de Scriptura et inspiratione docuerit.

28. Postquam in Constitutionis modo commemoratae capite secundo S. Synodus de revelatione dixit, qua „Deus seipsum et aeterna voluntatis suae decreta humano generi manifestare" dignatus est; subiungit:

„Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt [1]. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt."

29. Concilia catholicam doctrinam declarare solent, quatenus haereses, ad quas exstirpandas congregata sunt, requirere videntur. Quum igitur saeculi XVI. haeresiarchae solam Scripturam pro verbo Dei et fidei divinae regula habendam esse statuerent; ipsius vero Scripturae libros nonnullos repudiarent, ac denique de vetere Testamento irreverenter loquerentur: Tridentini Patres Traditionem divinam expressius asseruerunt, natura eius et ratione declarata, vetus ac novum Testamentum pari pietatis affectu venerandum esse sanxerunt, librorum quoque singulorum, qui pro sacris et canonicis suscipiendi sunt, indicem subtexuere; at vero de horum inspiratione, ut quae minime negaretur, nihil adiecerunt. Contra Vaticana Synodus his de *Traditione* et *Canone* decretis breviter renovatis accuratius declaravit, quid sit illud, quo libri hi sacri et canonici constituantur; de hoc enim post Concilii Tridentini tempora et maxime hac nostra aetate erroneae et peregrinae opiniones invalescere coeperunt. Eam igitur ipsam quaestionem definivit, quam Lessius suis assertionibus, ut ipse dixit, solvere voluit, *quid sit de ratione et essentia Scripturae.* Sed tamen Synodus decernit, qua de causa Ecclesia veteris novique foederis libros, quos veneratur, pro sacris et canonicis habeat, quae est *quaestio facti;* cum Lessius examinet, qua de causa liber quispiam pro sacro et canonico haberi possit, quae est *quaestio iuris.* Itaque vel propter hanc rationem Concilium non Lessii assertionem reprobavit, dicens: libros in decreto Tridentino re-

---

[1] Conc. Trid. sess. IV. Decr. de can. Script.

censitos non ideo ab Ecclesia pro sacris et canonicis haberi, quod licet primitus sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate approbati sint. Sed nos aliis quoque rationibus ostendimus, opinionem hanc, quam recentiores utique haud pauci profitentur, Lessio falso attribui; id quod etiam in pleno Patrum consessu Reverendissimus Vincentius Gasser Episcopus Brixinensis, cum de hoc decreto ex Patrum deputatorum mandato referret, aperte edixit et copiose demonstravit. Nequaquam igitur haec fuit mens Concilii, Lessii opinionem reprobare.

Reprobavit autem praeter illam, de qua modo, hanc alteram, quae rationem omnem Scripturae sacrae in eo reponit, quod revelationem divinam sine errore contineat. Revelationem divinam saepe appellamus doctrinam a Deo revelatam. Quodsi ad rationem Scripturae sacrae sufficeret, eiusmodi doctrinam nullo admixto errore continere, symbola et definitiones Conciliorum ac Romanorum Pontificum, quin etiam piorum virorum de religione scripta, quae Ecclesiae iudicio ab errore immunia fuerint, sacris Bibliis possent accenseri, quod quam falsum sit obvio exemplo patebit. Liber enim, qui Confucii vel Aristotelis doctrinam, re nulla ab hac aliena admixta, exponit, non ideo Confucii vel Aristotelis scriptum dici potest. Non est autem Scriptura sacra nisi quod est verbum Dei scriptum. Sed etiamsi revelationis vocabulo, non res et sententias, quas Deus tradidit, sed ipsa Dei dicta sive eloquia significes, non tamen recte affirmaveris, librum ideo ab Ecclesia pro sacro et canonico haberi posse, quod revelationem divinam sine errore contineat. Liber enim omnino non iis, quae continet sive *materia,* sed sola *origine* sua vere est liber seu verbum Dei. Hinc in Concilii decreto reiecta duplici, quam consideravimus, opinione, tanquam id, quod nobis tenendum est, adiungitur: *sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem.*

30. Ut iam disputatio nostra eo redeat, unde exorsa est, tametsi hoc quoque decreto, quid sit inspiratio, non definiatur directe, manifeste tamen eo continetur, quod supra ex aliis monumentis derivavimus, esse scilicet actionem divinam talem, qua Deus sit libri causa principalis, homo vero (hagiographus) veluti instrumentalis. Et quoniam haec actio, ut quivis facile perspexerit, est eiusmodi, quae nisi Deo revelante, certo cognosci nequit, ideo additur: *atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.* Vera igitur, et fide divina tenenda sententia haec est: „Ecclesia libros novi et veteris Testamenti in Tridentino decreto recensitos ideo

pro sacris et canonicis sive pro Scriptura sacra habet, quod a Christo et Apostolis edocta est, illos Spiritu Sancto inspirante conscriptos Deum habere auctorem." Ex contrariis autem opinionibus ea, quae a recentibus quidem nonnullis scriptoribus defensa, falso autem Lessio attributa est, scilicet aliquos ex sacris libris, etsi fortasse mera industria humana conscriptos, propter subsequentem Ecclesiae approbationem pro sacris et canonicis haberi, iam haeretica censenda est, utpote dogmatico Ecclesiae decreto repudiata; illa vero opinio, quam Lessius suam esse fatebatur, librum ex impulsu quidem divino, sed sine speciali assistentia Dei conscriptum, si divina testificatione constiterit, nihil in eo contineri, quod verum non sit, effici Scripturam sacram (adeoque canonicis libris accensendum esse), haec inquam assertio, nisi ut supra (n. 19.) dictum est, corrigatur, etsi non ipsi dogmati, sententiae tamen e dogmate legitime illatae, opposita ideoque a Reverendissimo Relatore iure erronea dicta esse mihi quidem non potest non videri. Ecclesia enim declarans, non alia de causa a se libros V. et N. Testamenti pro sacris et canonicis haberi, nisi quia Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem; certe hoc ipso declaravit, id esse de natura et ratione Scripturae sacrae, Deum habere auctorem. Porro legitima ratiocinatione conclusisse me arbitror, Deum non posse vere dici auctorem libri, qui ex impulsu quidem ipsius, sed sine speciali eius assistentia conscriptus sit. Sedenim et hoc et reliqua, quae scripsi, sapientiorum iudicio libenter submitto.

O. A. M. D. G.

Die 28 Aug.ti 1607 in palatio S.ti Augustini [illegible]
in monte Quirinali

Fuit habita congregatio [illegible] Card.li Pinelly, Asculany, [illegible] Arrigonius, Bellarminus, Du Perron, [illegible] Bufalo, [illegible]

Card.l Pinelly fu in voto [illegible] per maggior dichiaratione [illegible] [illegible] et bene [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] gli altri et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Spagna et Alemagna [illegible] [illegible], et li Cattolici [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] alcune [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et [illegible] di [illegible] [illegible]

Il Card.le d'Ascoli che in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] il [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] delle [illegible] [illegible] [illegible] domenicani et [illegible] li quali erano [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Et le [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] il voto [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] che [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] di [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] una bolla

particolare nella [illegible] alla [illegible] Congregatione del Concilio [illegible]
cioè avere conformità fra alcune [illegible] sole il Concilio
[illegible] che [illegible] gl'altri [illegible]
et [illegible] che [illegible]
et [illegible] alcuni altri [illegible] et [illegible] et
[illegible] alle proposizioni del
[illegible] del libro del Copernico, che la [illegible]
[illegible] nel libro di [illegible]

Giovi [illegible] che si [illegible] l'avvertimento e disse
15 [illegible] a quella parte che [illegible]
[illegible] Ma che lui [illegible]
[illegible] che [illegible]
d'agosto ([illegible]

Avea letto, che delle parole del Concilio [illegible]
[illegible] del [illegible]
[illegible] quel che [illegible]
[illegible] et [illegible], dove [illegible]
[illegible]
[illegible] Ma [illegible]
[illegible] et

[illegible] et
[illegible] il [illegible] le [illegible]
[illegible] et [illegible]
[illegible] et [illegible]
[illegible] et [illegible]
[illegible] il [illegible]

[illegible] che l'opinione [illegible] di [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] fa [illegible] una [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] che l'opinione [illegible] siano [illegible]
[illegible]
in [illegible]
il [illegible]
[illegible]
[illegible] l'opinione [illegible] Pelegrini
[illegible]
[illegible] che Pelegrini [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] et [illegible]
[illegible] che [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] et [illegible] che [illegible]
[illegible] che le [illegible] et [illegible]

Questa [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] per la [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] che [illegible] a tre detti [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible], o nell'altro [illegible]
[illegible] che l'[illegible] Calvino come stabilito
[illegible] [illegible] l'opinione del [illegible] [illegible]
parere [illegible] che si venga alla determinat.
[illegible] che [illegible] la tutta Corona ecc.

2 Stai che Sua [illegible] il Consiglio [illegible]
che necessario [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
et che [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
che [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] et [illegible] di [illegible] et [illegible]
[illegible] [illegible] che [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] di [illegible] e, [illegible] [illegible]
da [illegible] [illegible] [illegible] di [illegible] che la
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible], et [illegible] [illegible] [illegible] le [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] il [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
tempo la [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] di fare non [illegible] nella [illegible] et di chiamare [illegible]
che [illegible] in [illegible], ad [illegible] parere bene che
[illegible] che si [illegible] a
gli [illegible] di [illegible], et che [illegible] la propos[illegible]
[illegible] camino alcuno di quella [illegible] et [illegible]
[illegible] commi[illegible] che
[illegible]

che si [illegible] aggiunti
alle propost[illegible] al Consiglio
[illegible] con l'[illegible] et altri [illegible]

Che i [illegible] alla [illegible]
[illegible] il [illegible] da
[illegible] alle
[illegible] fatte in Cons[illegible]
[illegible]
che [illegible] et [illegible]
[illegible] Serenissimo [illegible]
di [illegible]
[illegible]